


*[Faint handwritten scribbles and lines]*




*fratris Francisci*

*Servant* *Collegii Sancti*

*Alberti Collegii anno Domini*

*1770* *In Annum*  
*1771* *1772* *1773*


*1774* *1775* *1776*  
*1777* *1778* *1779*  
*1780* *1781* *1782*  
*1783* *1784* *1785*  
*1786* *1787* *1788*  
*1789* *1790* *1791*  
*1792* *1793* *1794*  
*1795* *1796* *1797*  
*1798* *1799* *1800*  
*1801* *1802* *1803*  
*1804* *1805* *1806*  
*1807* *1808* *1809*  
*1810* *1811* *1812*  
*1813* *1814* *1815*  
*1816* *1817* *1818*  
*1819* *1820* *1821*  
*1822* *1823* *1824*  
*1825* *1826* *1827*  
*1828* *1829* *1830*  
*1831* *1832* *1833*  
*1834* *1835* *1836*  
*1837* *1838* *1839*  
*1840* *1841* *1842*  
*1843* *1844* *1845*  
*1846* *1847* *1848*  
*1849* *1850* *1851*  
*1852* *1853* *1854*  
*1855* *1856* *1857*  
*1858* *1859* *1860*  
*1861* *1862* *1863*  
*1864* *1865* *1866*  
*1867* *1868* *1869*  
*1870* *1871* *1872*  
*1873* *1874* *1875*  
*1876* *1877* *1878*  
*1879* *1880* *1881*  
*1882* *1883* *1884*  
*1885* *1886* *1887*  
*1888* *1889* *1890*  
*1891* *1892* *1893*  
*1894* *1895* *1896*  
*1897* *1898* *1899*  
*1900* *1901* *1902*  
*1903* *1904* *1905*  
*1906* *1907* *1908*  
*1909* *1910* *1911*  
*1912* *1913* *1914*  
*1915* *1916* *1917*  
*1918* *1919* *1920*  
*1921* *1922* *1923*  
*1924* *1925* *1926*  
*1927* *1928* *1929*  
*1930* *1931* *1932*  
*1933* *1934* *1935*  
*1936* *1937* *1938*  
*1939* *1940* *1941*  
*1942* *1943* *1944*  
*1945* *1946* *1947*  
*1948* *1949* *1950*  
*1951* *1952* *1953*  
*1954* *1955* *1956*  
*1957* *1958* *1959*  
*1960* *1961* *1962*  
*1963* *1964* *1965*  
*1966* *1967* *1968*  
*1969* *1970* *1971*  
*1972* *1973* *1974*  
*1975* *1976* *1977*  
*1978* *1979* *1980*  
*1981* *1982* *1983*  
*1984* *1985* *1986*  
*1987* *1988* *1989*  
*1990* *1991* *1992*  
*1993* *1994* *1995*  
*1996* *1997* *1998*  
*1999* *2000* *2001*  
*2002* *2003* *2004*  
*2005* *2006* *2007*  
*2008* *2009* *2010*  
*2011* *2012* *2013*  
*2014* *2015* *2016*  
*2017* *2018* *2019*  
*2020* *2021* *2022*  
*2023* *2024* *2025*  
*2026* *2027* *2028*  
*2029* *2030* *2031*  
*2032* *2033* *2034*  
*2035* *2036* *2037*  
*2038* *2039* *2040*  
*2041* *2042* *2043*  
*2044* *2045* *2046*  
*2047* *2048* *2049*  
*2050* *2051* *2052*  
*2053* *2054* *2055*  
*2056* *2057* *2058*  
*2059* *2060* *2061*  
*2062* *2063* *2064*  
*2065* *2066* *2067*  
*2068* *2069* *2070*  
*2071* *2072* *2073*  
*2074* *2075* *2076*  
*2077* *2078* *2079*  
*2080* *2081* *2082*  
*2083* *2084* *2085*  
*2086* *2087* *2088*  
*2089* *2090* *2091*  
*2092* *2093* *2094*  
*2095* *2096* *2097*  
*2098* *2099* *2100*



*Fr. Simon*

*Guarde*  
*Francisco*

**FRANCISCO**  
*Conis*  
*Sancti*  
*Augustini*



*DM*

*Ad Vnum fratris Francisci  
Serrano Collegii Sancti  
Alberti Collegii anno Domini*

*1770 In unum  
atq; vry & nyc*

*§ P* *vry & nyc  
nom*

*N* *7-178* *Fr. Serrano*

*1770* *S* *Guarde*  
*Granada Fr* *Muenas*

**FRANCISCO**  
onis  
Augu



Francisco de  
Santo por Berganza  
de Dios

Scriptum per me fratrem Franciscum

Equum Dni Alberti Colloii Cellioi  
& Anno Virginis Sanctus 1770

2481  
CURSUS  
PHILOSOPHICUS

AD MENTEM

B. ÆGIDIJ  
ROMANI

Doctores fundatissimi Augustiniani,  
Archiepiscopi Bicuricensis, Aquitanie Pri-  
matis, & S. R. E. Cardinalis, illustratam  
Authoritatibus P. N. Augustini, &  
Preceptoris Angelici.

AUCTHORE

R. A. P. M. Fr. PETRO MANSO  
Augustiniano Provincia Castellæ in Salmanticensi Aca-  
demia Sacre Theologie Doct. & Philosophiæ Professore:  
Conventus Salmanticensis S. P. N. Augustini olim Priore,  
& semel, iterumque Diffinitore Provinciae, & pro  
Provincia in Comitibus Generalibus  
Romæ celebratis.

AD IULVST. ET REVER. P. D.  
FR. FRANCISCUM EMMANUELEM  
DE ZVñIGA, F. SOTOMAYOR  
Episcopum Civitatensem &c.

TOMUS PRIMUS

Dialecticam doctrinalem, & disputatam, Proemialia  
Logica, & Entia rationis complectens.

Cordubæ: Ex Typ. August. Ann. 1709.

ILLmo. AC Rmo. PRINCIPI  
DOM. D. F. FRANCISCO EMMANUELI  
DE STUNICA, ET SOTOMAYOR,  
EPISCOPO CIVITATENSI,

A Regijs Consilijs, unique ex Sapientioribus Patribus,  
à Sacra Majestate deputatis, pro tuenda Immaculata  
Deiparæ Conceptione. Olim in Augustiniana Religio-  
ne Regalium Collegiorum Rectori, Diffinitori, Visi-  
tatori Provinciæ Castellæ, ejusdemque Pro-  
vinciali dignissimo &c.

FR. PETRUS MANSO S. P. D.



ULTIS, gravibusque causis adductum  
me fateor, Princeps Illustrissime,  
ut in tuo præcellenti nomine hanc  
nov-antiquam Fundatissimi Docto-  
ris B. Ægidij Romani Logicam par-  
vam, & magnam, apparere deside-  
rarem: præsertim cum neque æ-  
quiores suæ eruditionis Patronum, neque potentio-  
rem suorum operum Propugnatores, neque vehe-  
mentiores ejusdem doctrinæ cultores, neque simi-  
liorem suæ virtuti Antistitem nancisci possem. Norunt  
omnes, qui te noscere, suæ adscribunt felicitati:  
agnovit æquè, ac mirata est <sup>hæc</sup> tua semper Augu-  
sta, Augustini familia, dum te in Augustiniano Bur-  
genfi Conventu liberalium Artium publicum Profes-  
sorem

forem præficiens; tot ferè à te suscepit Magistros, quot tradidit discipulos; tantaque ingenij tui fœcunditate sapereffluens, Mexicanæ, alijs novi Orbis Provincijs, partem dedit, ut luceres utrique Orbi, qui nostrum in occidua præsentia tua irradias emispherium. Sic dum in minoribus esses semper magnus, communem metam transilisti; ut in majoribus constitutus, inaccessum attingeres apicem semper maximus. Quid? quod ætate parvulus, dum Religioni nostræ illustrissimum dedisti nomen in hac Salmanticensi domo Augustiniana, anceps fuerit nostrorum dubitatio, te venerari Patronum natura, aut amplexari filium amabilissimum gratia. Certabant in te unico gratiæ, & naturæ dotes, quibus ab Excellentissimis Bigerræ Ducibus progenitus, tuisque eximijs meritis ab omnibus honorandus, Candidatus equidem plus animi candore, & sanguinis claritate, quàm munere, nostro cœtui adscribi desiderabas. Audi te non semel, sed ter fœlicem à Magno Nazianzeno Gregorio decantatum, qui te corde præfago Eremitæ nostri cultorem; vitæ communis amatorem, & voluntariæ paupertatis observantissimum, antevidebat.

*Felix à mundo abstractus, qui vivit eremo*

*In rigida, & mentem tollit ad astra suam.*

*Felix, qui multis junctus, non plurima versans*

*Distrabitur, pectus sed dedit omne Deo.*

*Felix, qui Christi<sup>stus</sup> fortunis omnibus emit:*

*Cunctorumque Crucem, quam gerit, instar habet.*

At quoniam Deus Opt. Max. te victimam sibi acceptissi-

ptissimam demonstrans, heroica tua cœpta secundare, teque per diu salvum, & incolumen servare decrevit, Ecclesiæ, Regno, & Ordini nostro profaturum; vix Provinciæ nostræ clavo admovisti manum, & ecce ad Civitatem infulam, honoris, & meriti plenus, honorandam assumeris. Audi iterum Theologum vatem Nazianzenum, te jam Antistitem quater Beatum decantantem, ob Sanctissimum Ecclesiæ tuæ regimen, ob profusam in pauperes charitatem, ob Divinorum intentissimam contemplationem, ac tandem Evangelicæ perfectionis exemplum.

*Felix, qui plebem Imperio dum ritè gubernat,*

*Humanis placat per pia sacra Deum.*

*Felix, qui puris opibus dominatur, amicum*

*Pauperibusque libens porrigit usque manum.*

*Felix, qui puræ subvectus acamine mentis,*

*Prospicit æthereæ lumina sancta domus.*

*Felix, qui Christum manibus non segnis honorat,*

*Multisque est vitæ regula, lexque piæ.*

Sic septies felix, quoniam ter, quaterque Beatus, ab Excellentissima Stunicorum oriundus familia, tot solita dare terris Heroas, quot Cœlis primates, Ecclesiæ, Regno, & Ordini nostro jubar fulgentissimum, unus es quidem, pulcherrimo illo Apulei dignus elogio: Inter Doctos nobilissimus, inter nobiles Doctissimus, inter utrosque optimus. Tot titulis te Patronum Illustrissimum ambit elucubratus Egidius meus, à nobilissima Columniorum Romanorum stirpe descendens, inter sui sæculi Doctores Princeps, supremisque tum

Ordinis, tum Ecclesiæ infulis decoratus, & purpuratus. Columnius Princeps Principem exambir Stunicam; Augustinensium Doctor Doctorem Augustinianum; Archiepiscopus Bituricensis Episcopum Civitatem; Cardinalis purpuratus purpura dignissimum.

Fundatissimi Doctoris nostri asserta, veluti Pel-lenæa tunica ingrata ob vetustatem, nova prodeunt venustate decora, sententiisque Parentis Augustini, & Angelici Præceptoris illustrata, & firmata, ut veterem usurpantes paræmiam, *Ex tripode dicta sint*; Dici solitum de ijs, quæ vehementer vera putantur & indubitata. Tripodem fuisse, ferunt, lebetem, tribus fultum pedibus, Apollini sacrum ob veritatem oraculorum, talem tibi, Princeps Illustrissime consecramus tripodem, doctrinam, nempe, Augustini, Thomæ, & Ægidij autoritate nitentem: si quæ vera sunt oracula, ex hoc tripode dicta fateor, nec unquam diffitear. At quoniam non est cujuslibet adire Corinthum, & pro nostris junioribus hæc conscripta sunt, genium pauciloquum coactus deposui, sensusque Doctoris nostri quasi masticatos proposui, & *Mansum ex ore dedi*. Lucidij verba sunt: eos enim quos tenerè amamus, his mansum ex ore dare dicimur, quòd à matribus, & nutricibus sumptum est. Nonium excipe.

*Sperans, si ætatem eandem proferre potesset,*

*Mansum ex ore daturum.*

Intempestivum donum putabunt forsam, qui bellorum pressuris pavidè aliud, quàm Martis rumores, totam

totam penè Europam occupantes, nec cogitant, nec loquuntur. Memini & veteris sententiæ *Mentam nec comedas, nec plantas tempore belli*. Quoniam (ajebat Aristoteles) menta corpori frigus adducit; frigus fortitudini, & audaciæ adversatur, quæ belli tempore militantibus inesse oportet. At ego mitis cognomine, paccatus genio, & professione pacificus, qui meos juvenes non exopto audaces, & robustos, sed dociles, & blandos; mentam plantare non ambigo martiali tempore; tibi que titulis memoratis, aliisque pluribus non immeritò memorandis, ex corde dicare. Digneris, obsecro, qua soles congenita benignitate quale quale munus meæ devinctissimæ gratitudinis accipere, dum Deum deprecor, cœpta tua rationi consentaneo & foelici progressu, ad summum dignitatis gradum dignetur promovere. Vive, & vale.

**E**X commissione R. A. P. N. Mag. Fr. Antonij Gomez hujus Provinciae Castellæ Ordinis S. P. N. August. dignissimi Provincialis, vidi, & attentè legi duos tomos utriusque Logicæ continentis doctrinam, Authore R. P. M. Fr. Petro Manso in hac nostra Salmanticensi Academia laureato Theologo, olim Philosophiæ Cathedræ dignissimo moderatore, hujus celeberrimi Conventus Salmanticensis M. P. N. August. quondam meritissimo Præsule, & modò hujus Provinciae Castellæ Difinitore: Vidi, inquam, hanc Ægidianam doctrinam ijs duobus tomis contentam, quam jam quindecim ab hinc annis sub tanti Magistri auspicijs, tanquam ex suis discipulis minimus avidè fluxeram in Conventu nostro Vallis-Oletano, cum ibi eam palam dictavit foelix. Hinc non munus censoris, sed laudatoris mihi commissum existimarem potius. Vtrique tamen muneris me ineptum fateor ingenuè. Si enim oportet addiscentem credere, oportebit equidem me tanquam censorem minimè gerere, sed suo Authori tanquam proprio sui operis judici, reservare censuram. Nec aliter Pythagoricam doctrinam discipuli commendabant: nec Moyse, sed Deus de prima luce, quod esset bona asseruit, quia solus illius conditor eam approbare debebat. Igitur solum discipuli communem Magistrum laudantis officium libenter suscipere potius, si mihi valucienti adesset illa Ciceronis affluentia; illa Demosthenis elegantia; illa Plinij panegyrica eloquentia; aut nisi præclaram sapientiam indissolubili nexu cum præclara humilitatis, & modestiæ virtute non admirarem in illo. Sed tanti Magistri pace, una sola laus non omittenda, inter omnes major: Opus istud jam diu à pluribus desideratum, non nisi precibus, ac instantijs, præsertim, cujusdam gravissimi litteris, & authoritate viri compulsus typis mandari permittat. Verè sanè humilis, qui nihil minus quam privatorum suorum studiorum celebritatè quærat. Propterea tractatus istos studiorum utilitati maximè pro futuros spero; nec ingratos alijs, qui non tam de communibus, & veteris disputationibus, quam de novis, & specialibus tractatibus gratulantur: utrumque si desideres, invenies in doctrina  
ista

ista Ægidiana, nam illius antiquitatem nomen ejus designat satis, & ut ab Authore elaborata cum tanto ingenij acumine, cum tam dulci, & singulari eloquentia, atque subtilitate, ut novam miraberis forsam. Propterea similis factus in omnibus Scribæ docto, qui profert de thesauro suo nova, & vetera. Ergo gratulaberis, quia, ut canit Ovid.

*Est quoque cunctarum novitas gratissima rerum.*

Materiã ergo antiquam quidem, sed jam sanè penè antiquatã, ad novam vitam revocavit Author, & dum illam tanta subtilitate, profunditate, & mirabili arte disponit, non ampliùs perituram spero, sed memoriæ fixam, Augustinianis ampliùs non erit neque luctus, neque clamor, sed nec ullus dolor; præsertim, cum ex hac nova erectione suum maximum desiderium, quod in dies magis, ac magis in cordibus radicetur, videant fatiatum. Gratias igitur referamus Authori, quòd anteriorem, jamque penè oblitteratum fulgorem Augustinianum, ceu fontem obturatum, supra immortalem crexerit aram.

Nec silentio præterire possum, quòd attinet ad scriptionis genus, quod ita sanè mirabile est, ut non mirum si in nostrum Magistrum omnium ora, omnium oculos teneat defixos. Ita enim doctrinam Ægidianam subtiliter dilucidat, ut non nisi Thomisticam videatur ingeniosè defendere: hic ejus præcipuus finis, sed foeliciter ad nostram utilitatem, Deo sic volente, consequutus. Videbis namque nullum Thomistam hoc nomine gloriari, nisi ad suas disputationes defendendas Patrum habeat D. Th. aliorum tantum præsidijs minimè contentus; nec sibi securam viam comparari, nisi luce D. Th. planum apareat iter, quo veritatem pertingimus. Jam ergo non dubitabis nostrum Ægidianum Magistrum verum proclamare Thomistam, nam si illius scripta attentè consideres, nullam invenies quæstionem, non solum rationibus, & Authoritatibus M. P. N. Augustini, & B. Ægidij Romani fulcitam, sed etiam pluribus, vel saltem aliqua D. Th. Hac ergo concatenatione, talibusque vinculis suum opus contextit, isdemque solvit vincula quæstionum. Verè utique sapiens, qui opera sua, non tanquam vasa vitrea, sed planè aurea, nunquam rumpenda, omnibus donat. Propterea, & quia in illis nihil fidei nostræ dogmatibus, SS. Patrum scitis, aut probis moribus contrarium inveni, utrumque tomum, ad nostræ Religionis splendorem, luce publica dignissimum censeo. In hoc Mag. P. N. Aug. Salmantino Conventu, die 10. mensis Novembris. Anno Domini 1708.

LICENTIA ORDINIS.

**N**OS Magister Fr. Antonius Gomez Rector Provincialis Ordinis Eremitarum. S. P. N. Augustini in hac alma Provincia Castellæ, præsentium tenore facultatem facimus P. M. Fr. Petro Manso Provinciæ nostræ Diffinitori, ut Summulas, & Logicam, quas composuit, quasque P. M. Fr. Mathias Teran, cui id commisimus, approbavit; possit typis dare, servata forma sacrosanti Concilij Tridentini, necnon Regalibus statutis circa librorum impressionem. In quorum fidem has litteras manu nostra subscriptas, & nostri muneris sigillo munitas, ei dedimus in nostro Regali Sancti Philippi Matritensi Cœnobio. Die 30. Novembris anno Domini 1708.

Fr. Antonius Gomez Rector Prov. 2

De mandato Rev. adm. P. Rector Provincialis

Fr. Blasius Patino Serr.

APPROBATIO R. P. Fr. HIERONYMI GIENNENSIS ORDINIS CAPVCINORUM, Sacra Theologia olim Lectoris, Ex-Custodis quondam Capituli Generalis, Diffinitoris Habitualis, & in secretis Comitibus Tribunalis Fidei Qualificatoris &c.

**M**ANDATO Domini Doctoris D. Francisci de Parada & Pizarro Consultoris sancti Officij Inquisitionis, Provisoris & Vicarij generalis hujus Civitatis & Episcopatus ab Illmo. & Rmo. D. D. Fr. Joanne de Bonilla, & Vargas Ordinis Sanctissimæ Trinitatis, Cordubensi Episcopo, studiosè obsecutus sedulò evolvi, ac attentè perlustravi volumen ita inscriptum, *Cursus Philosophicus*, ad mentem B. Ægidij Romani Fundamentalis Doctoris, Authore admodum R. P. M. F. Petro Manso inclytæ Religionis Magni Patris nostri Augustini Castellæ suæ Provinciæ Diffinitore, ac in Orbe terrarum clarissima Salmanticensi Academia Cathedratico meritissimo. Opus sanè egregium, eruditum, & studiosis quacumque ex parte perutile; quare non censoris, encomiastici potius adest occasio; sed si suas laudes illustrare possem, vulgares essent, & planè meis sunt luminibus clariores; solum tanti Authoris illæ videntur maximæ & consonæ, quæ ex illius Sapientia, & Dialectica colliguntur.

Mirabatur olim Isocrates leges institutaque Atheniensium, qui cum singulis hominibus de republica benè meritis,

rītis singula præmia statuerent; nullum tamen Dialecticæ Magistris præmium assignabant: coronabantur milites, qui inimicas acies everterent, qui hostiles muros insillirent; donabantur pugiles, & athletæ, qui manum foelicius conferebant, qui pancratium validiùs exercerent; ditabantur magistratus, qui leges utiles sancirent, qui civium moribus providerent; ipsis denique minorum artium professoribus sua præmia largè, abundèque partiebantur. Solus Dialecticæ candidatus, vacuus jacebat, & immunis; rem indignissimam exclamabat Isocrates.

Sed tota denique criminatio Isocratis detonet, & conquiescat. Quia Mussa Attica sapientissimè ceteris bonarum artium cultoribus amplissimè muneraris, Philosophis, neque in manum inferebat palmam, neque in caput induebat coronam; neque in sinum quidquam pretij congererat; ut ostenderet aliorum merita potuisse quidem præmijs superari: merita autem Philophi nec exæquare quidem ullis muneribus potuisse; ipsam sibi Philosophiam mercedem esse: ipsam sibi sapientiam coronam: O egregiam Philosophorum majestatem, quorum merita sunt præmia, quorum labores sunt honores, quorum pugnae sunt coronæ, quorum vigiliae sunt divitiæ, quorum studia sunt præconia. Vnde satis Authori nostro satis est, pro ingenti cumulo suorum præmiorum, & laudationum suarum sua sapientissima Dialectica, in qua intus conspicitur auri vena, quo honorificè coronatur, sicut Claudianus cum Atheniensibus decantat.

*Ipsa quidem Logos pretium sibi, solaque late  
Fortuna secunda nitet, nec fastibus ullis  
Erigitur, plausura petit clarescere vulgi;  
Nil opis externa cupiens, nil indiga laudis  
Divitijs animosa suis, immotaque cunctis  
Casibus ex alta mortalia delinquit arce.*

**Q**VARE, ut ingenuè, quod sentio, aperiam; Opus igitur istud est undequaque perfectum, ac numeris omnibus absolutum; in quo nihil est, quod doctum, quod sanum, quod solidum non sit; & nihil, quod Fidei Catholicæ morumque candore denigret, meis occurrit oculis; propterea ipsum luce præli posse meritò gaudere censeo (salvo &c.) In hoc Sancti Angeli Custodis Cordubense Cœnobio, Seraphici Patris nostri Francisci Capuccinorum. Pridie Kalendas Aprilis anno 1709.

Fr. Hieronymus Giennensis.

LI-

LICENTIA ORDINARIJ.

**N**OS Doctor D. Franciscus de Parada & Pizarro, Consultor S. Officij Inquisitionis Civitatis Llerenensis, Provisor & Vicarius Generalis in hac Civitate, & Episcopatu Cordubensi, ab Illmo. & Rmo. D. D. Fr. Joanne de Bonilla & Vargas Ordinis SS. Trinitatis Redemptionis captivorum, hujus Diocesis Episcopo, Regisque Consiliario. Recognito Libro sub titulo: *Cursus Philosophicus*, duplici tomo Summulas, & Logicam, continente, per ad modum R. P. M. Fr. Petrum Manso Ordinis S. P. N. Augustini, Castellanae Provinciae Diffinitorem, & Cathedrae Salmantinae Universitatis Moderatorem. Et inspecta censura, admodum R. P. F. Hieronymi de Jaen, in Sacra Theologia Lectoris Jubilati, Ordinis Capuccinorum, Diffinitoris habitualis, Ex-Custodis dictae Relig. & Qualificatoris S. Officij, & quod nihil continet alienum à nostra Sancta Catholica Fide, & rectis moribus, licentiam concedimus, ut typis mandari possit, & mandetur in quocumque hujus Civitatis praelo cum hac nostra licentia, & dicta approbatione ex commissione nostra. Cordubæ data die 2. mensis Maij. anno 1709.

*Lic. D. Franciscus de Parada.*

De mandato D. Provisoris.

*Hieronymus Sanchez Matheos.*

APRO-

APROBATIO Rmi P. M. VINCENTIJ RAMIREZ,  
in Universitate Complutensi Primariae Cathedrae Moderatoris, Examinatoris synodalis, & in Imperiali Collegio Societatis Iesu nunc Rectoris dignissimi.

**V**IDI non minus jucundè; quàm diligenter tractatum istum complectentem integram Logicam in duos tomos divisam, dispositum, & a fabre elaboratum ad mentem sui Fundamentalis Doctoris B. Ægidij Romani per RR. & doctissimum P. Magistrum Fr. Petrum Manso Augustinianum, & in Academia Salmantina Professore dignissimum, & quidem cum in eo omnia quoad Fidem sanctam Catholicam Romanam, & rectitudinem morum in offenso pede procedant: habeo insuper multa laudanda, scilicet claritatem concessam, & concisionem claram, subtilitatem non inutilem, & utilitatem discursus acumine benè conditam, & intermixtam. Procedit Author in hoc opere ut peritissimus Artifex, qui dum magni ædificium vult construere de fundamento prius cogitans illud jacet super Fundamentalem suum Doctorem, quomodo sufferre queat elevati fastigij celsitudinem: apparet jam ex limine, & fronte pulcherrimum, & magnificum; nec timendum tam dexterum Magistrum non valiturum consummare, quod tot divitijs ingenij, & doctrinae affluens cœpit ædificare. His satis insinuo non modo posse concedi; verùm libenter esse concedendam facultatem, quam poscit, in communem utilitatem. Sic sentio salvo &c. Matriti in hoc Collegio Imperiali Societatis Jesu 26. Februarij 1709.

*Vincentius Ramirez.*

EL

# EL REY.

**P**OR QUANTO POR PARTE DE VOS FRAY PEDRO Manso, Religioso del Orden de San Augustin, y Cathedratico de Salamanca se representò en el mi Consejo, deseabades sacar à luz vn libro en dos tomos, que se intitulaba Summulas, y Logica Egidianas, y para poderlo hazer, pedisteis se os concediesse licencia, y privilegio, y para ello prohibiendo, que otra persona alguna pudiesse imprimir, ni vender el libro referido sin vuestra licencia, y permiso: y visto por los del dicho mi Consejo, y como por su mandado se hizieron las diligencias, que en la Pragmatica ultimamente hecha sobre la impresion de libros se dispone, se acordò dar esta mi cedula: por la qual os doy licencia, y facultad, para que por tiempo de diez años primeros siguientes, que han de correr, y cõtarse desde el dia de la fecha desta mi cedula en adelante, vos, ò la persona que tuviere vuestro poder, y no otra alguna podais imprimir, y vender el dicho libro, que va hecha mencion por el original, que se viò en el mi Consejo, que va rubricado, y firmado al fin de Don Bernardo de Solis, mi Secretario, y Escrivano de Camara mas antiguo de los que en èl residen, con que antes que se venda, se traiga ante los del dicho mi Consejo juntamente con el original, para que se vea si la dicha impresion està conforme à èl; y traigais fee en publica forma, como por Corrector por mi nombrado se viò, y corrigiò la dicha impresion; y mando al Impresor que imprimiere el dicho libro, no imprima el principio, y primer pliego, ni entregue mas de vna sola con el original al Autor, à cuya costa se imprimiere, y no otra alguna para efecto de la dicha correccion, hasta que primero estè corregido, y tassado el libro referido por los del dicho mi Consejo, y estando asì, y no de otra manera pueda imprimir el dicho principio, y primer pliego, en el qual seguidamente ponga esta licencia, y privilegio, y la aprobacion, y erratas, pena de caer, è incurrir en las penas contenidas en la Pragmatica, y leyes de estos mis Reynos, que sobre ello disponen; y mando que durante el tiempo de los dichos diez años persona alguna sin vuestra licencia no le pueda imprimir, ni vender, pena, que el que le imprimiere, aya perdido, y pierda todos, y qualesquier libros, moldes,

des, y aparejos que tuviere del dicho libro, y mas incurra en pena de cinquenta mil mrs. la qual dicha pena, sea la tercera parte para mi Camara Real, y la otra para el Juez que lo sentenciare, y la otra para el denunciador; y mando à los del mi Consejo, Presidente, y Oydores de las mis Audiencias, Alcaldes, Alguaciles de la mi cassa, y Corte, y Chancillerias, y à todos los Corregidores, Afsistente, Governadores, Alcaldes mayores, y Ordinarios, y otros Juczes, y Justicias qualesquier de todas las Ciudades, Villas, y Lugares de estos mis Reynos, y Señorios, que guarden, y cumplan, y hagan guardar, y cumplir esta mi cedula, y todo lo en ella contenido, y contra su tenor, y forma no vayan, ni passen, ni consentan ir, ni passar en manera alguna. Dada en Madrid à diez dias del mes de Março de mil setecientos y nueve años.

YO EL REY.

*De su Magestad.*

Por mandado de el Rey N. Señor.

*Don Lorenzo de Vivanco  
Angulo.*

TASSA.

**D**ON Bernardo de Solis, Secretario del Rey Nuestro Señor, y su Escrivano de Camara mas antiguo de los que residen en el Consejo: certifico, que aviendose visto por los Señores de èl dos libros intitulados Summulas, y Logica Egidianas, compuestos por Fr. Pedro Manso, Religioso del Orden de San Augustin, que con licencia de los dichos Señores han sido impresos; tassaron à seis mrs. cada pliego, y el de la Logica parece tiene ciento y dos, y noventa y vno el de las Summulas, sin principios, ni tablas, que al dicho respecto monta mil ciento y cinquenta y ochò mrs. y à este precio mandaron se venda, y que esta certificacion se ponga al principio de cada tomo: y para que comite lo firmè en Madrid à veinte y siete dias del mes de Julio de mil setecientos y nueve años.

*Don Bernardo de Solis.*

\*\*\*2

ER.



ERRATA CORRIGENDA IN SVMMVLIS.

Fol. 6. col. 1. lin. 37. *Sapientissimi presentes.* lege *Sapientissime profes.*  
 Fol. 19. col. 2. lin. 1. *obsura.* lege *obscura.* F. 62. c. 2. l. 15. & *si.* lege *et si.*  
 F. 111. c. 1. l. 19. *probatur.* lege *probatur major.* F. 119. c. 2. l. 15. *prin-*  
*cipium.* lege *principiatum.* F. 133. c. 2. l. 2. *per se.* lege *pro se.* F. 139.  
 c. 1. l. 2. *privilegium.* lege *privilegium.* F. 183. c. 1. l. 11. *qua.* lege *quia.*  
 F. 222. c. 1. l. 26. *naturali.* lege *ad placitū.* F. 258. c. 1. l. 11. *futurionis.* lege  
*futuritionis.* F. 289. c. 1. l. 21. & *Dei.* lege & *sic.* IN PROEMLALIBVS.  
 Fol. 2. col. 1. lin. 1. *est.* lege *esse.* F. 27. c. 1. l. 1. *concedo.* lege *nego.*  
 F. 38. c. 1. l. 3. *secunda ratione.* lege *secundā à ratione.* F. 41. c. 2. lin.  
 27. *pateat.* lege *patet.* F. 53. c. 1. lin. 21. & *c. Hęc.* lege & *hęc.* F. 54.  
 c. 2. l. 33. *logicabilibus.* lege *logicalibus.* F. 59. c. 1. lin. 27. *realem.*  
 lege *rationalem.* F. 65. c. 1. l. 21. *specione.* lege *speculatione.* F. 70. c.  
 2. l. 26. *non.* lege *enim.* F. 71. c. 1. l. 33. *contra.* lege *cum.* F. 75. c.  
 1. l. 27. *majorem.* lege *majus.* F. 81. c. 2. l. 22. *Cogicam.* lege *Theo-*  
*logicam.* F. 93. col. 2. lin. 28. *quibus.* lege *questionum.* F. 97. c. 1. lin.  
 17. *ita.* lege *ista.* *Ibid.* c. 2. l. 28. *acutissimum.* lege *acutissimum.* Fol.  
 104. c. 1. l. 3. *est.* lege & *c.* F. 106. c. 1. l. 5. *ad.* lege *at.* F. 117. c.  
 1. l. 27. *posterius.* lege *posterioris.* F. 123. c. 2. l. 29. *Logia.* lege *Logica.*  
 F. 124. c. 1. l. 26. *utens.* lege *demonstrans.* F. 136. c. 2. l. 35. *Philo-*  
*sophorum.* lege *Physicorum.* F. 185. c. 2. l. 2. *directivis.* lege *directri-*  
*cis.* F. 186. c. 1. l. 20. *est.* lege *sunt.* F. 187. c. 2. l. 29. *realem.* lege  
*rationalem.* *Ibid.* l. 35. *realis.* lege *rationalis.* F. 204. c. 2. l. 26. *non*  
*esse.* lege *nosse.* F. 207. c. 2. l. 28. *Angelicus.* lege *Angelicis.* F. 224.  
 c. 2. l. 23. *quia.* lege *qua.* F. 225. c. 2. l. 10. *ista.* lege *ita.* F. 227.  
 c. 1. l. 22. *intrinsicum.* lege *extrinsicum.* F. 228. c. 2. l. 26. *actibus.*  
 lege *antecedentibus.* F. 229. c. 2. l. 22. *voluerit.* lege *voluerint.* F. 641.  
 c. 2. l. 1. *conformant.* lege *confirmant.* F. 243. c. 1. l. 26. *Theologicis.*  
 lege *theologicis.* F. 245. c. 1. l. 20. *dialecta.* lege *dialectica.* F. 249.  
 c. 2. l. 10. *Angelus.* lege *Angelis.* F. 277. c. 2. l. 39. *petit.* lege *non*  
*petit.* F. 283. c. 2. l. ult. *Angelis.* lege *Angeli.* F. 297. c. 2. l. 36. *ma-*  
*gni.* lege *Magistri.* F. 299. c. 2. l. 29. *qua.* lege *quæ est.* F. 309. c. 2.  
 F. 33. *conitio.* lege *cognitio.* F. 311. c. 2. l. 13. *à sunt.* lege *ac sunt.* F. 317.  
 c. 2. l. 17. *heu sto.* lege *heu tu.* F. 323. c. 1. l. 2. *conciantur.* lege  
*conciatur.* F. 329. c. 2. l. 17. *cumphantur.* lege *compleantur.* F. 357. c.  
 1. l. 39. *contempletur.* lege *completur.* *Ibid.* c. 2. l. 1. *contempletur.* le-  
 ge *completur.* F. 361. c. 1. l. 32. *magni.* lege *Magistri.* F. 356. c. 2. l.  
 2. *producta.* lege *productas.* F. 382. c. 2. lin. 39. *dicant.* lege *dicunt.*  
 F. 385. c. 1. l. 16. *Diaphanus.* & *stabilis.* lege *diaphanum.* & *stabile.* F.  
 391. c. 1. l. 10. *pascunt.* lege *pascuntur.* Fol. 397. c. 1. l. 8. *visi.* le-  
 ge *usi.* Fol. 402. col. 2. lin. 36. *esse aliquod esse.* lege *esse illud.*

AD

AD MAGISTROS, ET LECTORES  
 AUGUSTINIANOS.

**A**D vos, Patres mei amantissimi & Fratres desideratissimi,  
 brevis mea dirigitur præfatio. Vos alloquor, quos olim  
 in Præfatione sui cursus Philosophici Magister Joseph à  
 Villanova defensores opravit Scholæ Ægidianæ, ut Cardinali-  
 tia Purpura Doctoris N. Fundatissimi, vetustate decolorata, li-  
 brorumque penuria antiquata doctrina, vestris scriptis exanti-  
 quaretur, vestrisque illustribus agonibus denuò purpuraretur.  
 Vos alloquor ejusdem votis, sed spe firmiori, ni dicam foeliciori,  
 dum præfenti sæculo Augustiniana Respublica Doctorem suum,  
 ut diu desideraverat, redivivum, & toties replicatum, quoties  
 libris excussum, possidet, & gratulatur opera, & studio R.P.M.  
 Fr. Antonij de Aguilar. Vos alloquor meritissimos Augustinia-  
 nos Augustinianus indignus, ut qui semper à Magnis exemplū  
 desumitis, aliquando ex minimis occasionem sumatis, ex meis  
 que scriptis, quæ non tam vobis dedo, quàm reddo, provoce-  
 mini invicem ad iustrandam, & illustrandam B. Ægidij sen-  
 tentiam, quam sacre constitutiones nostræ docendam præscri-  
 bunt.

Quæ olim in Vallisoletano Augustiniensi Conventu præ-  
 sius dictavi, nunc evulgaturus, diu cogitavi, an brevi compen-  
 dio, vel prolixa disputatione id facere expediret, memor illius  
 sententiæ Augustinianæ *Laborant homines in discendo, brevia non va-*  
*lent intelligere, & prolixa non amant legere.* Præsertim dubitandum  
 fuit ex fine evulgationis, quæ non sapientibus, & de Schola Æ-  
 gidiana benemeritis, sed juvenibus, & incipientibus parabatur, ut  
 ab importuno scribendi onere, quod nimiū retardat, liberarentur.  
 Amabam brevitatem, & lite in principio dubia, sed post discus-  
 sionem maturata, inclinabar tractare compendio quæstiones lo-  
 gicas, ne dum juvenes ab onere scribendi absolvere intendebā,  
 prolixitate onerarem. Fecissem, si solam mentem B. Ægidij ra-  
 tionibus comprobassem. At quoniam ex sacra pagina didici, quòd  
*Funiculus triplex difficile rumpitur*, prævaluit desiderium firmandi Eccles.  
 sententiam nostram funiculo triplici, compacto ex autoritate v. 12.  
 Parentis Augustini, Doctoris Angelici, & Præceptoris Funda-  
 tissimi. Si molles deterret, finite funiculum triplicem, reliqua  
 assumite, & habebitis compendium. Omittite etiam plures quæ-  
 stio-

# DIALECTICAE PARS PRIMA

CONTINENS

SUMMULARVM TEXTVM, TRIBVS LIBRIS  
BREVITER, ET DILIGENTE  
EXPLICATVM.

PRÆLVDIUM.

ffiones hoc tempore non necessarias, ut sunt ferè omnes Summulitica; quæ etiam libro 3. habentur de universali Platonico; nec non quæ libro 7. & 8. continentur. His demptis, integra adest Logica utilitas, brevissimè compendiatà.

Nolo, Patres & Fratres mei amantissimi, silentio præterire Doctores, quibus profecerim, ut hoc tale, quale scriptum vobis offerrem. Methodum accepi ab Augustino Theologo, vobis, & toto orbi notissimo Magistro Fulgentio Lafosse, qui in sua Theologia sententias firmat autoritate P. Augustini, D. Thomæ, & B. Ægidij, quas rationibus illustrat. Sententias ferè omnes desumpsi ex Magistro Josepho à Villanova, inter Ægidianos sapientissimo, ut hoc teste, omni exceptione majore, fidem facerem scriptis meis pro Schola Ægidiana. His adnumerate prælaudandum, nec unquam sine laude memorandum P. M. Fr. Antonium de Aguilar, quo nullum majorem Ægidiana Schola promotorem habuit. Eo me profecisse fatendum est, tum exemplo, ne renuerem improbum laborem recolendi summulitica, entia rationis, & alia minutissima, cibum animæ levissimum, super quem nauseat hominis ingenium: tum mandato, consilijs, & expensis, ut opus aggrederer, & quàm citiùs consummarem.

Ad Eph. 4. *Deus autem, qui teste Apostolo, alios dedit Pastores, & Doctores, ut S. Anton. non sinit jam parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ, Fami-  
1. p. Theol. liæ nostræ præfecit Augustinum, Ecclesiæ Doctorem, & vigi-  
tit. 8. c. 2. tantissimum Pastorem: & cum plures designare posset Scholæ no-  
Seripandus stræ Doctores, præposuit Romanam Columnam Fundatissimum  
in Chron. B. Ægidium Rom. quem S. Antoninus vocat Doctorem excellentissimū;  
Ord. ann. Cardinalis noster Seripandus Virum omnium scientiarum genere peritissi-  
1295. mum, Puppim, & Proram Theologorum; Academia Sorbonica Doctorem  
Sorbon. in fundatissimum, clavem omnia aperientem dubias; Paulus Venetus Hominem è  
illius Cæ- Cælo missum: & ut in numerà prætereamus encomia, quibus nobili-  
notaphio. tas Magistri N. commendatur, ut noster discendi ardor efferveat,  
Venec. 2. ejus doctrina nedum sacrarū Ordinis constitutionū jussu sequēda  
Post. proponitur, quin etiam ab infallibili Spiritus S. oraculo nobis am-  
Constat. plectēda præcipitur, ut B. Pius V. ann. 1570. in Bull. Ord. decrevit.  
Ord. 5. p. Tanti Doctoris mentem assequi in scriptis nostris optavi, & e-  
cap. 1. xopto, dum Philosophiam præparo, quam citiùs evulgandam: si  
August. P. vota frustravit eventus, verba Parentis N. mea faciam, Non pige-  
N. lib. 1. bit me sic ubi hæsito, querere: nec pudebit sic ubi erro, discere. Proinde quisquis  
de Trinic. hæc legit, ubi pariter cæsus est, pergat mecum; ubi pariter hæsitat, querat mecum:  
cap. 2. ubi errorem suum cognoscit, reddeat ad me; ubi meum, revocet me.*

**Q**UOD VVLGVS præpediantur incipiētes, in al-  
Summulas ap- teram remittentes partem quæ  
pellat, brevem stiones aliquas supra textū, ut  
Logicæ magnæ eorum possint aequaliter inge-  
summam, aut nia exerceri sine dispendiotem-  
breviùs Summu poris, & doctrinæ.

lam intellige, nec aliud conti-  
nentem, quàm quoddam logi-  
cæ compendium, in quo brevi-  
ter, & aequaliter traditur noti-  
tia eorū quæ postea in Logica  
enucleatiùs discutiuntur. Hæc  
summa, aut Summula, in gra-  
tiam incipiētium cōpilata, eò  
melior, & utilior erit, quò bre-  
vior, & clarior: quamobrem  
extra ejus institutum credimus  
à plerisque interposita, quæ in-  
cipientium superant captum, à  
quibus plenè abstinēbimus, ut  
planam Logicæ sternamus viā.  
Ob hæc etiam simplici narra-  
tione trademus textum, ne  
difficultatibus passim obvijs,  
teram remittentes partem quæ  
stiones aliquas supra textū, ut  
eorum possint aequaliter inge-  
nia exerceri sine dispendiotem-  
poris, & doctrinæ.  
Hæc summa dicitur Dia-  
lectica à verbo *Dialogome*, quod  
græcè significat probabiliter  
disputare: quapropter atten-  
ta nominis significatione pos-  
set diffiniri *Ars probabiliter dis-  
putandi*. Ceterum jã cōmuniter  
extenditur ad omne genus dis-  
putationis, & dicitur *Ars disse-  
rendi, cujus finis est verum à  
falso discernere*. Hæc diffinitio  
sumpta est ex P. August. lib. de  
principijs Dialecticæ, ubi descri-  
bens Dialecticæ proprietates, fi-  
nem, & utilitates, dicit, quòd  
est *Ars artium, & disciplina  
disciplinarum, docet docere, do-  
cet discere, in hac se ipsa ratio  
de*

demonstrat, atque aperit quid sit, quid velit, quid valeat, scit sola scire, sola scientes facere non solum vult, sed potest.

Ejus necessitatem tum ad alias scientias, tum ad dirigendas operationes nostri intellectus egregiè commendavit Angelicus Magister. Posteriorum dicens: *Ars est certa ordinatio rationis, qua per demonstrata media ad debitum finem actus humani perveniunt.* Et posito exemplo artis domifactoriæ, quæ adinventata est ad dirigendas manus artificis, ne erret in constructione domus, prosequitur, dicens: *Eadem ratione ars quædam necessaria est, quæ sit directiva ipsius actus rationis, per quam scilicet homo in ipso actu rationis ordinatè, & faciliter, & sine errore procedat. Et hæc est ars Logicæ, idest rationalis scientia.*

Eandem doctrinam habet N.F. D.B. Egidius in Prol. ad libros Posteriorum, ubi statuens cum Pho. 3. de Anima, quod tres sunt operationes nostri intellectus, observat in qualibet posse errare nostrum intellectum; quare, ut vitetur error, necessaria est Logica, vel Dialectica, veluti directiva nostrarum operationum intellectualium. Ex quo jam vides finem Dialecticæ esse dirigere operationes nostri intellectus, ne erret in inquisitione veritatis: ejus essentiam

esse artem disputandi: finisque hujus disputaõis est discernere verum à falso; & utilitas secuta facere scientes.

Tripartitur meritò Dialectica ab omnibus in tres libros juxta triplicem operationem intellectus nostri, quam dicitur Dialectica. Et quoniam conatur integrum Philosophiæ curriculum dicere ad mentem nostri Purpurati Doctoris Egidij Romani, sint faustum omen, & principium verba ejus loco citato, ubi explicat operationes intellectus, & quid ad unamquamque pertineat ex Logicæ tractatibus: Ibi habet sic.

*Secundum quod Phis vult 3. de Anim, triplex est operatio intellectus. Prima est simplicium quidditatum apprehensio; secunda apprehensarum compositio; tertia discursus ad conclusiones. De his, quæ pertinent ad primam operationem, scilicet de simplicibus quidditatibus, determinatur in libro Prædicamentorum. De his, quæ ad secundam pertinent, determinatur in libro isto Perhiermeniar. De his, quæ ad tertiam pertinent determinatur per totam Logicam novam. Ecce partitio totius Logicæ juxta tres operationes intellectus: quamobrem partitio Summularum, seu compendij Logicæ, juxta easdem fieri debet.*

Tres ergo sunt operationes nostri

nostri intellectus, scilicet *Apprehensio, compositio, & discursus.* Secunda communiori nomine appellatur *judicium.* Prima operatio est *Actus intellectus, quo percipis essentiam rei perfectè, vel imperfectè.* Secunda est *Actus quo de re, jam apprehensa, aliquid affirmas, vel negas.* Tertia est *Actus intellectus, quo ex affirmatione, vel negatione aliud inferis.* Explicatur exemplo. Apprehendis essentiam hominis cognoscendo animalitatem & rationalitatem. Si hoc cognoscas, nihil affirmando, vel negando, sed purè sistendo in cognitione hominis, vel animalitatis, & rationalitatis; tunc exerces primam operationem intellectus, quæ dicitur *apprehensio.* Si autem hoc cognito, affirmes illud de diffinito, sic, *Homo est animal rationale;* vel illud neges de alijs, sic, *Lapis non est animal rationale;* tunc exerces secundam operationem, quæ dicitur *compositio, vel judicium.* Si tandem ultra progrediaris, inferendo ex illo ju-

dicio aliquid aliud, tunc exerces tertiam operationem, quæ est discursus, sic: *Homo est animal: ergo est vivens.* Ecce inferis vitam hominis ex ejus rationalitate, & animalitate; quod fit per discursum.

Igitur in 1. lib. Summularum pro directione *simplicis apprehensionis* agemus de simplicibus, ut sunt signum, nomen, verbum, terminus, diffinitio, divisio, subjectum, & prædicatûs quibus annectemus orationem. In 2. libro pro directione *compositionis, vel judicij*, tractabimus de compositis, in quibus est affirmatio, aut negatio, ut sunt enuntiatio, propositio tum de inesse, tum modalis, de earum quantitate, qualitate, oppositione, conversione, æquipollentia, & alijs concernentibus. In tertia pro directione nostri *discursus* fermo erit de syllogismo, forma, figura ejus, de reductione, & de alijs argumentationibus. Vnde sit.



# LIBER PRIMUS SUMMULARVM

## DE PERTINETIBVS AD PRIMAM OPERA- TIONEM INTELLECTVS.

### CAPVT I.

*Explicatur quid sit subiectum,  
& prædicatum.*

Num. I. **I**NCIPIMVS à subje-  
cto, & prædicato, quoniam ab ipso li-  
mine Dialecticæ disceptatrici,  
oportet saltem adubrare  
methodum disputandi & ex  
postea distinctè explicãdis ali-  
qua hinc præsupponere veluti  
in fide Magistri. Est ergo pro-  
positio oratio affirmativa, vel  
negativa unius de alio: v.g. *Petrus est homo*: ubi vides tres  
voces: prima est subiectum, tertia  
prædicatum, secunda est unio, vel  
copula subiecti cum prædicato.  
Prima dicitur subiectum, quia  
est *Id de quo aliquid prædica-  
tur*. Tertia dicitur prædicatum,  
quia est *Id quod affirmatur de  
subiecto*. Secunda dicitur unio,  
vel copula, quia *Vnit, & copu-  
lat subiectum cum prædicato, &  
est nexus utriusque*.

Hinc colliges, quòd licet  
voces invertantur ordine, non  
amittunt rationem subiecti, aut

prædicati, v.g. si dicas: *Petrus  
homo est*, vel *homo est Petrus*:  
quia ratio subiecti non est anne-  
xa primæ voci, sed illi, *de quo  
dicitur aliud*; nec prædicatum  
semper est tertia vox, sed illa  
*quæ dicitur de subiecto*. Qua-  
propter nullo attento vocum or-  
dine, unicè cura dignoscere  
quid dicitur, & de quo dicitur.  
Quod dicitur est prædicatum;  
de quo dicitur est subiectum:  
ac tãdem verbum, quo illa ex-  
trema uniuntur, illud est unio,  
nexus, aut copula.

2. Observa etiam, quòd  
aliquando invenies duas tantum  
voces, aliquando quatuor, aut  
plures. v.g. *Petrus disputat*, vel  
*Petrus est*, quæ sunt propositio-  
nes duarum vocum: ceterum  
istæ æquivalenter sunt tres, nã  
exponuntur sic: *Petrus est dispu-  
tans. Petrus est ens*. Quamob-  
rem *ly disputat* est copula in-  
cludens prædicatum; & *ly est*  
pariformiter; ut si diceres, *su-  
us albus*, intelligitur ego pronome  
primæ personæ, & sensus est,  
*ego sum albus*; quare semper  
omnis propositio vel implicitè  
vel

### LIBER I.

### CAP. I.

5

vel explicitè constat tribus vo-  
cibus, quia indispenfabiliter co-  
stat ex subiecto, copula, &  
prædicato, quæ tria sunt.

Per oppositum hæc pro-  
positio: *Omnis homo est essentia  
liter animal rationale*, constat  
ex sex vocibus materialiter:  
ceterum formaliter solum ha-  
bet tres jam numeratas. Ratio  
est, quia duæ primæ, scilicet  
*omnis homo*, se habent per modum  
unius subiecti; duæ ultimæ se  
habent per modum unius prædi-  
cati: ac tandem duæ mediæ per  
modum unius copulæ, quia *ly  
essentialiter additum verbo est*,  
denotat unionem prædicati cum  
subiecto, & utriusque conveni-  
entiam esse essentialem.

3. Sicut ex subiecto, co-  
pula, & prædicato sunt propo-  
sitiones, ita ex propositionibus  
fit argumentatio, quæ est *Ora-  
tio in qua uno dato, aliud sequi-  
tur*: v.g. *Petrus est homo; ergo  
Petrus est animal*. Ecce totum  
hoc dicitur oratio in singulari,  
quia licet grammaticaliter sint  
duæ orationes, Dialecticè ta-  
men est unica oratio, continens  
discursum unicum, quo ex ante-  
cedenti propositione inferitur  
consequens.

Hæc argumentatio, si con-  
stat ex tribus propositionibus,  
dicitur syllogismus; si ex solis  
duabus dicitur enthymema. E-  
xemplum primi. *Qui studet non  
est otiosus; sed qui non est otio-*

*sus, non peccat; ergo qui studet,  
non peccat*. Ecce argumentatio  
ista constat ex tribus propositio-  
nibus, & idem est syllogismus.  
Vbi observa, quòd prima pro-  
positio dicitur *major*; secunda  
*minor*; tertia *consequens*. Nota  
etiam, quòd prima ponitur si-  
ne aliquo addito; secunda po-  
nitur ferè semper cum hoc ad-  
verbio *sed*, vel *atqui* aut *sed sic  
est*; tertia ponitur cum hoc ad-  
verbio *ergo* vel *igitur*, quæ sunt  
nota illationis consequentis ex  
præmissis. Nota tãdem, quòd  
prima, & secunda propositio syl-  
logismi dicuntur *Præmissæ*, quia  
præmittuntur ad consequens.

Quando autem argumen-  
tatio constat tantum ex duabus  
propositionibus, est enthymema,  
v.g. *Iudas desperavit, ergo  
damnatus est*. Prima propositio  
dicitur *antecedens*; secunda *co-  
sequens*: & utraque copulatur  
per adverbium *ergo*. Quod est  
nota, aut signum illationis con-  
sequentis ex antecedente. Vbi  
nota, quòd si illæ duæ proposi-  
tiones non uniuntur simili signo  
illationis, non sunt argumenta-  
tio v.g. dicendo: *Si Iudas despe-  
ravit, damnatus est*. Ecce uni-  
untur particula illa conditiona-  
li *si*. Insuper dicendo: *Iudas de-  
speravit, & damnatus est*, co-  
pulantur adverbio, *et*. Quare  
neutro modo sunt argumen-  
tatio, quia deficit eis adverbium  
*ergo*, vel *igitur*, quo denotatur  
illa-

Illatio unius ex alio. Vnde per particulam *si* redditur propositio conditionalis, & per particulam *et*, redditur propositio copulativa, de quibus in secundo libro.

4. Liberum est arguenti probare quod intēdit, velsyllogismo, vel enthymemate; & si fortiūsurgeat ratione formæ syllogisticæ. At non est liberū respondentī, utcumq̄ respōdere, sed certis legibus quisque tenetur, quas placet breviter in sinuare incipiētibus. Et notato, quod disputatio semper est inter duos, ad differentiam locunis, quæ non petit esse ad alterum: nam Deus sibi loquitur; homo item secū loquitur sæpè mētaliter, aliquando vocali voce, sed infructuosa, & inutili, quia non egemus vocibus nisi ad manifestandum alijs cōceptus internos: at nemo secū disputat, sed cum alio; quare disputatio petit necessariō duos, unus est qui defendit, alter arguit, & impugnat.

Ponamus exmplum. Defenditur conclusio *Quod Deus est terminus communis*. Defendens, seu sustentans petit veniam à circumstantibus dicens: *Habita mihi prius dicendi venia, dignissimè Præsul, sapientissimè Præsides* (si adsint Magistri, aut alij Principes, aut nobiles, urbanè nominentur) *Ceteraque adstantium floridissimi-*

*ma concio; quidquid iater disputandum dixerō, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, vestraque correctioni subijcio. Defendimus in præsentī: Quod Deus est terminus communis. Quam conclusionē sic probō. Et appositis rationibus probativis dicat: Sic maneat mea conclusio aliquantulum probata, vestris tamen argumentis magis, et magis elucidata manebit.*

Arguens ante argumētum petit veniā, ut supra, addens in fine veniæ: *Te que ingeniose sustentans adversus tuā eruditā conclusionem sit argumentor.* Et proposito argumēto, dicit: *Hæc facillima sunt difficilioribus pro tui ingenij acumine plenè satisfacies.* Hæc fanè apud omnes Scholas uniformiter usitata, suadent de concordī omnium mēte præcipuam legem disputantium esse modestiam, urbanitatem, & mutuam honorationem. Honore invicem prævenientes incipiunt disputationes. Dolendum esset maximè, si astu disputationis aliqua inurbana verba exciderent, & quod absit, injuriosa.

5. Præcipua lex arguētis est in principio disputationis inferre contrarium cōclusionis, quæ defenditur, & in discursu argumēti semper inferre cōclusionem negatā à defendēte. Hoc modo vitatur vitium mutandi medium. Insuper te-

netur arguens nūquam assumere pro antecedenti conclusionem, quæ defenditur, ut in exemplo dato, non licet arguere sic: *Deus non est terminus communis: ergo malè asseris quod sit terminus communis.* Nec sic: *Deus non est terminus communis: ergo contra conclusionem.* Hic modus arguendi est vitiosus, & dicitur *Petitio principij*. Sed debet ponere aliquid distinctū in antecedenti, ex quo inferat contradictoriū cōclusionis: v.g. sic: *Terminus communis est qui significat plura divisim: sed Deus non significat plura, sed unicam Deitatem: ergo Deus non est terminus communis.*

6. Lex defendentis est fideliter repetere argumētum propositum, & incipit repetere sic: *Ad versus conclusionem in qua defendo, quod Deus est terminus communis, ita argumentatur sapientissimus Magist. vel ingeniosus condiscipulus, &c. juxta qualitatem arguentis, Cujus argumentum in hac forma procedit.* Hic repetit syllogismū, vel enthymema integrè & fideliter. Quo finito, reddit ad majorem, quæ si est vera, dicit *concedo majorem*; si falsa, *nego majorem*: si dubia, eam distinguit concedendo in uno sensu, & negando in alio; transit ad minorem, & facit sicut in majori. Et quamcumque negat, non transit inde, sed sistit,

ut probetur ab arguēte. Si autē nullam ex præmissis negavit, transit ad consequens, quod si sit benè illatum, dicit: *Concedo consequentiam*. Si non inferatur dicit *Nego consequentiam*. Si autem habeat dubium sensum, dicit: *Distinguo consequens*; & cōcedit consequentiam in uno sensu, & negat in alio.

Caveat ne dicat, *distinguo consequentiam*. Nam consequentia nunquam est dubia, & sic nunquam distinguitur; quare aut inferitur, & tunc est bona, & concedenda consequentia: aut illatio consequentis nō est bona, & tunc negatur. At quia propositio ultima, quæ dicitur *consequens*, potest habere duplicem sensum, idē dicitur consequens, ut explicato sensu vero, concedatur consequentia, & in sensu falso, negetur. Si autem argumentatio sit enthymema, dicitur concedo, nego, aut distinguo *antecedens*, juxta dicta; concedo, nego consequentiam, aut distinguo consequens.

## CAPVT II.

*De signo, et ejus diversibus.*

1. **O**MNIS doctrina vel rerum est, vel signorum, dicit Pater Aug. lib. 1. de Doctrina Christiana cap. 1. & subdit: *Sed res per signa dis-*

*discuntur.* Est dicere, quod omnis scientia, vel ars, tractat veluti de propria materia, de rebus, aut de signis. Sic Philosophia tractat de rebus mobilibus, Medicina de sanabilibus, Geometria de mēsurabilibus; & sic de alijs, quæ habent pro objecto res sub hac, vel illa ratione cōtēplatas. Dialectica nō agit de rebus, sed de signis, quarum naturam in hoc capite explicabimus; unde est doctriana signorum. Et subdit sanctus Protoparens, *Quod res per signa discuntur;* quia ut docuit Phis *Res ad Scholas adducere non possumus, & ideo utimur terminis pro rebus.* Ecce omnes scientia, & artes, utuntur vocibus, quæ sunt signa rerum, ut tractent de rebus. Ut quia sola Dialectica habet specialiter tractare de signis, ad eam spectat dilucidare naturam signi.

Signum ergo est, *Quod se ipsum sensui, & præter se aliquid animo ostendit.* Ita P. Aug. qui lib. 2. de Doctr. Christiana cap. 1. illud diffinit etiam sic: *Signum est res, quæ præter speciem, quam ingerit sensibus, aliud ex se facit in cognitionem venire.* Iuxta utrāque diffinitionem fumus est signum ignis: juxta primam, quia se ipsum ostendit sensui visus, vel odoratus, & ultrā ostendit intellectui nostro ignem ibi esse. Iuxta secundam, fumus est sig-

num, quia immittit speciem sui sensibus odoratus, & visus, & ultrā facit nos venire in cognitionem ignis.

2. Hinc colliges, quod de ratione signi est ducere intellectum nostrū in cognitionem alterius distincti; quare nemo potest esse signum sui ipsius, sed alterius distincti; & cōsequēter debet dari distinctio inter signum, & signatum. Colliges secundō quod signum ut tale, est imperfectius signato. Ratio est, quia est propter signatum; & id, quod est propter aliud, est imperfectius illo. Vtrumque patet in exemplo dato. Fumus est signū ignis, ecce primō datur distinctio inter fumū signantē, & ignē signatum. Ecce etiam fumus signans est imperfectior igne signato.

Quod hæc diffinitio sit bona, probatur, quia constat ex omnibus requisitis ad bonam diffinitionem. Requisita sunt, quod constet genere, & differentia: secundō, quod sit clarior diffinito: tertio, quod conveniat omni, & soli diffinito: quarto, quod non sit superflua, nec diminuta. Sed omnes istæ conditiones apparent in diffinitione signi Augustiniana: ergo optima est. Probat minor per singula. In primis cōstat genere; vocatur genus ratio aliqua communis, in qua conveniunt diffinitum;

&

& alia, quæ non sunt diffinita. Ut in diffinitione hominis per *animal rationale, ly animal* est genus, quia est ratio communis, in qua conveniunt homo, & equus, & alia animalia. Iam verō in diffinitione signi prima verba sunt genus, quia *ly Quod se ipsum sensui ostendit,* est ratio communis, in qua conveniunt signa cum rebus, quæ signa non sunt; nam lapis, arbor, & alia visibilia, signa non sunt, & tamen se ipsa ostendunt visui. Rursus constat differentia; vocamus differentiam illud quod facit differre: sed per *ly Præter se aliquid animo ostendit,* facit differre signum à lapide, & alijs, quæ signa non sunt: ergo *ly præter se, &c.* est differentia.

Reliquæ conditiones facilius ostenduntur. Et secunda patet, quia clarius cognoscitur essentia signi per diffinitionem datam, quam per istam vocem, signum. Tertia plenè non potest hic probari, sed probatur fusè in altera parte q. 3. ubi ostenditur, quod nullum est signum propriè tale, cui non conveniat diffinitio nostra, & cum aliunde non conveniat, nisi signis; sequitur, quod convenit omni, & soli diffinito. Ac tandem nullum verbum in ea superfluit, nec deficit, sed integratur ex verbis necessariis ad explicandam essentiam

signi. Quare de primō ad ultimum recta diffinitio est.

3. Nihilominus contra illam objiciunt Arriaga, & alij, quod nostra diffinitio non convenit signis spiritualibus, nec signis Angelicis, sed solis signis humanis, & non omnibus, sed solis sensibilibus. Alij præcipuè recentiones Thomistæ dicunt eam diffinitionem non convenire signis formalibus, sed solis instrumentalibus. Quare ut diffiniant signum in communi, ut comprehendit signa spiritualia, Angelica, & humana, nec non signa formalia, dicunt, sic: *Signum est Objectum quod potentia cognoscitiva aliquid aliud à se representat.*

Nolumus hic nostram propugnare diffinitionem, objecta solvere, & recentiorū diffinitionem explodere. Videatur altera pars nostræ Dialecticæ q. 3. & 4. ubi plenè probatur, & defenditur diffinitio Augustiniana: ibi ostenditur, quod signum formale non est propriè signum; nec signa spiritualia, Angelica, & humana sunt propriè signa, sed impropiè. Quapropter diffiniendo signum propriè, debet defendi diffinitio Augustiniana: & impugnationes istæ nil probant contra eam. Sic licet diffinitio hominis, *animal rationale,* non conveniat homini picto, non ideo est mala, semel quod con-



veniat homini v̄ro, qui propriè est homo. Ergo si diffinitio signi convenit signis sensibilibus, quæ propriè sunt signa, erit bona diffinitio, etiam si non conveniat signis spiritualibus, quæ propriè non sunt signa.

4. Ipsi recentiores consequenter ad suam doctrinam dividunt signum in *Formale*; & *instrumentale*. Formale est, *Quod se ipso, & non mediante alio representat*. v.g. Dum cognoscis Petrum, conceptus intellectus se ipso representat Petrum cognitum. Instrumentale est, *Quod præexistente cognitione sui aliquid representat*. v.g. Vestigium animalis, impressum in pulvere, representat animal, quod præterijt. Utriusq; signi discrimen est, quòd signum instrumentale petit duas cognitiones, unam terminatã ad signum, alteram ad signatum, ut in exemplo dato, una cognitione attingitur vestigium, alia animal, quod pertransiit; & illa ducit intellectum ad secundam. Ceterum signum formale non petit duas, sed unicam cognitionem terminatam ad signum & signatum.

Postea subdividunt signum formale in intuitivum, & abstractivum; in indirectum, & directum; in reflexum, & directum, & in alias divisiones, quæ coincidunt cum divi-

sionibus termini mentalis. Ceterum cum juxta nostra principia non detur signum formale, aut non sit propriè signum, ideo non est cur immoremur in explicandis his divisionibus. Si quid autem in eis est scitu dignum, plenè explicabimus tradentes divisionem termini mentalis.

5. Signum ergo juxta nostra principia, & ut diffinitur à P. N. Augustino est unicè instrumentale. Et hoc dividitur primò in *naturale*, & *ad placitum*. Naturale est *Quod ex natura sua habet aliud à se animo ostendere*. Ut fumus ignem, nubes pluviam, pulsus & urina sanitatem. Signum ad placitum est *Quod ex impositione hominum aliud à se ostendit*, ut vox homo: immò omnes voces nostræ sunt signa ad placitum. Discrimen facillè observatur, notato, quòd signum naturale est idem apud omnes nationes: secus signum ad placitum, quod pendet ex hominum voluntate. Sic apud omnes nationes fumus est signum ignis; gemitus est signum doloris. At non apud omnes vox Deus significat Deum: apud Mauros, Indos, & alias nationes vel vox Deus nil significat, vel significat aliud

diversum à

Deo.

His

His additur signum *Ex consuetudine*, & diffinitur illud, *Quod ex consuetudine ducit nos in cognitionem alterius*, v.g. appositio mapparum ducit nos in cognitionem prandij, quia consuetudo solùm tali hora apponit mappas. Canis etiam ante dominum ire solitus, semel visus ducit nos in cognitionem sui domini venientis. At cum consuetudo fundetur vel in natura, vel in placito hominum, signum ex consuetudine fundata in natura, reducitur ad signum naturale, ut in exemplo de cane, cujus natura est dominum præcedere; signum autem ex consuetudine fundata in libera voluntate hominum, reducitur ad signum ad placitum, ut in exemplo dato in sonitu cymbali ad lectionem, chorum, &c.

6. Signum ad placitum subdividitur in divinum, & humanum. *Divinus qui ex voluntate Divina habet aliud à se ostendere*, ut arcus coelestis ex voluntate Divina significat nulum ultra futurum esse diluviũ. Item Sacramenta omnia ex voluntate Divina habent esse signum gratiæ internæ sanctificantis nos. Humanum *Quod ex voluntate hominum habet aliud à se ostendere*, ut omnes voces, quibus loquimur; clangor tubæ signans bellum, &c.

Rursus signum ad placitum dividitur in *Doctrinale*, & *non doctrinale*. Doctrinale est, *Quod ordinatur ad manifestandam doctrinam*. v.g. Voces, quibus utimur in Scholis, characteres, & litteræ, quibus scribimus conceptus nostros; item signa in la quibus mathematici describunt stellas, & Planetas. Non doctrinale est *Quod ex se non ordinatur ad manifestationem doctrinæ*, ut cantus galli convocantis gallinas, voces avium, &c.

Ultra signum doctrinale subdividitur in particulare, universale, & universalissimum. Particulare est, *Quod deservit ad unam solam scientiam*, ut signa astrologica, & mathematica, puta leonem, virginem, taurum, &c. Universalissima sunt voces grammaticales, & scripturæ, quibus omnes scientiæ utuntur. Unde sunt *Quæ deserviunt ad omnes scientias*. Signa universalia, *Illæ quibus manifestantur conceptus nostri quibus diffinimus, dividimus, & argumentamur*. Hæc sunt signa logica, quorum naturam, & essentiam in Logica fusiùs, hic breviter dilucidamus.

7. Rursus dividitur signum in practicum, & speculativum. Practicum est, *Quod causat illud cujus est signum*, ut Sacramenta sunt signum gratiæ, quam causant. Item cum

aliquæ causæ sint signum sui effectus, quem causant, habent esse signum practicum. Speculativum est, *Quod non causat illud, cuius est signum*, ut fumus respectu ignis, voces respectu rei significatæ, &c.

Tandem dividitur signum in rememorativum, demonstrativum, & prognosticum, rememorativum est, *Quod significat rem de præterito*, ut historiæ sacræ, & profanæ. Demonstrativum, *Quod significat rem de præsentis*, ut fumus ignem. Prognosticum, quod significat rem de futuro, ut Cœlum pluviam. In Sacramento Baptismi enumerat D. Thom. tres istas species signi, quia est *rememorativum*, quatenus significat passionem Christi præteritam: *demonstrativum*, quatenus significat præsentem sanctificationem nostram; & *prognosticum*, quatenus significat futurum finem nostræ sanctificationis, scilicet vitam æternam.

8. Observa duo. Primò, quòd signum potest esse ad placitum quoad fieri, & naturale quoad significare, vel representare. Sic imago Cæsaris est signum naturale ejus quoad representare, quia ipsum naturaliter, & apud omnes Gentes representat. At quòd imago illa fiat, pendet ex voluntate artificis, qui potuit illam

non facere, unde est ad placitum quoad fieri.

Observa secundò, quòd etiam bruta animalia habent sua signa, quibus inter se sociantur, & mutuo sibi juvant ad conservationem vitæ. Eis convenit etiam diffinitio signi à nobis data, si in prima diffinitione *ly animo* intelligas de anima sensitiva; & in secunda intelligas *ly in cognitionem* de cognitione sensitiva. Certè canis videns panem accedit, videns fustem fugit. Item semel vocatus, & certis vocibus alloquutus obedit, unde percipit illud, quod per voces nostras & alia signa ei significamus. At non percipit ista per cognitionem intellectualem, quam non habet, benè verò per sensitivam. De his fusiùs q. 4. in 2. p. Dialecticæ nostræ.

### CAPUT III.

*De termino, & de ejus divisionibus.*

1. **P**OST signum annectimus terminum, qui inter signa logicalia est simplicior, & facilior. Vox *terminus* communiter sumitur pro fine, aut limite dividente agrum ab agro, teste nostro Calepino. Quapropter limites illi, ultra quos res non se extendit

dit, & intra quos concluditur, vocantur termini rei. Et quia omne artificium logicale concluditur intra terminos, verè dicuntur termini Dialectici illæ voces, aut signa, intra quæ concluditur logicale artificium. Alij aliunde sumunt etymologiam, videlicet ex resolutione. Nam id, in quod compositum resolvitur, est terminus resolutionis; sic dum resolvitur compositum humanum in morte destruyente unionem, manent corpus, & anima, quæ erant partes componentes: istæ partes sunt termini resolutionis compositi. Et quia dum resolvitur artefactum logicale, remanent solæ dictiones, aut voces, istæ dicuntur termini.

Quidquid sit de etymologia nominis, terminum vocamus partem illam simpliciorum, ex qua conficitur artefactum logicale. Et omissis quæ plurimis diffinitionibus termini in communi, datis à Doctoribus; quas, si velis, videbis impugnatas 2. p. quæst. 1. Terminus in communi, ut comprehendit omnes terminos logicos, diffinitur sic juxta N. F. Doctorem B. Ægidium, *Est primum principium artefacti logicalis. Ly primum principium est genus, quia per illud convenit terminus cum alijs primis principijs, quæ termini non sunt v.g. materia & forma, quæ sunt*

prima principia realia compositi physici, & termini non sunt. *Ly artefacti logicalis* est differentia distinguens terminum à primis principijs physicis, quæ non sunt prima principia artefacti logicalis, sed compositi realis.

2. Artefacta logicalia sunt diffinitio, divisio, enuntiatio, propositio, & argumentatio. Hæc sunt, quæ artificialis logica efformat, sicut ars fabrilis domos, pontes, turres, &c. Omnia ista artefacta fiunt ex terminis, quamobrem dantur termini *diffinitivi*, ex quibus fit diffinitio, & intra quos clauditur diffinitum: termini *divisivi*, per quos fit divisio, & exhauritur divisum: termini *enuntiativi* componentes enuntiationem: termini *sylogistici*, ex quibus componitur propositio, & ex eis etiam argumentatio. Omnes has differentias terminorum comprehendit diffinitio nostra, secus aliorum diffinitiones, quæ cū dentur per ordinem ad componendum propositionem, solum conveniunt termino sylogistico, de quo latè q. 1. citata.

Explicatur diffinitio nostra exemplo compositi substantialis, quod componitur ex materia, & forma unitis. Materia & forma dicuntur prima principia compositi naturalis. Sunt principia, quia principiant ejus



compositionem; & sunt prima, quia sunt simplicia, & non sunt composita ex alijs. Ita artefactum logicale componitur ex terminis unitis: & termini isti dicuntur prima principia artefacti logicalis. Sunt principia, quia principiant ejus compositionem: sunt prima, quia termini sunt simplices partes logicaliales, & non sunt artefacta logicalia. Posses etiam diffinire terminum sic: *Pars simplicissima artefacti logicalis: vel illud in quod resolvitur artefactum logicale.* Ista diffinitiones coincidunt, quia idem est *Pars simplicissima, ac primum principium compositionis.* Item cum compositum resolvatur in eas partes, ex quibus componitur, idem est *Esse primum principium artefacti, ac illud in quod ultimò resolvitur.*

3. Dividitur primò terminus in diffinitivum, enuntiativum, & syllogisticum, quibus adde terminum divisivum. Terminus. *Diffinitivus est primum principium diffinitionis.* v.g. In diffinitione hominis *animal rationale*, utraque vox est terminus diffinitivus, & communis. Omnis diffinitio, quæ constat genere, & differentia, constat ex eis ut ex duobus terminis, intra quos clauditur diffinitum. Ex hinc dicitur, quòd Deus diffiniri non potest, quia ratione sua infinitatis nequit claudi

lis terminis. Terminus *Divisivus est primum principium divisionis.* Sic in omni divisione membra dividenda sunt termini, per quos fit divisio, & per quos exhauritur divisum. v.g. Dum dicitur: *Animal, aliud rationale, aliud irrationale.* Rationale, & irrationale sunt membra dividenda, & etiam sunt termini, quibus fit divisio.

Terminus *Enuntiativus est primum principium enuntiationis.* Terminus *Syllogisticus est primum principium propositionis.* Utriusque exemplum patet in hac oratione *Petrus est homo*, quæ sub una consideratione est propositio, & sub alia est enuntiatio: quarum discrimen dabimus libro 2. ut illa oratio est propositio, partes ejus sunt termini syllogistici; ut autem illa est enuntiatio, partes ejus sunt termini enuntiativi. Ex quo colliges, quòd eo modo termini enuntiativi differunt à syllogisticis, quo propositio differt ab enuntiatione, de qua loco citato.

4. Terminus diffinitivus subdividitur in genericum, & differentialem. Diffinitivus genericus est *Primum principium diffinitionis, ut ratio conveniendi.* Diffinitivus differentialis est *primum principium diffinitionis ut ratio distinguendi.* Utriusque exemplum patet in diffinitione hominis. Nam *animal*

*mal* est terminus diffinitivus genericus, *rationale* terminus diffinitivus differentialis. Observa duo: primum, quòd cum quælibet dictio sit impropria diffinitio ejus, quòd significat; hoc sensu quælibet dictio est terminus diffinitivus. Secundum est, quòd, quæ diximus de partibus methaphysicis diffinitionis, applicanda sunt ad terminos, ex quibus componitur diffinitio per partes physicas, diffinitio per causam, diffinitio descriptiva, & aliæ, de quibus agemus cap. de diffinitione.

Terminus enuntiativus subdividitur in *nomen*, & *verbum*, quæ juxta Aristotelem sunt partes enuntiationis. De nomine, & verbo infra. Terminus etiam syllogisticus subdividitur in *subjectum*, & *predicatum*, quorum diffinitiones dedimus capite 1. num. 1. Terminus tandem divisivus subdividitur in *physicum*, *metaphysicum*, *integrale*, &c. Iuxta varias species divisionis, de quibus infra, nam divisio alia est per partes physicas, alia per methaphysicas, &c. Et terminus divisivus *Physicus est primum principium divisionis physica: metaphysicus primum principium divisionis Metaphysica; & sic de alijs.*

5. Rursus terminus syllogisticus subdividitur in *mentalem*, *vocalem*, & *scriptum*.

Syllogisticus *Mentalis est primum principium propositionis mentalis. Vocalis est primum principium propositionis vocalis.* Scriptus est *Primum principium scriptæ.* Et observa, quòd sicut datur propositio mentalis, vocalis, & scripta; ita diffinitio mentalis, vocalis, & scripta; & idem de divisione, & enuntiatione. Quare etiam dantur termini diffinitivi mentales, vocales, & scripti, & idem de alijs: quare quòd dicitur de termino syllogistico, intellige de reliquis. Sed claritatis gratia prosequemur reliquas divisiones in solo termino syllogistico.

## CAPUT IV.

*Terminus syllogisticus mentalis dividitur in sua inferiora.*

1. **P**rimo dividitur terminus mentalis in *Ultimatum*, & *non ultimatum.* Terminus ultimatus est *Cognitio, qua cognoscimus vocem, & ejus significatum.* Non ultimatus est *Cognitio, qua solum cognoscimus vocem, aut signum, sed non ejus significatum.* Sit exemplum in hac voce, *amor*, prolata ante Latinos, & Græcos. Græci cognoscunt vocem illam aliquid significa-

rē ex intētionē proferentis, sed nesciunt quid sit res significata: ecce cognitio illa est non ultimata, & terminus mentalis non ultimatus, quia non pertingit usque ad ultimum, quod debebat cognoscere. At contra Latini cognoscunt vocem, *amor*, & ejus significatum, sicque cognitio Latinorum est ultimata, & terminus mentalis ultimatus, quia attingit ultimū quod debet cognosci.

Nec de solis vocibus est doctrina ista, sed de quibuscumque signis. Audientes clangorem tubæ militaris, si sint milites cognoscunt signum, & etiam signatum, nam sciunt talem sonum esse ad pugnam, non ad fugam. Scholastici, & alij non profitentes artem militarem, audiunt sonitum, noscunt signum, sed ignorant significatum, quia nesciunt, an sit pro pugna, an pro fuga. Ecce cognitio militum est terminus mentalis ultimatus; aliorum verò mentalis non ultimatus. Et observa cum nostro Villanova, quòd etiam inter cognoscētes rem significatam, aliqui plenè cognoscunt, alij non plenè. v.g. Vox *amor* plenè noscitur à Philosophis, imperfectè à rusticis. Quare cognitio plena est ultimata, altera est non ultimata.

2. Secundò dividitur terminus mentalis in *Intuitivum*

& *abstractivum*. Intuitivus est cognitio rei presentis. Ut cognitio qua cognosco hanc papirum. Abstractivus est *Cognitio rei absentis*. Ut cognitio qua quis cognoscit, aut recordatur sui Patris defuncti. Nota quòd ceteris paribus cognitio intuitiva est certior, quàm abstractiva: at non semper, quia nostra fides, quæ est cognitio abstractiva, est certior, quàm cognitio scientifica, & intuitiva naturalis. Nota etiam quòd semper præcedit cognitio intuitiva abstractivam, sicut dum recordaris tui Patris, quæ prius vidisti. Et dum cogitas de urbe Roma quam non vidisti, habes cognitionem abstractivā, ceterū præcessit cognitio intuitiva alterius civitatis, quam vidisti, ad cujus instar imaginaris Romam.

3. Tertio dividitur terminus mentalis in *directum*, & *reflexum*. Directus est *Cognitio objecti distincti ab ipsa cognitione*. Reflexus est *Cognitio cognitionis*. Sit exemplum, cognosco lapidem, & cognosco me cognoscere lapidem. Prima cognitio est directa, & terminus directus, quia directè tendit in objectum distinctum à cognitione, tendit enim in lapidem, qui distinguitur à cognitione. Secunda cognitio est reflexa, & terminus reflexus, quia objectum ejus est cog-  
tio

tio, quam habui de lapide; quare est cognitio cognitionis.

Nota primò, quòd cognitio cognitionis debet esse in eodē cognoscente. Quare dum ego cognosco te cognoscere, non est cognitio mea reflexa, sed directa. Ratio est, quia licet sit cognitio cognitionis, est in diverso cognoscente; nam in te est una cognitio, & in me alia. Quare dum datur cognitio reflexa debet esse in eodē cognoscente utraq; cognitio, & cognita, & cognoscens. Nota etiam, quòd solus intellectus noster, & nostra voluntas sunt reflexivæ; possumus enim cognoscere nos cognoscere, & amare amorem nostrum, & velle nostrum velle: at non possumus videre nostram visionem, nec audire nostram auditionem, &c. Et si aliquando dicis: *Video me videre*; *video me non esse cæcum*. Locutiones istæ desumuntur ab intellectu, quia idè sunt veræ, quia æquivalent his, *Cognosco me videre*, *non esse cæcum*, &c.

4. Quarto dividitur terminus mentalis in terminum *Primæ intentionis*, & *secundæ intentionis*, & ut antiqui dicebant, *primæ impositionis*, & *secundæ impositionis*. Terminus primæ intentionis est *Conceptus rei secundum illud quod habet independenter ab intellectu nostro*. Terminus secundæ intentionis est *conceptus rei secundum illud quod habet ab intellectu nostro*. v.g. Cognoscis hominem es-

se animal rationale: item cognoscis quòd est species prædicabilis, universalis, &c. Prima cognitio est terminus primæ intentionis, quia esse animal rationale convenit homini per se, & non beneficio nostri intellectus. At secunda cognitio est terminus reflexus secundæ intentionis, quia ex se non habet homo esse universalem, & speciem prædicabilem, sed beneficio intellectus, ut dicemus in tertio & quarto libro Logicæ.

Hic poterat terminus mentalis dividi in univocam, æquivocam, & analogum: item in communem, & singularem, & in alias divisiones. Ceterum easdem diffiniemus in divisionibus termini vocalis, ubi clariores sunt, & ex ibi dicendis, potest facile quispiam doctrinam hic applicare.

## CAPUT V.

*Terminus vocalis dividitur in sua inferiora*

1. **T**ERMINUS vocalis primò dividitur in *significativum*, & *non significativum*. Significativus est *Qui significat aliquid distinctum à se*. v. g. *Homino*, *lapis*. Non significativus, *Qui se solum*, & *nihil aliud à se distinctum manifestat*, ut *blati*  
C *ctiri*

*Bliſſiri*, quod repræſentat ſe ipſum, ſed non manifeſtat ali- quid à voce diſtinctum.

Terminus ſignificativus dividitur in *cathegorematicum*, & *ſincathegorematicum*, & omiſſis aliorum diſſinitionibus quas benè impugnat N. Villa- nova, diſſinitur ſic cum no- ſtro B. Ægidio 1. Perhierm. cap. 1. Cathegorematicus eſt, *Qui ſignificat rem, vel ejus carentiam*. Sincathegorematicus eſt, *Qui ſignificat modum, vel habitudinem rei*. Totam vide in hac propoſitione *Omnis homo vehementer amat ſui conſervationem*: ly *homo*, *amat*, *conſervationem*, ſunt termini cathegorematici, quia ſignificat rem aliquam, ſcilicet humanitatem, amorem, & durationē exiſtentia. At ly *Omnis*, *vehementer*, ſunt termini ſincathegorematici, quia *vehementer* non ſignificat rem, ſed modū, & intenſionem amoris; ly *omnis* dicit totalitatem rei, ſicut *nullus* dicit excluſionem hujus totalitatis.

2. Nota primò, omnia adverbia eſſe terminos ſincathegorematicos, quia omnia ſignificant modum rei, non rem. Nota ſecundò, quòd ſicut apud Grammaticos nunquam eſt nomen adjectivum ſine ſubſtantivo, & tamen aliquando ponuntur duo adjectiva ſola, v. g. *Bonorum meorum*

*non indiges*, quod habetur in Pfalmis; & illud ſatis tritum *Omnia mea mecum porto*: ubi vi- des bina adjectiva ſine ſubſtã- tivos: at tunc unū adjectivū gerit vices ſubſtãtivi. Ita nomina adjectiva ex ſe ſunt ſincathegorematica: ceterum aliquãdo ponuntur ſe ſola in propoſitione, & per modū ſubſtãtivi, & tunc ſunt termini cathegorematici. Sic dicendo: *Petrus eſt magnus*, & *Petrus eſt Philoſophus magnus*, in 1. propoſitione ly *magnus* eſt terminus cathegorematicus, quia per ſe ſolus prædicatur, & eſt quaſi ſubſtãtivè. In ſecunda eſt ſincathegorema- ticus, quia non prædicatur per ſe, nec dicit rem, ſed modū, & gradū Philoſophiæ, quæ prædicatur de Petro.

3. Terminus cathegorematicus ſubdividitur primò in *communem, univerſalem, & ſingularem*. Recentiores non diſtinguunt inter cõmunē, & univerſalē, quare diſſiniunt terminū *communē illum, qui ſignificat plura diverſim ſingularē, qui ſignificat unum tantum*. At videbis in 2. p. noſtræ Dialecticæ q. 2. §. 1. ex D. Thom. & N. B. Ægid. has diſſinitiones RR non eſſe rectas; & quòd terminus communis debet diſtingui ab univerſali.

Dicendum eſt ergo, quòd terminus cõmunis eſt, *Qui ſignificat rem pluribus communi- cabilem ſine reali multiplicatione.*

ut

ut *Deus, Omnipotens, Immensus*, qui ſignificant unicam Deitatem, unicam Omnipotentiam, & unicam Immenſitatem communicabilem tribus Divinis Perſonis ſine multiplicatione: quia non ſunt plures Deitates, Omnipotentia, &c. ſed unica pluribus Perſonis communis. Terminus *Univerſalis* eſt, *qui ſignificat rem pluribus communem cum reali multiplicatione*. Ut *homo*, qui ſignificat humanitatem communem Petro, Paulo, & alijs, ſed in illis multiplicatam, quia tot ſunt humanitates, quot individua quibus communicatur.

Suppoſita tali diſtinctione termini communis ab univerſali, datur duplex terminus ſingularis, unus qui opponitur termino communi, & eſt, *Qui ſignificat unum tantum pluribus incommunicabile*. v. g. *Petrus*. Terminus ſingularis oppoſitus univerſali eſt, *Qui ſignificat unum tantum pluribus communicabile*: ut *Deus, Omnipotens, etc.* Quo jam vides quòd idem terminus eſt communis, & ſingularis ſingularitate oppoſita univerſalitati. De his latius loco citato.

4. Terminus univerſalis ſubdividitur in *univocum, equivocum, et analogum*. Et omiſſis aliorum diſſinitionibus, quæ licet forſan ſint plùs adæquata, pro Summuſtibus ſunt ni-

mis obſcura, dicendū eſt, quòd univocus eſt, *Qui ſignificat rem, in qua plura plene conveniunt, ut homo*, qui ſignificat humanitatem in qua Petrus, Paulus, & alij homines plene conveniunt, quia æquè, & uniformiter ſunt homines. *Equivocus* eſt, *Qui ſignificat rem in qua plura ejuſdem nominis nullo modo conveniunt*. v. g. *Canis*, qui ſignificat canem terreſtrem, cœleſtem, & marinum. Iſta plura conveniunt in nomine *canis*, ceterum nihil ſignificatur in quo conveniant, quare in re ſignificata per nomen *canis*, nullam habent convenientiam.

Terminus analogus eſt, *Qui ſignificat rem in qua plura partim conveniunt, et partim differunt*. Ut *riſus* dicitur de homine, & de prato, ſignificat hilaritatem, in qua partim conveniunt, & partim differunt. Ex quò colliges, quòd terminus analogus eſt quaſi medius inter univocū, & equivocum. Colliges ſecundò, quòd terminus æquivocus addito termino reſtringente poteſt fieri univocus, ut ſi dicas *canis terreſtris vel canis marinus*. Per illud additum terminus *canis* qui erat æquivocus, redditur

univocus ad omnes terreſtres, & ad omnes ma-

rinos.

5. Colliges tertio, quod analogus, solitariè sumptus, stat pro famosiori. v. g. Ens quod est analogum ad substantiam, & accidens, si per se solum ponatur, significat substantiam, quæ est principalius analogatum. *Risus* etiam per se sumptus stat pro risu hominis. Colliges quarto, quod in propositione terminus æquivocus, & analogus, tales sunt, quales permittuntur à prædicatis v. g. *Canis est latrabilis. Ly canis ex se erat æquivocus ad caelestem, & marinum: ceterum à prædicato restringitur, ut supponat solum pro cane terrestri, quia ei solum convenit prædicatum latrabile.*

Hinc facilè percipies quid sit terminus denominativus; est enim *Qui significat rem habentem appellationem ab alio, solo differente casu, ut Grammaticus, qui sumit originem, & appellationem à Grammatica: Philosophus à Philosophia.* Et nota quod id à quo sumitur origo, & appellatio, dicitur terminus denominans: alter qui sumitur dicitur denominativus; & subjectum cui applicatur dicitur denominatus.

6. Terminus singularis subdividitur in determinatum, & vagum. Determinatus est, *Qui significat aliquid singulare determinatum: ut Petrus: hic homo.* Singularis vagus est

qui significat aliquid indeterminatè, & vagè, ut *unus homo: aliquis homo.* Nota quod hic pro determinatione, vel indeterminatione attenduntur signa; & quædam sunt determinata ut *hic, ille, iste.* Alia indeterminata, ut *aliquis, quidam, unus, alter.*

Terminus tam communis, quàm singularis subdividitur in transcendentem, & non transcendentem. Transcendens est, *Qui significat rem prædicabilem etiam de ultimis differentijs, ut substantia, quæ prædicabilis est de homine, de vivente, de animalitate, & de Petreitate, quæ est ultima hominis differentia, valet enim vivens est substantia: animal est substantia, rationale est substantia, Petreitas est substantia.* Tales termini sunt qui continentur litteris hujus dictionis *reubau, & sunt Res, ens, verum, bonum, aliquid, unum.* Non transcendent est *qui significat rem non prædicabilem de ultimis differentijs, ut animal, homo &c.*

## CAPVT VI.

De alijs divisionibus termini vocalis.

I. DIVIDITVR terminus vocalis etiam in comple

plexum, & incomplexum. Complexus est *Cujus partes separate aliquid significant juxta significationem totius.* v. g. *Homo justus.* Nota hic duas esse dictiones, sed est unicus terminus cõplexus ex utraque, quia se habent dialecticè per modum unius, & facta divisione partes significant juxta significationem totius. Ex quo colliges, quod hic terminus *Dominus* non est complexus, sed incomplexus. Ratio est, quia facta divisione sic *Do, minus, vel domi, nus,* licet aliquid significant partes; illud tamen non est juxta significationem totius: nam *do* significat dare; *minus* diminutionem quantitatis, quod longè distat a significato vocis *Dominus.*

Id ipsum patet in nominibus compositæ figuræ, ut *respublica, Paterfamilias, &c.* videntur enim termini complexi, sed non sunt, quia divisum nomen *respublica* dicit *publicam rem,* & unitum dicit congregationem civium. Sic divisum secundum dicit *Patrem, & familiam,* sed unitum dicit gubernatorem domus; ecce utrobique partes significant separatæ, at non juxta significationem totius, sed longè aliter, quare non sunt termini complexi, sed incomplexi. Diffinitur ergo incomplexus *Cujus partes separate non signifi-*

cant juxta significationem totius.

2. Notandum, quod si voces idem significantes ununtur, non sunt terminus complexus, sed synonyma incomplexa, ut *Marcus Tullius Cicero.* Item ut detur terminus complexus oportet voces significativas habere ordinem inter se, v. g. *Pallium Petri: Petrus, & Paulus: Petrus sapiens.* At si dicas *Homo lapis: sapiens dulcis, & alia hujusmodi,* quæ vel repugnât uniri, vel se habent disparatè, non sunt terminus cõplexus, sed aggregatio repugnans, vel impertinens incomplexorum.

Hic solent disputare DD, an terminus complexus differat ab oratione, quæ ab Aristot. diffinitur *Vox significativa ad placitum, cujus partium aliquid significativum est, ut dicitur.* Affirmant communiter, sed negant Oviedo, Prado, & alij, & videtur mens N. Ægidij. 1. Elench. dubio 4. ad illa verba: *Nam utriusque Ratio affirmandi est assignare discrimen, quod non apparet facile.* Sed dicendum pro communi sententia, quod de ratione orationis nõ est quod *Omnes partes significant;* benè verò de ratione termini complexi. Discrimen colligitur ex diffinitionibus, nam terminus complexus est *Cujus partes separate significant.*

Ecce omnes partes debent significare. Oratio est *Cujus partium aliquid significat*. Ecce non omnes, sed aliqua pars orationis debet esse significativa. Vnde si dicas *Blicieri trisyllabum*, profers orationem, sed non terminum complexum.

3. Terminus complexus, & incomplexus subdividuntur in terminum *finitum*, & *infinitum*. Finitus est *Qui significat rem aliquam determinatè*, ut homo, leo, lapis, &c. Infinitus est *Qui nihil determinatè significat*, hoc est, qui non determinat quid sit res, sed quid non sit, ut *Non homo*, *non leo*, *non lapis*. Sic dicendo, *Non homo currit*, non determinat quis currat, sed determinatè negat hominem currere, affirmando indeterminatè aliquid, quod non est homo, currere.

Nota primò, quòd negatio potest sumi neganter, & infinitanter. Quando sumitur *neganter* tunc cadit supra copulam propositionis, & removet prædicatū à subiecto: quando verò sumitur infinitanter, tunc cadit supra subiectū, aut prædicatum. Ex quo sequitur, quòd sumpta negatione *neganter*, propositio est negativa, quia negatur copula: sumpta *infinitanter*, propositio est affirmativa, quia manet copula affirmans, & non afficitur negatione,

Totum vide in hac propositione *Non homo currit*. Si *ly* non sumitur neganter, sensus ejus est *Homo non est currens*. Ecce negatio cadit supra copulam & est propositio negativa. Si verò sumatur negatio infinitanter, sensus ejus est *Omne, vel aliquid, quod non est homo, est currens*. Ecce negatio non cadit supra copulam, sed supra subiectum, unde negans hominem, de non homine affirmat cursum, & sic est propositio affirmativa. An autem nomina universalialia ut *ens*, & signa universalialia *omnis*, *nullus* possint infinitari? Disputat N. B. Ægidius q. 2. supra 2. lib. Perhierm.

4. Nota secundò discrimen inter terminum *privativum*, & *negativum*: hoc desumitur ex differentia negationis, & privationis. Negatio dicit solam carentiam formæ: ac privatio dicit carentiam formæ in subiecto capaci illius. Quo fit, ut terminus negativus sit, *Qui significat carentiam formæ in subiecto non apto, ut non videns dictum de lapide*. Terminus privativus est *Qui significat formæ carentiam in subiecto capaci illius*. Ut *cæcus* dictum de homine. Vnde hæc prædicatio est *falsa lapis est cæcus*, & hæc est *vera lapis est non videns*. Ratio primi est, quia cæcus dicit capacitatem visus,

quam

quã non habet lapis. Ratio primi est, quia *non videns* dicit carentiam visus in subiecto nõ apto & talis est lapis.

5. Rursus terminus *cathegorematicus* dividitur in *collectivum*, & *divisivum*. *Collectivus* est, *Qui in singulari numero significat plura copulativim, ut Roma, Matritum, &c.* Ita communiter, sed videtur non benè apposita particula *in singulari numero*. Nam Athenæ, Hispaniæ, Parisij, dicuntur in plurali, & sunt termini *collectivi*, quia significant plura *conjunctim*. *Divisivus* est *Qui significat unum tantum, aut plura divisim, ut Petrus, homo, &c.* Nota pro utriusque claro discrimine. Si terminus est *divisivus*, potest prædicari de aliquo singulari, nam valet *Petrus est homo, hic est Petrus*. At si est *collectivus* non potest prædicari de aliquo singulari, quare non valet hæc *domus est Roma, sed hæc, & illa, & illa*, numeratis omnibus quæ sunt intra mænia romana, sunt Roma.

6. Terminus item *cathegorematicus* dividitur in *concretum*, et *abstractum*. *Concretus* est *Qui significat formam ut in subiecto, ut album, dulce*: significant enim formas albedinis, & dulcedinis, ut in subiecto. *Abstractus* est *Qui significat formam præcisam à sub-*

*jecto*, ut albedo, dulcedo. Et nota quòd cum forma alia sit *substantialis*, alia *accidentalis*, concretum, & abstractum, subdividuntur in *substantiale*, & *accidentale*, quorū diffinitiones patent addendo supra formam *ly substantialem*, vel *ly accidentalem*. Exempla de accidentalibus data sunt; de substantialibus, *animatum* est concretum *substantiale*, anima abstractum *substantiale*; idem de *vivente*, & *vita*, & de alijs.

Nota secundò ex N. B. Doct. B. Ægidio in 3. Sentent. dist. 1. p. 1. q. 1. art. 6. dub. 1. & de Cognitione Angelorum q. 9. Quòd concretum principalis dicit formam, & minus principaliter dicit subiectum. Sicut *album, & homo* principalis dicunt albedinem, & humanitatem, & minus principaliter subiectum albedinis, & suppositū humanitatis. Ex quo fit, quòd multiplicatis formis, multiplicentur concreta, secus multiplicatis subiectis. Rem vide. Si unum subiectum haberet plures albedines, esset plura alba. E contra si plura subiecta haberent eandem albedinem, non essent plura alba, sed unicum, ratione unius formæ. Horum ratio est, quia ad multiplicationem concreti attenditur multiplicatio principalis significati, & hoc est forma. Sic si tres Personæ Divinæ as-

sum-

sumpissent eandem humanitatem, non essent tres homines, sed unu homo.

7. Tandem dividitur terminus in *absolutum*, & *connotativum*. N. Villanova dicit absolutum esse, *Qui significat unam rem solam*, ut homo, Deus. Connotativum *Qui significat rem, & consignificat aliam*, & rationem dat, quia connotare est cum alio notare. Ceterum cum homo sit terminus concretus significans humanitatem, ut in subjecto, jam homo duo dicit, scilicet humanitatem, quam significat, & subiectum quod consignificat. Ergo homo erit terminus connotativus, quod est contra communem doctrinam.

Ob hæc dicendum est cum communi sententia, quod terminus absolutus est *Qui significat aliquid per modum per se stantis*, ut homo, albedo. Connotativus est *Qui significat aliquid per modum alteri adjacentis*, ut album. Nota ut distinguas absolutum à connotativo, quod nomen si est substantivum, tunc est terminus absolutus, quia significat per modum substantiæ, etiam si in re non sit substantia, ut albedo. At si nomen est adjectivum, tunc est terminus connotativus, quia significat per modum accidentis adjacentis, etiam si in re non sit accidens, ut *humanum, vi-*

*vens.*

8. Colliges primò omne connotativum esse concretum, quia omne adjectivum est concretum: at non omne concretum est connotativum, quia plura sunt nomina substantiva, ut homo, Deus, lapis, &c. quæ sunt concreta, sed non sunt connotativa, quia adjectiva non sunt, nec significant per modum alteri adjacentis, sed substantivè. Item omne abstractum est absolutum; sed non omne absolutum est abstractum; quia homo, Deus, &c. sunt termini absoluti, sed non abstracti.

Colliges secundò terminos, concretum, & connotativum, unum significare, & pro alio supponere. Significant enim principaliter formam, ut dictum est num. 6. sed supponunt in propositione non pro forma, sed pro subiecto. Sic dum dicitur *album est dulce*, non est sensus *albedo, est dulcedo*, quia sic propositio esset falsa: sed *subiectum albedinis est subiectum dulcedinis*, & sic est vera.

Colliges tertio: Quid sit dicere rem *in obliquo*, quid *in recto*? Dicere in obliquo est dicere rem in casu distincto à nominativo: dicere in recto est dicere rem in nominativo. Sic *Simitas est curvitas nasi*. Ecce duo dicit *curvitas nasi, cur-*

*curvitatē dicit in recto, nāsum in obliquo.*

## CAPUT VII.

*De divisione terminorum in numero plurali.*

1. TERMINI in numero plurali alij sunt *pertinentes*, alij *impertinentes*. Terminus pertinet est *Qui alium infert, vel illi repugnat*. Sic homo, & risibile sunt pertinentes, quia unus infert alium, valet enim, *est homo: ergo est risibilis*. Sic etiam homo, & leo, sunt pertinentes, quia unus alteri repugnat, valet enim, *est homo: ergo non est leo*. Terminus impertinet est *qui nec alium infert, nec illi repugnat: ut homo, & albus*, non enim valet, *est homo: ergo est albus: est homo: ergo non est albus*.

Termini pertinentes alij sunt *pertinentes sequela*, alij *pertinentes repugnantia*. Primi sunt, *quorum unus infert aliam*, ut homo, & risibile. Secundi sunt, *quorum unus repugnat alteri*, ut homo, & equus. Rursus pertinentes sequela alij sunt *convertibiles*, alij *inconvertibiles*. Convertibiles sunt *quorum quilibet infert alium per mutuam consequentiam*. Ut *homo, & rationale*, valet enim

*est homo; ergo est rationalis, & econtra est rationale: ergo est homo*. Inconvertibiles sunt, *quorum unus tantum infert aliam*, ut homo, & animal, valet enim *est homo: ergo est animal*. Sed non valet, *est animal: ergo est homo*, quia potest esse equus.

2. Alij termini convertibiles sunt *synonymi*, alij *non synonymi*. Synonymi sunt *qui significant idem, & adequatè eodem modo*, ut ensis, gladius. Terminus *non synonymi sunt, qui significant idem, sed non eodem modo, vel non adequatè*, ut homo, & animal rationale: hæc enim idem significant, sed aliter, quia homo est definitum, & animal rationale definitio.

Termini pertinentes repugnantia, alij sunt oppositi contradictoriè, ut *homo, & non homo*: alij oppositi contrariè, ut *album, & nigrum*: alij oppositi privativè, ut *videns, & cæcus*: alij oppositi relativè, ut *Pater, & filius*. Alij subalternè, ut *homo, & Petrus*. De quibus agemus in 2. libro tractantes de oppositione propositionum.

3. Pater August. libro de decem categorijs cap. 2. & 4. explicat has voces synonyma, homonyma, polionyma, heteronyma, & paronyma. Synonyma supra explicata sunt.



*Homonyma* sunt quæ uno nomine explicantur, differunt tamen interpretatione nominis, ut homo pictus, & homo verus, conveniunt in nomine *homo*, sed differunt in explicatio-  
*Polionyma* sunt, quæ conveniunt in nomine, & significatione nominis, ut *animal* æquè dictum de homine, & equo. *Heteronyma* sunt, quæ à multis nominibus res singulas tenent, ut *homo, terrenus, mortalis*, homo ab humanitate, terrenus à terra, mortalis à necessitate moriendi. Hæc suprâ dicta sunt nomina, aut termini denominativi. *Paronymum* quod aliunde nomen accepit, ut Medicus à Medicina. Istæ est terminus denominativus. Si simul ponas plures, dicuntur Heteronymi: si unicum dicitur Paronymum.

## CAPUT VIII.

*De proprietatibus terminorum, & præcipuè de suppositione.*

**S**UPPOSITIO, appellatio, ampliatio, restrictio, ascensus, & descensus sunt proprietates terminorum, de quibus tractant DD. In 2. libro Summularum, quia solam intra propositionem cognoscuntur, & exercentur. Ce-

terum, cum notitia proprietatum maximè conducatur ad cognitionem essentia; idè si in hoc primo libro agitur de essentia termini, meritò consequenter agendum est de proprietatibus; & in hoc capite de suppositione, quæ inter proprietates termini præcipua est.

Suppositio in lata acceptione est idem ac substitutio, vel positio pro alio: ita Gubernator supponit pro Rege, quia loco ejus substituit. Ceterum juxta nostrum B. Ægidium in 3. dist. 10. q. 2. art. 2. dub. 2. §. *Sed fortè*. Suppositio est idè ac *sub alio positio*. Quo sensu Theologi, & Metaphysici vocant suppositum, quod est positum sub natura communi, & universali. At suppositio Dialectica, qua voces substituunt pro rebus significatis, plus conformatur primæ acceptioni, quàm secundæ.

2. Noster Villanova impugnata diffinitione communi suppositionis Dialecticæ, dat istam. *Est positio tacita sub positione expressa*. Ly *positio tacita* habet locum generis. per quod convenit suppositio cum antepositione, simulpositione, & postpositione. Ly *sub positione expressa* habet locum differentia.

Probat à ratione hanc diffinitionem, quia in propositionibus sæpius negatur sup-

pq

## LIB. I.

positum, v.g. in hac *Album est disgregativum visus lapidis*: ergo hic datur suppositio, quæ quia falsa, negatur. At suppositio hæc falsa est tacita positio visus lapidis, quæ ponitur sub expressa positione terminorum dictæ propositionis: ergo suppositio est positio tacita sub positione expressa.

3. Nihilominus clarior est diffinitio communis, qua dicitur, quod suppositio est *acceptio termini pro aliquo, de quo verificatur juxta exigentiam copula*. v.g. *Petrus est homo; Petrus est nomen*. Ecce ly *Petrus* in prima accipitur pro significato, & in secunda pro voce; quare aliter supponit in prima, ac in secunda, quia aliter petit copula, & prædicatum, accipi terminum *Petrus* in prima ac in secunda, quare in utraque suppositio termini est acceptio ejus pro aliquo de quo verificatur juxta exigentiam copula.

Dividitur primò suppositio in *realem, & formalem*. Formalis est *Acceptio termini pro suo significato*. Materialis est *Acceptio termini pro voce*. Sic in propositionibus datis *Petrus* supponit formaliter in prima, & in secunda materialiter: quia in prima sumitur *Petrus* pro suo significato, cui soli convenit esse hominem. In secunda sumitur pro voce, cui

## CAP. VIII.

soli convenit esse nomen.

4. Suppositio formalis subdividitur in *propriam, & impropriam*. Propria est *acceptio termini pro suo proprio significato*. Ut *Petrus est homo*, ubi voces accipiuntur pro eo, quod propriè significant. Impropria est *Acceptio termini pro eo quod impropriè significat*, ut dum de Christo dicitur *Vicit leo de Tribu Juda*, ly *leo* dictum de Christo supponit impropriè, quia ut observat P. N. dicitur per similitudinem non per proprietatem, quemadmodum dicitur *Vitis, lapis angularis*, & cetera hujusmodi, ex quibus ducuntur istæ similitudines, non proprietates.

Rursus suppositio propria subdividitur in *realem, vel personalem, & simplicem*. Suppositio realis vel personalis est *Acceptio termini pro suo significato directè cognito*. Simplex est *Acceptio termini pro suo significato reflexè cognito*. Sit exemplum in his, *Petrus est homo: Petrus est individuum*. In prima Petrus supponit realiter, quia supponit pro significato cognito directè secundum illud esse quod habet independentè ab intellectu. In secunda Petrus supponit simpliciter, quia sumitur pro significato cognito reflexè secundum illud esse quod habet Petrus ex vi cognitionis. Melius hoc percipies

ex dictis cap. 4. num. 4. ubi explicavimus terminos primæ, & secundæ intentionis. Nota, quod si prædicatum est terminus primæ intentionis, tunc subiectum supponit *realiter*: si verò prædicatum sit terminus secundæ intentionis, tunc subiectum supponit simpliciter.

5. Rursus suppositio realis dividitur in *naturalem*, & *accidentalem*. Naturalis est *Acceptio termini pro suo significato in materia necessaria sine ulla restrictione*. v.g. *homo est animal*, quod verificatur nedum de viris, sed de foeminis; & nedum de præfenti, sed de præterito, & futuro. Accidentalis est *Acceptio termini pro significato in materia contingenti secundum restrictionem verbi*. v.g. *homo disputat*, ubi ly *homo* supponit solum pro viris, & per verbum restringitur ad solum tempus præfens.

Rursus dividitur suppositio in *communem*, & *singularem*. Communis est *Acceptio termini pro suo significato communi: ut homo est rationalis*, quod de omni homine est verum. Singularis est acceptio termini pro suo significato singulari, ut *hic homo currit*, quod de singulari homine affirmatur cum veritate.

6. Præterea: Suppositio communis subdividitur in *Distributivam*, *copulativam*, &

*terminatam*, & *confusam*. Suppositio distributiva est *Acceptio termini communis pro omni contento sub illo, ita ut de singularibus copulativè, & divisivè possit affirmari quidquid affirmatur de ratione communi*. v.g. *Omnis homo est animal*, ly *homo* supponit distributivè, quia ly *animal* potest affirmari de Petro, & Paulo, vel divisivè, dicendo *Petrus est animal*, *Paulus est animal*: vel copulativè dicendo *Petrus & Paulus sunt animal*.

Suppositio copulativa est *Acceptio termini pro omni suo significato solum conjunctim sumpto*, sicut dum dicis: *Omnia elementa sunt quatuor*, non valet divisivè prædicari, quod ignis sit quatuor, aqua est quatuor, &c. sed benè copulativè, & conjunctim, sic, *Ignis, aer, aqua, & terra sunt quatuor*.

Suppositio determinata est acceptio termini communis affecti signo determinato pro aliquo singulari determinatè. v.g. *Aliquis homo currit*, ly *homo* est terminus communis, & supponit determinatè, quia supponit pro omnibus hominibus, sed determinatè pro uno, & hoc in vi illius signi determinati aliquis. Suppositio autè confusa est *Acceptio termini communis pro uno ex suis singularibus indeterminatè*, &

*confusè*. Ut dum dicis, *Oculus requiritur ad videndum, auris ad audiendum*; *auris, & oculus* supponunt confusè, quia supponunt pro uno, sed non determinant qualem, an dextrum, an sinistrum.

7. Rursus suppositio distributiva subdividitur in *absolutam*, & *accommodam*. Absoluta est acceptio termini communis pro omni suo significato sine ulla restrictione, ut *omnis homo est animal*, quod de omnibus sine restrictione est verum. Accommoda est *Acceptio termini communis cum aliqua limitatione*. Sic dum Apost. dicit: quod *Omnes in Adam peccaverunt*, ly *omnes* intelligitur cum distributione accommoda, hoc est de omnibus filiis Adæ excipiendo Beatissimam Virginem Matrem, de qua piè credimus in Adamo non peccasse.

Tandem suppositio distributiva dividitur in *completam*, & *incompletam*. Completa, quæ dicitur *pro singulis generum*, est acceptio termini communis pro speciebus, & pro omnibus individuis. v.g. *omne animal est vivens*. Ly *animal* non solum supponit pro speciebus leonis, equi, elephantis, &c. sed pro individuis illarum specierum, quia de omnibus verificatur prædicatum *vivens*. Incompleta, quæ dicitur

*Pro generibus singulorum est acceptio termini communis solum pro speciebus*, sic intelligitur illa propositio, *Omne animal fuit in arca Noe*, hoc est omnis species animalis, non autem omne singulare specierum.

8. Pro cognoscenda suppositione terminorum notate sequentes regulas. Prima in propositione universali affirmativa, subiectum supponit distributivè, prædicatum confusè, v.g. *Omnis homo est animal*, valet enim, *hic homo est animal*, & *hic*, & *ille*, &c. Sed non valet sic distribui prædicatum, quia non valet *Hic homo est hoc animal*, & *ille illud animal*, &c. Sed confusè de singulis hominibus affirmatur *animal*.

Secunda regula in propositione universali negativa, tam subiectum, quam prædicatum supponunt distributivè, v.g. *Nullus homo est lapis*, nam valet distribui, *Nec hic, nec ille, nec ille homo est ille, vel ille, & ille lapis*.

Tertia regula in propositione particulari affirmativa, subiectum supponit determinatè, prædicatum relinquitur intactum, ut *Aliquis homo est albus*. Quarta regula in propositione particulari negativa, subiectum supponit determinatè, prædicatum ratione negativa



tionis supponit distributivè, v.g. *Aliquis homo non currit*, homo supponit determinatè pro aliquo; & cursus distributivè, quia omnis cursus negatur de illo homine.

Excipe ab his regulis suppositionem copulativam, quæ semper est eadem, etiam si sit affirmativa, vel negativa, aut afficiatur signis particularibus, aut universalibus.

9. Rursus observa, quòd signa quantitatis propositionum sunt *Omnis, nullus, aliquis, aliquis non*. *Omnis* facit propositionem universalem affirmativam, ut *Omnis homo est bipes*; *Nullus* facit universalem negativam, ut *Nullus homo est equus*. *Aliquis* facit propositionem particularem affirmativam, ut *Aliquis homo est albus*. *Aliquis non* facit particularem negativam, ut *Aliquis homo non est albus*.

Nota, quòd quando nullum signum ex his reperitur in propositione, tunc propositio dicitur *indefinita*: & observa hanc regulam pro cognoscenda quantitate ejus. Propositio indefinita in materia necessaria æquivaleret universali, v.g. *Homo est animal*, æquivaleret huic *Omnis homo est animal*. At propositio indefinita in materia contingenti æquivaleret particulari, ut hæc *Homo est albus*,

æquivaleret huic *aliquis homo est albus*.

CAPUT IX.

*De reliquis proprietatibus terminorum.*

1. **P**OST suppositionem, quæ est principalis proprietas termini, aggredimur explicationem aliarum. Scilicet *Appellationis, ampliationis, restrictionis, &c.* De quibus latissimè tractant aliqui, regulas, & observationes multiplicando, quæ confusionem pariunt sine notabili utilitate. Ob hæc breviter attingemus quæ necessaria sunt, reliqua omittentes.

Appellatio est *Applicatio significati formalis termini supra significatum alterius*. Pro intelligentia hujus nota quæ diximus cap. 6. num. 6. cum N. Ægidio de duplici significato formali, & materiali termini concreti, & connotativi; quibus notatis, ecce exemplum in hac propositione *homo est albus*. *Ly albus* formaliter, & principaliter dicit albedinem; & quia hæc in propositione applicatur humanitati, ideo datur appellatio consistens in applicatione significati formalis prædicati supra significatum sub-

subjecti. Et observa, quòd terminus qui applicatur dicitur *Appellans*; terminus, cui applicatur dicitur *Appellatus*.

Appellatio est duplex, una *formalis*, alia *materialis*. Prima datur, quando terminus appellans cadit supra significatum formale termini appellati, v.g. *Petrus est Philosophus magnus*, *ly magnus* appellat supra philosophiam, quæ est significatum formale termini *Philosophus*, quare sensus est, *Petrus est magnus in Philosophia*. Secunda datur, quando terminus appellans cadit supra significatum materiale termini appellati, v.g. *Petrus magnus est Philosophus*, *ly magnus* cadit supra significatum materiale termini *Petrus*, & sensus est, *Petrus qui est magnus corpore, est Philosophus*. Et nota, quòd quoties terminus appellans connotativus, vel concretus, ponitur ante copulam, tunc appellatio est *materialis*; quoties autem ponitur post copulam, tunc est appellatio *formalis*, ut patet in exemplis datis.

2. Ampliatio est *Extensio termini à minori ad majorem significationem*. Restrictio ampliatiioni opposita, est *Coartatio termini à majori ad minorem significationem*. Pro utriusque intelligentia nota, quòd sicut res corporales habent suum statum, ultra quem natura sua

non tendunt, ut patet in corporibus, quæ crescunt usque ad sibi debitam magnitudinem, ultra quam non excedunt, quia sibi naturalem statum attrigerunt: ita termini, & voces habent suum naturalem statum, & consistit in significare illud, ad quod impositæ sunt. Sic dum dicimus, homo vivit, voces istæ habent suum statum, quia significant solum hominem verum, & de presenti, ad quod significandum sunt institutæ.

Igitur quando significatum quasi naturale terminorum extenditur ultra terminos sui status, tunc datur ampliatio, v.g. dum dicitur *Rationalis intelligit*. *Ly rationalis* secundum suum statum solos homines significat; si tamen extendatur ad significandos Angelos, tunc ampliatur terminus *rationalis*. Econtra dum dicitur *Canis latrat*, *ly canis* restringitur, quia canis est terminus potens significare celestem, terrestrem, & marinum, & per *latratum* adjunctum restringitur ad significandos solos canes terrestres.

3. Tam ampliatio, quæ restrictio potest multis modis fieri, de quibus latè N. Veracrius, & Carmelitani. Hoc unum observa, quòd ampliatio potest esse duplex, prima ex parte temporis importati per copulam, v.g. dum dicitur

*Homo est animal*, ly est de presenti extenditur ad omnes differentias temporis, in quibus est verum, hominem esse animal. Quare, ut dicemus in secunda parte q. 6. in omnibus propositionibus, in quibus verbum absolvitur à tempore, datur ampliatio copulæ. Altera est ampliatio non solum temporis, sed etiam subjecti, & prædicati, v.g. dum dicitur *Iusti in perpetuum vivent*, ubi verbum de futuro ampliatur, & verificatur etiam de præsentibus; & necdum intelligitur de iustis futuris, sed de præsentibus.

Observa pro ampliatioe hanc utilem regulam. Quoties prædicatum repugnat subjecto de presenti, vel pro tempore importato per copulam, tunc debet intelligi cum ampliatioe. v.g. dum dicitur *Deus diligit peccatores*, non est sensus, quod *Deus actu diligit peccatores, dum sunt actu peccatores*, sed ampliatur sic, Deus diligit eos, qui fuerunt peccatores, sed actualiter iusti sunt.

4. Restrictioni similis est *Diminutio*, & diffinitur *Limitatio, qua terminus significans rem simpliciter, limitatur ad significandum illam secundum quid*. Ut cum dicitur *Ethiops est albus secundum dentes*. Ecce ly *albus*, significans album simpliciter, diminuitur ad significandum albedinem

solum dentium; quare ly *secundum dentes* dicitur *additum diminuens*. Differt diminutio à restrictione, quia amplius contractat diminutio, quam restrictio.

Utraque, sed præcipue restrictio fieri potest per casus obliquos, v.g. *Pallium Petri: doctrina Augustini*, vel per adjectivum additum substantivo, ut *Homo iustus habet gratiam*, ubi vides quod *homo* significans omnes homines, restringitur ad solos iustos; & *pallium*, & *doctrina* restringitur ad solum *pallium Petri*, & *doctrinam P. August.* Aliquando etiam per copulam datur restrictio temporis. ut *Homo existit*, per ly *existit* restringitur *homo* ad significandos solos homines præsentis. Et hæc restrictio copulæ datur in omni propositione facta in materia contingenti, de quo vide 2. parte nostræ Dialecticæ q. 6.

5. Alienatio est *Distrahitio, vel translatio termini de propria ad impropiam significationem*. A Rhetoribus dicitur metaphora. Sic dum dicitur *Homo pictus*, ly *homo* significans proprie veros homines, alienatur ad improprios significandos. Et de Christo affirmatur *Leo, lapis angularis*, &c. per metaphoram, & alienationem.

Quando verò terminus ple

plene distrahitur à sua propria, & impropria significatione, tunc dicitur *remotio*. v.g. Dum dicitur *Homo irrationalis est bipes*. Ecce ly *homo* per additum *irrationalis* plene distrahitur ab omni sua significatione, quare ab omni removetur, & sic datur *remotio*. In talibus datur implicatio in terminis, quia implicat quod advenitur homo, & irrationalitas. De ascensu, & descensu agemus in tertio libro dividentes species argumentationis.

## CAPUT X.

De nomine, & verbo.

1. **S**IMUL tractamus de nomine, & verbo, quia in pluribus conveniunt, ut patebit ex eorum definitionibus, & notandum ex N. Doct. 1. Perhier. quod sicut partes propositionis sunt subjectum, & prædicatum, ita partes enuntiationis sunt nomen, & verbum. De enuntiatione, & propositione agemus libro 2. Hic autem de nomine, & verbo agendum est, quia simplicissima sunt.

Nomen ab aliquibus diffinitur *Vox declinata per casus*: Et verbum *Vox conjugata per tempora*. Ita Hurtado, & alij, qui citant P. Augustinum lib.

de Grammatica. At definitiones istæ sunt nominis, & verbi, ut pertinent ad Grammaticos: & hæc diffinienda sunt, ut pertinent ad Logicos.

2. In hac acceptione nomen diffinitur cum Aristotele à N. Egidio *Vox significativa ad placitum sine tempore, cuius nulla pars separata significat*. Verbum autem diffinitur *Vox significativa ad placitum cum tempore, cuius nulla pars separata significat, & est semper nota eorum, quæ de altero prædicantur*. Ecce ex definitione utriusque convenientia, & quod solum differunt in eo quod nomen significat sine tempore, verbum cum tempore: & verbum addit quod sit nota eorum quæ de altero prædicantur.

Nomen ergo primò dicitur *Vox*, ecce genus remotum per quod convenit nomen cum vocibus significantibus naturaliter ut gemitus, suspirium, à quibus differt per ly *significativa ad placitum*. Additur *sine tempore*, ad distinguendum nomen à verbo, quod significat cum tempore. Tandem dicitur *Cuius nulla pars separata significat* ad distinguendum nomen ab oratione, quæ est vox composita, cuius aliqua pars separata significat, ut infra dicemus.

3. Verbum ergo juxta

diffinitionem datam habet particulas nomini communes, quæ eodem modo explicantur. Ultra eas habet primò quòd significet *cum tempore*. In hoc differt verbum à nomine. Pro cuius intelligentia nota, quòd aliud est *Significare tempus*: aliud *Connotare tempus*: aliud *Significare cum tempore*. Significare tempus est, quòd res significata directè, sit tempus: v.g. *Annus, mensis, dies, hora* directè significant tempus; & hoc potest convenire nomini, ut patet in dictis, quæ nomina sunt Connotare tempus est significare aliquid, quod solet fieri tempore determinato, v.g. *prandium, cæna*, significant enim comestiones, quæ matutinis, & vespertinis horis fiunt, sed hoc etiam convenit nomini.

Verbo autem soli est proprium *significare cum tempore*, & est significare aliquam actionem exerceri in tempore determinato. Perpende has voces *curfus, curro*. *Curfus* dicit actionem currendi, at non explicat utrum hoc tempore præfenti exerceatur. Ceterum *curro* dicit actionem currendi de præfenti exerceri, & idèò significat actionem illam cum tempore, & est verbum. Sic etiam vox ista *prandium* dicit comestionem meridianam, unde *consignificat tempus*; at non

explicat, an illa actio exerceatur nunc, vel exercita sit, & idèò est nomen. Ceterum vox ista *prandeo* significat actionem illam affirmans illam exerceri tempore præfenti, & hoc est significare cum tempore; quare est verbum.

4. Et observa quòd omne verbum significat aliquid per modum actionis, quæ sit in tempore; non quia reverà semper sit actio, sed quia significatur per modum actionis. Sic verba ista *sedeo, quiesco*, reverà non significant actionem aut motum, quin potiùs quietem. At significant quietem illam veluti exercitam tempore præfenti, & per modum actionis: attento enim modo significandi idem est dicere *Quiesco*, ac dicere *nunc de præfenti exerceo actionem quiescendi*. Idem dic de verbo substantivo *sum, es, fui*. Certè dum dico, *ego sum*, nullam propriam actionem explico: at significo meum esse, ac si foret operari, quare ex modo significandi idem valet, ac si dicerem, *Ego tempore præfenti exerceo actionem essendi*.

Dicitur tandem de verbo quòd sit *Semper nota eorum quæ de altero prædicantur*, ad distinguendum verbum à participio, quod potest poni etiam ex parte subjecti in propositione, at tunc verbum semper u-

nit

nit prædicatum cum subjecto, & se tenet ex parte prædicati. Et observa, quòd verbum aliquando ponitur ex parte subjecti, ut dum dicis, *videre est pugnare*: sed tunc vivere non est verbum logicum, sed sumitur per modum nominis, & est sensus *vita est pugna*; quod Beatus Job asseruit dicens: *Militia est vita hominis super terram*.

5. Communiter RR. utrique diffinitioni nominis & verbi addunt has particulas *finita*. & rectè supra ly vox *significativa ad placitum*. Per ly *finita* excludunt nomina infinita, ut *non homo, non equus*: & verba infinita ut *non amo, non lego*. Rursus per ly *rectè* excludunt à ratione nominis casus obliquos, ut *Petri, Petro, Petrum, &c.* & verba obliqua, ut *amari, amabo, &c.* casus rectus est solus nominativus, reliqui sunt obliqui. Verbum rectum est solum præfens indicativi, reliqua tempora obliqua sunt.

Ceterum licet juxta Aristotelem nomina, & verba infinita non sint propriè nomina, & verba: item casus obliqui, & verba obliqua, propriè non sint nomina, & verba, quia cadunt, & deficiunt à recto, quod est propriè nomen & verbum: at non est necessarium addere illas particulas,

quia per diffinitionem datam sufficienter excluduntur. Ecce verba nostri Agidii ubi supra: *Diffinitio superius data, propriè non convenit nomini infinito, neque etiam obliquo. Immo potest dici quòd per hoc quod dicitur significativa, removetur nomen infinitum, quia non habet significatum determinatum: & per hoc quod dicitur ad placitum, removetur nomen obliquum, quia non significat ad placitum, idest; secundum institutionem, nam hoc fit in nominativo casu, & non in obliquis*.

6. Et observa ex dictis supra cap. 6. num. 3. quòd nomen infinitum nihil determinatè significat, v.g. dicis *homo*, ecce hoc nomen significat determinatè subjectum habens humanitatem. Infinitaris hominem dicendo: *Non homo*, ecce nihil determinatè significat, sed aliquid quod non sit homo, sed non determinat quid sit. Hinc dicit Agidius quòd per ly *significativa* excluduntur nomina, & verba infinita, quia *significativa* intelligitur de significatione determinata: & nomen, aut verbum infinitum nihil determinatè significant. Per ly *ad placitum* excluduntur obliqua, quæ non sunt instituta ad significandum, sed cadunt à rectis quæ ad hæc instituta sunt.

Obserua etiam cum nostro Ægidio duas conditiones requiri, ut dictiones infinitentur. Prima est quod non significant quid negativum sed positivum. Quapropter *Nemo, nihil, nullus*, non possunt infinitari, sed potius addita negatione finitantur; nam si dicis *Non nemo, non nullus* est idem ac si diceres *aliquis*, & sic finitatur dictio. Item dicere *non nihil* est idem ac dicere *aliquid*, & sic finitatur. Secunda conditio est, quod dictio significet qualitatem finitam, ut *homo*, qui significat humanitatem determinatè, potest infinitari dicendo *Non homo*. At signa universalia ut *omnis, quantus, qualis, quicunque*, &c. non possunt infinitari, imò addita negatione limitantur, & finitatur, ut si dicas *Non omnis* est idem ac dicere *aliquis non*.

7. Circa verba affirmativa. N. Ægidius in quæstionibus supra 2. Perhiermenias quæst. 1. posse verbum infinitari in enuntiatione, v.g. dicendo *Homo non currit*. Ubi nota, quod si *ly non* sumitur neganter, ut vult D. Thom. sensus est, *Homo non est currens*, & est propositio negativa quia negatur copula, & disjungitur prædicatum à subiecto. Si verò *ly non* sumitur infinitanter ut docet Ægidius sensus est *Homo est non currens*, & tunc propositio est affirmativa,

quia non negatur copula, sed infinitatur prædicatum inibitum in verbo *currit*.

Contra utramque diffinitionem sunt aliqua argumenta parvi momenti, quæ adducuntur à nostro Villanova: illa prætermittimus, sicut & quæstiones, quas excitat N. Ægidius, & dilucidè solvit in 1. libro Perhierm. Quæ autem faciunt pro intelligentia illius particulæ *Cujus nulla pars separata significat*, explicata sunt supra cap. 6. num. 1. & 2. agendo de termino complexo. Vide circa verbum quæstionem 5. & 6. nostræ secundæ partis dialecticæ.

## CAPUT XI.

*Quid, & quotuplex sit oratio: ubi etiam de modo sciendi.*

1. **O**missis varijs diffinitionibus orationis, quæ vel diffiniunt orationem grammaticalem, non autem logicam; vel confundunt orationem cum nomine, & verbo; diffinitur sic cum Aristot. & N. Ægidio libro 1. Perhierm. *Est vox significativa ad placitum, cujus partium aliquid significativum est, ut dictio*. Per *ly Vox significativa ad placitum* convenit oratio

tio cum nomine, & verbo, à quibus differt per *ly cujus partium*, &c. quia nulla pars nominis, aut verbi est significativa. Per *ly Cujus partium aliquid*, differt oratio à termino complexo, de cujus ratione est, quod omnes ejus partes significant; at oratio non petit omnes partes significativas, sed aliquam, ut dictum est cap. 6. num. 2. *Ly ut dictio* denotat partes orationis non debere esse propositiones, sed simplices dictiones. Et licet aliquando integra propositio possit esse pars orationis; ut cum dicitur *Homo currit est propositio*: at tunc *ly homo currit*, non sumitur ut propositio, sed ut simplex dictio.

Hinc colliges discrimen orationis à propositione. Propositio est oratio in qua aliquid affirmatur, vel negatur, ut *Homo est animal, homo non est lapis*. At oratio non petit esse affirmativam, vel negativam, sed quod ejus partes, vel aliqua significant sine affirmatione, vel negatione, ut *Animal rationale: Petrus justus: vox Bliethiri*. Colliges secundò, quod sicut simplex dictio nil affirmans, vel negans, pertinet ad primam operationem intellectus, quæ est simplicium apprehensio, ita oratio quæ est significativa ut dictio, & non ut affirmatio, vel negatio: Qua-

re jure optimo explicatur in hoc primo libro.

2. Dividitur primò oratio in *Imperfectam, & perfectam*. Perfecta est, *Quæ perfectum sensum generat in animo audientis*. Imperfecta, *Quæ generat imperfectum sensum*. Generare perfectum sensum non est, quod enuntiet verum, vel quod illi possimus assentiri; sed est quod non reddat suspensum animum audientis. Quapropter istæ sunt orationes imperfectæ *Si legat. Pallium Petri. Quia suspensum relinquunt audientem*. E contra, istæ sunt perfectæ *Deus est summum bonum. Venite post me*.

Oratio perfecta juxta Aristot. D. Thom. & N.B. Ægidium ubi supra dividitur in *Enunciativam, deprecativam, imperativam, interrogativam, & vocativam*. Hujus divisionis rationem ex utroque Beato Doctore invenies apud nostrum Villanova. Enuntiativa est quæ absolute enuntiat mentis conceptum, in quo verum, vel falsum est. v. g. *Petrus currit*; Reliquæ verò juxta verborum tempora discriminantur, unde hæc est deprecativa *Domine memento mei*: hæc imperativa *Fac hoc*: hæc interrogativa *Quis te condemnavit?* Hæc vocativa *Attendite popule meus*.

3. Rursus oratio perfecta dividitur in orationem, quæ est *modus sciendi*, & orationem quæ non est *modus sciendi*. Juxta communem sententiam modus sciendi dicitur *Oratio ignoti manifestativa*. Quapropter oratio, quæ non est manifestativa alicujus ignoti, illa est oratio quæ non est *modus sciendi*. Ceterum ut bene observat N. Villanova, aliud est *modus sciendi*, aliud *medium sciendi*. Hæc diffinitio *Oratio ignoti manifestativa*, convenit medio sciendi, quia per talem orationem, & media illa scimus ignotum. At non est *modus sciendi*.

Hinc *modus sciendi* optime diffinitur *Modus tendendi de minus noto ad magis notum per orationem ignoti manifestativam*. Explicatur. Noster intellectus est potentialis, quare sicut natura ob sui potentialitatem incipit ab imperfectis, & devenit ad perfecta, ut patet in nostra generatione, ubi primò formatur embryo, postea animatur nec ante præscriptum tempus pervenimus ad usum rationis. Ita noster intellectus incipit imperfectè cognoscere, & decursu temporis, & labore magno proficiens venit ad cognitionem scientificam & perfectam. Hoc est *Procedere de minus noto ad magis notum*.

4. Ceterum cum ad sic procedendum indigeat aliquibus medijs; hæc media sunt media sciendi. hoc est, sunt media ducentia ad scientiam, quæ est cognitio perfecta in qua consistit intellectus. Hæc media in communi explicata, sunt *Oratio ignoti manifestativa*. Et observa, quòd non quæcumque manifestatio ignoti est *modus sciendi*, aut *medium sciendi*. Sic dum interpretamur unum nomen per aliud, v.g. dicendo *Sophia est scientia*, non est *medium sciendi*, ratio est, quia *ly scientia* est dictio non autè est oratio, & *modus sciendi* oratio est. Rursus dum dicis aliquid, quod latebat v.g. *In arca sunt pecunie*, non est *medium sciendi*; quia licet illa sit oratio, non est *manifestativa ignoti*, sed *testificativa*.

Debet ergo *modus*, aut *medium sciendi* esse oratio *manifestativa ignoti* quoad tria, scilicet, *Quid est objectum? Quotuplex est? Et quid ei convenit?* Primum manifestatur per diffinitionem: secundum per divisionem: tertium per argumentationem. Quapropter *medium* & *modus sciendi* dividitur in *Diffinitionem, divisionem, & argumentationem*.

De quibus agemus in sequentibus.

## CAPUT XII.

*Quid, & quotuplex sit diffinitio?*

1. JUXTA N. Agidium quodlib 4. q. 10. & in 1. Sentent. distinct. 22. q. 1. art. 1. Diffinitio pertinet ad primam operationem intellectus, quia sicut *essentia rei* est indivisibilis, ita *cognitio essentialis* quæ habetur per diffinitionem: & cum omnia simplicia pertineant ad primam operationem intellectus, ad eam spectat diffinitio, & sic in hoc primo libro elucidanda.

Est ergo diffinitio juxta Aristotelem lib. 2. Poster. cap. 10. *Oratio ipsam quod quid est significans*: vel ut communiter dicitur, est *Oratio explicans essentialiam rei*. *Ly oratio* est genus per quod diffinitio convenit cum divisione, & argumentatione, à quibus differt per reliqua. Sit exemplum in diffinitione hominis *animal rationale*, illæ duæ voces sunt oratio, & explicant essentialiam hominis: undè sunt ejus diffinitio.

Primò dividitur diffinitio in diffinitionem *Quid nominis*, & diffinitionem *Quid rei*. Prima est quæ explicat significatum nominis, & communiter dicitur *Etymologia*, v.g. *lapis*

dicitur à *la tendo pedem*. Diffinitio *Quid rei*, est oratio explicans essentialiam rei, & hæc est propria diffinitio.

2. Diffinitio propria est triplex *Essentialis, descriptiva, & accidentalis*. *Essentialis* est *Oratio explicans essentialiam rei per partes essentielles*. Et hoc dupliciter, nam vel datur per partes essentielles metaphysicas, ut sunt *genus*, & *differentia*, & hæc dicitur *Diffinitio essentialis metaphysica*, ut *animal rationale* respectu hominis. Vel datur per partes essentielles phisicas, quæ sunt *materia*, & *forma*, & tunc dicitur *Diffinitio essentialis phisica*, ut respectu hominis si dicas, *Homo est constans ex corpore, & anima rationali*.

Diffinitio descriptiva est *Oratio explicans essentialiam rei per suas proprietates*. v.g. dum dicis *Homo est animal risibile*. Ecce *ly risibile* non est essentialis hominis, sed *proprietas* ejus, & ideo diffinitio non est essentialis, sed descriptiva. Talis fertur data à Platone, scilicet *Animal implume bipes*. Quem volens festivè impugnare ejus discipulus Aristoteles, ablati penni ab una gallina, eam in medio circuli projecit dicens, *Ecce homo Platonicus*.

Diffinitio accidentalis est *Oratio explicans essentialiam rei*

per accidentia sibi propria. Talis est diffinitio citata ex Platone, vel si dicas Homo est Animal pulchrum habens caput erectum, &c. Nota quod ut hæc diffinitio recta sit, tot debent multiplicari accidentia, ut illis positis diffinitio soli diffinito conveniat. Diffinitum dicitur illud quod explicatur per diffinitionem.

3. Ultra tres istas species diffinitionis datur quarta, quam commendat Philosophus 8. Metaphys. textu 6. ubi eam explicat noster Ægidius. Hæc vocatur diffinitio per causas, & est *Oratio explicans essentialiam rei per suas causas*. Causæ extrinsecæ rei sunt efficiens, finalis, materialis, & formalis. Hoc modo anima rationalis nostra potest diffiniri per causam efficientem, sic *Est forma creata a Deo*: per finalem, *Forma creata ad beatitudinē*: per formalem *Est forma affectiva veritatis*, per materialem est *Forma informativa corporis humani*.

4. Regulæ bonæ diffinitionis sunt quinque, prima quod constet genere & differentia. Hanc regulam inter omnes præcipuam docuit nos P. Augustinus lib. de Cathgorijs cap. 6. docens nos diffinire sic. *Interea hoc loco debemus advertere qua arte diffinitio disponatur. Primum enim hanc*

*per immensum tendi oportet incipientem à genere: debinc paulatim per partes currendo pervenire debet ad id in quo solum est quod diffinitur. Ecce differentiam.*

Et nota quod genus debet esse proximum, differentia autem ultima. Dicitur genus ratio communis univoca, de qua in Logica; pro nunc vide dicta cap. 5. num. 4. de termino univoco, genus enim debet esse terminus univocus. Debet esse etiam univocus proximus: hoc est, ratio communis immediatior ad diffinitum. Differentia dicitur terminus ille qui facit differre diffinitum ab omni alio. Et dicitur *Vltima, vel atomata*, illa quæ immediatior est ipsi diffinito, & infra quam non datur alia differentia.

5. Secunda regula est quod diffinitio sit clarior diffinito. Ratio est, quia ad hoc datur diffinitio, ut explicet essentialiam rei; non posset illam explicare, nisi clarior esset diffinitio. Tertia regula quod conveniat omni diffinito, & soli. Quarta quod dicatur ad convertentiam cum diffinito. Quinta quod non sit superflua, nec diminuta. Totum vide in diffinitione hominis, *animal rationale*. Nam ly *animal* est genus, ly *rationalis* differentia. Rursus clariùs noscitur essentialia hominis dicendo, *animal rationale*, quam di-

dicendo *homo*. Deinde convenit omni homini, & illi soli. Rursus convertitur, quia valet *Est homo*: ergo *animal rationale*, & è contra *Est animal rationale*: ergo *homo*. Tandem nihil superfluit, nec deficit: superflueret si diceres *animal rationale mortale*, ut dicebāt antiqui, quia ly *mortale* nec est genus, nec differentia. Diminuta foret, si diceres solum *animal*, vel solum *rationalis*.

Pro modo loquendi observa, quod si fueris interrogatus: *Qua sit diffinitio?* Debes respondere *Essentialis, physica, vel metaphysica: descriptiva, accidentalis, vel per causam extrinsecam*. Si interrogaris *qualis sit?* Respondebis *bona, vel mala*; non autem dicas, *est vera, vel falsa*: quia veritas & falsitas sunt proprietates propositionis, non autem diffinitionis, cui competunt bonitas, aut defectus. Et hinc confirmatur, quod diffinitio pertinet ad primam operationem intellectus, in qua non est verum, aut falsum, quæ pertinent ad secundam operationem, quæ est iudicium.

6. Etiam diffinitum suas petit regulas, ut possit diffiniri. Prima est, quod sit *unum per se*. Ratio est, quia si non est unum, erit plura, & sic habebit plures essentialias: sed plures essentialia non possunt dif-

finiri unica diffinitione: ergo quod non est unum per se, non potest esse diffinitum.

Secunda conditio est quod diffinitum sit res universalis, non singularis. Ratio est, quia diffinitiones debent esse certæ, & invariables, quia ex eis, ut ex principijs certis procedunt scientiæ: at singularia non sunt certa, & invariable, sed defectibilia, & contingentia; unde sicut de singularibus non datur scientia, sic nec diffinitio: ergo ut res diffiniatur debet esse universalis: Hinc est quod diffinitur *Homo non Petrus*, sed in diffinitione hominis universali, mediata diffiniuntur singularia.

7. Tertia conditio quod diffinitum constet ex genere, & differentia. Ratio est, quia diffinitio traditur per genus, & differentiam: ergo si diffinitum ea non habeat, non poterit dari diffinitio ejus. Ob hæc *Deus*, qui non constat ex genere, & differentia, sed est omnino simplex, non potest diffiniri. Item substantia, & accidens non possunt rigore diffiniri, quia supra se non habent nisi rationem entis, & hæc non est terminus univocus, sed analogus, & sic non est genus. Ob eandem rationem non possunt proprie diffiniri entia incompleta, negationes, modi, & alia.



Modus arguendi in diffinitione est à diffinitione ad diffinitum, & è contra tam affirmativè, quàm negativè. v.g. *Est animal rationale: ergo est homo. Est homo: ergo est animal rationale.* Negativè sic *Non est homo: ergo non est animal rationale. Non est animal rationale: ergo non est homo.* Idem argumentum fit ex alijs diffinitionibus, licèt non sit æquè premens, ac quod sumitur ex diffinitione essentiali tam physica, quàm Metaphysica.

## CAPUT XIII.

*Quid, & quotuplex sit divisio?*

1. SANE licèt N. Villanova teneat divisionem pertinere ad secundam operationem non leviter suadet pertinere ad primam. Nam cum diffinitio sit essentialis physica, vel metaphysica juxta qualitatem partium, si essentialis physica sunt, aut metaphysica: quis dicat primam operationem noscere partes physicas, aut metaphysicas pro danda diffinitione, & neget eas noscere pro divisione. Immò P. Hurtado in Logica disp. 10. de modo sciendi sect. 6. defen-

dit quòd divisio essentialis nò differt à diffinitione essentiali.

Hoc probat, quia actus intellectus qui versantur circa idem objectum non sunt distincti: tales sunt isti, *Homo est essentialiter metaphysicè animal rationale: Homo metaphysicè compositus ex partibus, quarum una est animal, alia rationale.* Et primus est diffinitio, secundus est divisio: ergo non sunt actus distincti. Quid quid sit, saltem inde probatur quòd eadem operatio intellectus diffiniens hominem per suas partes physicas, vel metaphysicas potest per distinctum artificium logicum ipsum dividere mentaliter in eas partes: quare si juxta nostrum Ægidium diffinitio pertinet ad primam operationem, juxta eundem etiam divisio ad eandem pertinebit, & sic in hoc primo libro est dilucidanda.

2. Diffinitur ergo divisio *Oratio totum in suas partes distribuens.* Et nota quòd hæc divisio est mentalis ad similitudinem divisionis realis. Quare sicut mors dividit in homine animam à corpore, sic noster intellectus mentaliter dividit designando partes hominis sic, *Hominis alia pars, corpus, alia anima.* Divisio propriè fit ab intellectu, & est actus intellectus, quo totum

tum in suas partes distribuitur. Ceterum dicitur *oratio*, quia per vocès manifestamus exterius actum illum intellectus, quo totum in partes distribuimus. Et observa quòd totum, quod dividitur dicitur *divisum*, at partes, in quas dividitur, dicuntur *membra dividenda.*

Divisio alia est *Nominis*, alia *rei*. Divisio nominis est oratio qua distribuimus significatum nominis in suas partes, v.g. *Canis alius est terrestris, alius cœlestis, alius marinus.* Hæc est impropria divisio; nam potius est explicatio confusi aut æquivoci significati nominis. Divisio *rei* est oratio distribuens in suas partes rem significatam, ut in primo exemplo dato.

3. Divisio est multiplex juxta multiplicatam totius divisibilis; quare cum totum aliud sit actuale; aliud potentiale; aliud substantiale, aliud accidentale: sic divisio est quadruplex, *Potentialis, actualis, substantialis, & accidentalis.* Divisio *actualis* est qua totum distribuitur in partes ex quibus actualiter componitur, v.g. *Hominis alia pars corpus, alia anima.* *Potentialis* est qua totum dividitur in partes ex quibus in potentia componitur; v.g. *Animal aliud rationale, aliud irrationale.* Divisio *accidentalis* est

qua totum distribuitur in partes accidentales. *Substantialis* est qua distribuitur in partes substantiales ex quibus componitur. Exemplum primæ *Homo alius albus, alius niger.* Exemplum secundæ. *Equi alia pars corpus, alia anima equina.*

4. Subdividuntur istæ divisiones. Nam *substantialis* alia est *metaphysica*, & est quæ datur per partes essentialis metaphysicas, ut *Hominis alia pars animal, alia rationale.* Altera est *substantialis physica*, & est quæ datur per partes physicas, ut *Hominis alia pars corpus, alia anima rationalis.* Altera est *substantialis integralis*, & est quæ datur per partes integrantes, dicuntur integrantes, quæ pertinent ad integritatem naturæ, ut *Hominis alia pars caput, alia colulum, altera pectus, alia femur, alia pes, &c.* Et hæc integralis subdividitur in *Homogeneam, & Heterogeneam.* *Homogenea* datur in partes ejusdem rationis, ut sunt partes ligni, aquæ, aëris. *Heterogenea* datur in partes diversæ figuræ, & rationis, ut manus, caput, pes, &c.

5. Divisio *accidentalis* subdividitur in tres. Prima est divisio *Accidentis in subiecta*, v.g. *album aliud homo, aliud cygnus.* Ecce album est accidēs

quod dividitur, & homo, & cygnus sunt subjecta albedinis, unde est divisio accidentis in subjecta. Alia est divisio *Subiecti in accidentia*, v.g. *homo, alius albus, alius niger*. Alia est divisio *Accidentis in accidentia*, v.g. *album, aliud dulce, aliud amarum*.

6. Aliquæ regulæ sunt pro bona divisione. Prima, quod membra dividenda participant rationem divisi, vel univocè, si divisio sit univoca, vel analogicè, si divisio sit analogica. Defectu hujus regulæ hæc est mala divisio, *Animal aliud homo, aliud Angelus*, quia Angelus non participat rationem animalis. Secunda est quod membra saltem formaliter distinguantur. Defectu hujus hæc est mala, *Animal aliud homo, aliud rationale*. Quia rationale non distinguitur ab homine adhuc formaliter, sed est bona hæc *Bonum aliud honestum, aliud utile*, quia licet utile, & honestum non differant realiter, differunt formaliter, quia honestas, & utilitas ex diversis principijs desumuntur.

Tertia est, quod membrum quodlibet sit inferius diviso. Ratio est, quia divisum est totum, membrum ejus pars: sed omne totum est majus sua parte. Defectu hujus hæc est mala *Animal, aliud est*

*sensibile, aliud equus*. Quia *sensibile* & quæ se extendit ac *animal*. Quarta, quod omnia membra simul sumpta adæquent, & non excedant divisum. Defectu hujus hæc est mala, *Animal, aliud homo, aliud equus*; quia homo, & equus non adæquant animal, quod se extendit ad leonem, ursum, &c. Potest tamen dici divisio illa *inadequata*, & sic est bona, quia non petit dividi in omnia membra divisi. Quinta, quod divisio non fiat per plura membra, sed per pauca. Ratio est, quia divisio datur ad clarè procedendum; si autem fiat in plura membra, redditur obscurissima.

7. Loci arguendi in divisione sunt multi, & efficaces. Primus est à diviso negato ad negationem partium dividendum, & è contra v.g. *Non est animal: ergo nec est rationale, nec irrationale. Non est rationale, nec irrationale: ergo non est animal*. Secundus est ab affirmatione divisi ad affirmationem membrorum dividendum sub disjunctione, & è contra v.g. *Est animal: ergo rationale, vel irrationale. Est rationale, vel irrationale: ergo est animal*. Tertius est ab affirmatione divisi ad affirmationem partis dividendum cum negatione aliarum partium, v.g. *Est elementum; non est*

*est aer, aqua, aut terra: ergo est ignis*.

Quartus à negatione divisi ad negationem cujuslibet partis, v.g. *Non est animal: ergo non est rationale*. Sed non valet affirmativè, v.g. *Est animal: ergo est rationale*, quia potest esse irrationale. Ratio hujus est, quia à superiori ad inferius valet consequentia negativè, sed non affirmativè. Quintus modus arguendi est à mem-

bro diviso affirmato ad affirmationem divisi, v.g. *Est rationale: ergo est animal*. At non valet negativè, v.g. *Non est rationale: ergo non est animal*. Ratio est, quia ab inferiori ad superius valet consequentia affirmativè, sed non negativè, ut dicemus in tertio libro: & hæc de divisione, & de to-

to primo libro  
Summularum







# LIBER SECUNDUS

## SUMMULARUM.

DE PERTINENTIBVS AD SECVNDAM  
operationem intellectus.

### CAPUT I.

Quid sit enuntiatio, & quomodo differat à propositione?

1. **E**GIMUS LIBRO primo de simplicibus, & de pertinentibus ad primam operationem intellectus, quæ est simplicium apprehensio. Inter illa computavimus orationem de qua egimus cap. 11. dividentes in perfectam, & imperfectam, subdividentesque perfectam in varias species num. 2. ex omnibus illis sola oratio enuntiativa pertinet ad logicos, etenim ut docet P. August. lib. de categorijs cap. 8. orationes imperativi, interrogativi, & subjunctivi, sunt semiplenæ, & unice pertinent ad Rhetores, & Poetas; Logici autem de sola enuntiativa curant, quæ

absolutè negans, aut affirmans aliquid de objecto, conducit ad syllogismos, & demonstrationes, quibus adquiruntur scientiæ.

Adverte, quòd RR. communiter non distinguunt enuntiationem à propositione, & ideò eandem utrique diffinitionem applicant, dicentes propositionem, vel enuntiationem esse *Orationem in qua verum, vel falsum est*, quam diffinitionem vocant descriptivam, quia veritas, & falsitas non sunt essentia propositionis, sed proprietates, quare diffinitio illa non datur per prædicata essentialia, sed per proprietates, & sic est descriptiva. Addunt posse diffiniri essentialiter sic: est *Oratio enuntiativa unius de alio*, quæ diffinitio essentialis est, quia essentialiter convenit propositioni esse enuntiativam unius de alio.

At

2. At de mente Philosophi, D. Thomæ, & nostri Ægidij enuntiatio differt à propositione, & ad hoc statuendum inducimus hujus capituli doctrinam, ubi breviter attingemus, quæ de hoc puncto prolixius adducit noster Villanovanus. Suadetur primò discrimen utriusque, quia Aristoteles egit de enuntiatione, & propositione in diversis libris; de enuntiatione enim egit in libris Perhiermeniarum, de propositione verò in lib. Priorum. Quæ pertinent ad diversos libros explicantes eorum essentiam, diversam sine dubio essentiam habent; alioquin vel unus liber esset expositio alterius; vel ejusdem inutilis repetitio, quod utrumque est falsum.

Suadetur secundò ex nominis etymologia. Nam propositio, ut notat N. Ægidius, est idem ac *pro alio positio*; ideòque præmissæ, quæ in syllogismo ordinantur ad conclusionem dicuntur propositiones, hoc est *pro alio positiones*: conclusio autem propositio non est, sed enuntiatio, ut docet D. Thom. & admittunt RR. apud Bajonam capit. de propositione. Enuntiatio est idem ac interpretatio, ut constat ex utroque Beato Doctore lib. 1. Perhierm. cap. 1. Sed *pro alio positio*, & *interpre-*

tatio, sunt quid diversum: ergo propositio, & enuntiatio diversificantur.

3. Suadetur utriusque discrimen ex fine. Nam finis propositionis est inquisitio veritatis; ordinatur enim ad syllogismum, & per syllogismum intellectus inquit veritatem. Finis autem enuntiationis est manifestare exterius veritatem latentem interius in intellectu, ubi est veluti in subjecto proprio. Sed inquisitio veritatis diversus finis est à manifestatione ejusdem: ergo ex fine differunt propositio, & enuntiatio.

Quartò suadetur discrimen ex parte subjecti, & materiæ. Nam enuntiatio, cum sit manifestatio internæ veritatis, fit per signa externa, ut sunt voces significativæ: quare materia enuntiationis sunt voces, & in vocibus est enuntiatio, ut in subjecto. E contra cum propositio sit *Oratio prædicativa unius de alio*, & intellectus hoc faciat per suam secundam operationem, ideò propositio propriè est in intellectu, ut in subjecto, & materia propositionis sunt conceptus intellectus: ergo enuntiatio, & propositio habent diversam materiam, & diversum subjectum, & sic differunt ex parte subjecti, & materiæ.

Confirmatur hoc dif-

discrimen ex Aristotele, qui in lib. Perhierm. docet, quòd partes enuntiationis sunt nomen, & verbum; partes verò propositionis sunt subjectum, & predicatum. Sed quando partes unius compositi differunt à partibus alterius, ipsa composita diversa sunt: ergo si partes enuntiationis differunt à partibus propositionis de mente Philosophi, de mente ejusdem dicendum est, propositionem differre ab enuntiatione.

Urgetur hæc ratio: nullus de mente Philosophi dubitare potest, an verbum sit pars essentialis enuntiationis, quia expressè id affirmatur ab Aristotele ubi suprâ. At ferè omnes dubitant, an verbum sit pars propositionis; immò plures negant esse partem, & dicunt unicè esse unionem partium, de quo in secunda parte nostræ Dialecticæ quæst. 1. ergo quia apud omnes de mente Philosophi stat discrimen enuntiationis à propositione.

5. Tandem hoc discrimen suadet ex diffinitionibus. Nam quæ diversis diffinitionibus diffiniuntur, habent diversam essentiam. At juxta Aristotelem, & nostros Doctores enuntiatio, & propositio diversis diffinitionibus diffiniuntur: ergo essentialiter differunt. Iam verò ostenditur facillè diversas esse utriusque diffinitiones. Nā

Aristot. cap. 4. lib. 1. Perhier. diffinit enuntiationem sic, *Est oratio in qua verum, vel falsum est.* Et lib. 1. Priorum diffinit propositionem sic, *Est oratio affirmativa, vel negativa unius de alio:* quæ diffinitio cum sit per circumlocutionem, explicatur sic à nostro Ægidio ibi: *Propositio est oratio predicativa unius de alio.* Ecce diversæ diffinitiones, ex quarum explicatione clariùs percipies utriusque discrimen, & quæ suprâ dicta sunt.

6. Pro explicatione 1. nota, quòd veritas est in rebus *causaliter*, in intellectu *formaliter*, in vocibus, & scripturis *significativè*, & veluti in *signo*. Est in rebus veritas *causaliter*, quia ante omnem cognitionem nostram aurum est verum aurum, distinctum ab auricalco; panis est verus panis, & sic de alijs. Hæc veritas, quæ datur in rebus ante cognitionem nostram, est veritas transcendentalis, quæ vocatur causalis. Veritas *formalis* consistit in adæquatione judicij intellectus cum rebus cognitis, quare ut dicit Philosophus, *Ab eo quod res est, vel non est, propositio dicitur vera vel falsa.* Unde hæc propositio est vera, *Petrus est animal*, quia in ea intellectus conformatur cum re cognita, quia Petrus in re est animal. At hæc est fal-

falsa, *Petrus est lapis*, quia intellectus non conformatur cum re cognita, nam Petrus lapis non est, & intellectus affirmat Petrum esse lapidem.

Hæc veritas judicij intellectus manet occulta in intellectu nostro, nisi illam per aliqua externa signa manifestemus: signa externa nostra sunt voces, & scripturæ: quamobrem in vocibus, & scripturis datur veritas *significativè*, & ut in *signo*. Ob hæc N. Ægidius explicans diffinitionem enuntiationis datam à Philosopho addit huc terminum *significativè*, & facit hunc sensum, enuntiatio est *Oratio in qua verum, vel falsum est significativè*, vel sic est *oratio significans verum, vel falsum*.

Fundatur hæc explicatio in nuper dictis. Enuntiatio est artefactum constans ex vocibus, cujus partes juxta Philosophum sunt nomen, & verbum; at veritas non est in vocibus, nisi *significativè*, & veluti in *signo*, ut ostensum est: ergo cum Philosophus dicit enuntiationem esse orationem, in qua verum, vel falsum est, non potest intelligi de veritate, quæ sit *causaliter, vel formaliter* in enuntiatione, sed quæ sit *significativè*, vel ut in *signo*.

7. Hinc colliges plura. Primò, quòd hæc diffinitio

*Oratio in qua verum vel falsum est*, applicata enuntiationi, est essentialis; applicata propositioni, est accidentalis, & descriptiva. Ratio primi est, quia enuntiatio habet essentialiter esse interpretatio, vel externa manifestatio interni conceptus in quo residet formaliter veritas, vel falsitas: ergo enuntiatio est essentialiter *Oratio in qua verum, vel falsum est significativè*; vel *Oratio significans verum, vel falsum*. Et sic est diffinitio essentialis enuntiationis. Ratio secundi est, quia respectu propositionis essentia est affirmare, vel prædicare unum de alio: quòd autem hæc prædicatio sit vera, vel falsa, non est essentia propositionis, sed proprietas secuta ad essentiam. Et patet, quia hæc propositio *Petrus currit*, semper est propositio, & habet suam essentiam: at non semper est vera, sed solum currente Petro; quare juxta Philos. propositio eadè, quoad essentiam manens, transit de vera in falsam; ergo veritas vel falsitas non sunt essentia, sed proprietas propositionis: ergo si propositio diffinitur per datam diffinitionem, est diffinitio descriptiva.

Colliges secundo, quòd diffinitio essentialis propositionis non debet esse *Oratio enuntiativa unius de alio*, ut di-

aitur à RR. Sed *Oratio prædicatida unius de alio*. Ratio primi est, quia prima diffinitio confundit enuntiationem cum propositione, & debent distingui juxta supra dicta. Ratio secundi est, quia *ly prædicativa* includit affirmationem, & negationem unius de alio, in qua consistit essentia propositionis, ut dictum est.

8. Colliges tertio, quod enuntiatio propriè est in vocibus, impropriè in actibus intellectus. E contra: propositio propriè datur intra intellectum, & impropriè in vocibus. Ob hæc P. Hurtado cum aliquibus noluit diffinire propositionem per hoc quod sit *oratio*, sed per hoc quod sit *Actus intellectus iudicativus*. Ratio ipsum movens est, quod *Oratio est vox significatida*: sed intra intellectum non dantur voces: ergo propositio, quæ est actus intellectus, non est oratio.

Ceterum eodem fundamento posset impugnare diffinitionem definitionis, nam etiam diffinitio dicitur *Oratio explicans essentiam rei*: & tamen actus intellectus, qui est diffinitio mentalis non est *oratio*, nec *vox*, cum sit intra intellectum.

Dicendum est quod propositio, & diffinitio mentalis, sunt orationes, non vocales, sed mentales. Et dum oratio

diffinitur quod sit *vox, ly vox* ponitur ut conveniens orationi vocali, quæ nobis est magis nota, ut per illam cognoscamus conceptum mentalem, illi correspondentem, in quo consistit oratio intellectualis.

9. Tandem colliges, quod utraq; diffinitio datur per opposita, v.g. enuntiatio, *Oratio in qua verum, vel falsum est*, propositio *Oratio prædicativa, vel negativa unius de alio*. Non inconvenit dare diffinitionem per differentias oppositas, quando differentia sunt magis notæ, quæ ratio communis, & ponuntur sub disjunctione. Sic lib. 2. Physicæ diffinitur natura *Principium motus vel quietis*, quæ sunt differentia opposita, & benè diffinitur ob rationem datam.

Hucusque dicta sunt in gratiam doctrinæ Aristotelis, & N. Fundamentalis Doctoris distinguendum enuntiationem à propositione. Ceterum, quia jam distinctio hæc ferè exulavit à Scholis, & divisiones enuntiationis coincidunt cum divisionibus propositionis, Ideo in sequentibus promiscuè, & indiscriminatim de utraque loquemur cum communi

recentiorum sententia, unde sit,

## CAPUT II.

De divisione propositionis in suas species.

1. **P**RIMA, & celebris divisio propositionis est in *cathegoricam, & hypoteticam*. Cathegorica, quæ dicitur *simplex* diffinitur ab Aristotele sic: *Est quæ significat unum de uno*. Ab alijs diffinitur sic: *Est quæ constat subiecto, copula, & prædicato*. v.g. *Petrus est albus*. Hypotetica, quæ ab Aristot. dicitur *Composita* diffinitur ab eo sic, est propositio *quæ plura significat*: ab alijs autem communiter diffinitur, *Est cujus partes non sunt simplex subiectum, & prædicatum, sed propositiones simplices, vel aliquid compositum*. v.g. *Petrus currit & Ioannes loquitur*. Ecce illas duas propositiones simplices, unitas medio adverbio &, facientes unam propositionem compositam, vel hypoteticam.

Sanè si benè perpendatur Aristotelica diffinitio, melior est diffinitio RR. & si utraque possit sustineri. Noster Ægidius, qui primam sequitur, sciam explicat ita, ut *ly unum de uno* intelligatur de unitate conceptus intellectus, quam

obrem hæc propositio est simplex, & cathegorica, *Omnis homo est animal*. Quia *ly omnis homo*, licet dicat plures homines, cadunt tamen sub uno conceptu intellectus, & sic se habent per modum unius. E contra hæc *Petrus est homo albus*, non est propositio simplex, sed composita, & multiplex, quia non prædicat unum, sed multa, scilicet *homo albus*: & licet hoc completum se habeat apparenter per modum unius prædicati, reverà sunt duo, & per diversos conceptus intellectus concipitur humanitas Petri, & ejus albedo. Vide nostrum Ægidium quæst. 5. supra 2. librum Perhærm.

2. Potest communis diffinitio conciliari cum Aristotelica, intelligendo subiectum simplex, & simplex prædicatum pro simplici propositione: nam periinde est unum de uno prædicari, ac simplex de simplici. Iuxta hanc intelligentiam, prima propositio *Omnis homo est animal*, est simplex, quia *ly omnis homo* simplici conceptu attingitur, & ponitur pro subiecto. At secunda *Petrus est homo albus*, est hypotetica, quia prædicatum non est simplex, sed compositum, & ibi sunt æquivalenter illæ duæ propositiones *Petrus est homo, & est albus*,

quæ sunt duæ simplices facientes unam hypoteticam.

3. Secundò dividitur propositio in *modalem*, & de *inesse*. Propositio de *inesse* est *In qua simpliciter significatur unum alteri convenire*. Modalis est *Quæ significat unum alteri convenire, & modum quo illi convenit*. Hæc propositio *Petrus currit* est de *inesse*, quia absolutè tantùm affirmat cursum convenire Petro. At ista *Petrum currere est contingens est modalis*, quia nedum affirmat cursum convenire Petro, sed modum quo illi convenit, scilicet *contingenter*. De modalibus agemus infra, sicut etiam de hypoteticis: nunc autem claritatis gratia agemus tantùm de categoricis de *inesse*.

4. Propositio categorica de *inesse* dividitur ratione *Materiae, formæ, quantitatis, & qualitatis*. Materia propositionis est *Habitudo prædicati ad subiectum*. Ratione hujus dividitur in *naturalem, impossibilem, & contingentem*. Propositio in materia naturali, & necessaria est cujus prædicatū essentialiter, aut necessariò convenit subiecto. v.g. *Homo est animal. Totum est majus sua parte*. Propositio in materia impossibili est cujus prædicatum repugnat subiecto, v.g. *Homo est lapis*. Propositio in

materia possibili, & contingenti, est cujus prædicatum potest convenire subiecto, aut non convenire, v.g. *Petrus currit*, quod potest esse verum vel falsum.

Forma propositionis est *Convenientia, vel inherencia prædicati ad subiectum explicata per verbum*. Quapropter communiter dicitur quòd copula propositionis est forma illius. Vide secunda parte nostræ Diælecticæ quælit. 1. num. 59. quo sensu forma propositionis sit, vel non sit copula. Igitur stando communi explanationi, ratione formæ dividitur propositio in affirmativam, & negativam. Affirmativa est, quæ prædicatum affirmat de subiecto, v.g. *Homo est albus*. Negativa quæ prædicatum negat de subiecto, ut *Homo non est equus*.

5. Rursus: propositio affirmativa subdividitur in *formalem, & identicam*. Identica est *In qua prædicatur idem de eodem*, v.g. *Petrus est Petrus*. Gladius est ensis. Formalis est in qua prædicatum aliquo qualiter distinguitur à subiecto, v. g. *Homo est animal*. Rursus *formalis* subdividitur in *indirectam, & directam*. Directa est quando superius prædicatur de inferiori, & forma de subiecto, v.g. *Homo est animal*. *Petrus est albus*. Indi-

recta est quando inferius prædicatur de superiori, & subiectum de forma, v.g. *Animal est homo*. *Albus est Petrus*.

6. Quantitas propositionis est *Extensio subiecti ad plura vel pauciora, vel ratione signi, quo afficitur, vel ratione materiae in qua est*. Ratione ergo quantitatis dividitur propositio in *Universalem, particularem, indefinitam, & singularem*. Universalis propositio est, cujus subiectum afficitur signo universali: v.g. *Omnis homo est animal, nullus homo est lapis*. Particularis est cujus subiectum est terminus communis affectus signo particulari: signa particularia sunt *aliquis, alter quidam*, hæc sunt particulares, *Aliquis homo currit*. *Quidam legit, &c*. Indefinita est cujus subiectum est terminus communis, nullo signo affectus, v.g. *Homo est animal, leo rugit*.

Notandum quòd propositio indefinita in materia naturali, & impossibili, æquivaleret universali, in materia verò contingenti æquivaleret particulari. Unde hæc *homo est animal*, æquivaleret huic, *Omnis homo est animal*. Et hæc *homo est albus*, huic *aliquis homo est albus*. Excipe ab hac regula propositiones indirectas in materia necessaria, v.g. *Animal*

est *homo*. Nam non æquivaleret huic *Omne animal est homo*, quia sic foret falsa; sed æquivaleret huic *Aliquod animal est homo*.

7. Propositio singularis est cujus subiectum est terminus singularis, vel si est terminus communis, afficitur signo singulari. Signa singularia sunt *hic, iste, ille*. Unde istæ sunt singulares propositiones, *Petrus currit, hic homo currit, ille homo est albus*.

Qualitas propositionis est *Affectio, vel proprietas illius*, unde supra cap. 1. hujus libri num. 7. diximus veritatem, & falsitatem esse proprietates propositionis. Ratione hujus qualitatis dividitur propositio in *veram, & falsam*. Vera est, quæ conformatur cum objecto ut est in se. Falsa quæ non conformatur cum suo objecto. Unde hæc est vera *Homo est animal*: & hæc falsa *Homo est lapis*. Quia utriusque objectum est *homo*: & homo in se est animal, & non est lapis: quare prima, quæ in affirmando se conformat objecto, est vera: secunda, quæ difformatur, est falsa. Et ob id dixit Philosophus quòd *Ab eo quod res est, vel non est, propositio dicitur vera, vel falsa*.

Pro modo loquendi observa, quòd si petant à te, quæ propositio est ista? Responde-

bis, est simplex, vel hypotetica; affirmativa, vel negativa. Si interrogeris quanta sit propositio? Respondebis universalis, particularis, indefinita, aut singularis. Si petatur qualis sit? Respondebis vera, aut falsa.

## CAPUT III.

De proprietatibus propositionum, & præcipue de oppositione.

I. ANTEquam tractemus de hypotheticis, & de modalibus, placeat discutere circa propositionem simplicem, & de inesse, proprietates quas habet, ut à facilioribus incipiendo, sternamus viam pro difficilioribus. Proprietates propositionis sunt *Oppositio, aequipollentia, & conversio*. In hoc capite tractabimus de sola oppositione, quæ præcipua est, & utilissima.

Oppositio in communi est *Repugnantia duarum propositionum*, v.g. *Omnis homo est albus, aliquis homo non est albus*. Hæc petit varias conditiones. Prima, quod una ex propositionibus sit affirmativa, altera negativa. Defectu hujus istæ propositiones *Omnis homo est animal, aliquis homo est*

*animal*, reverà non sunt oppositæ, quia licet pugnent in quantitate, eò quod una est universalis, alia particularis, deficit tamen quod una sit affirmativa, alia negativa; & ideò non sunt propriè oppositæ. Impropiè oppositæ sunt, & oppositio hæc dicitur *subalternata*, & definitur *Repugnantia duarum propositionum in sola quantitate*. Et nota quod propositio universalis dicitur *subalternata*, propositio particularis dicitur *subalternata*.

2. Secunda conditio est, quod servetur in terminis propositionis eadem univocatio, vel acceptio, eadem appellatio, suppositio, ampliatio, restrictio, & idem de alijs proprietatibus terminorum. Ratio est, quia oppositio propositionum est *Affirmatio, & negatio ejusdem de eodem, & secundum idem*. Si autem non servatur in utraque propositione eadem acceptio terminorum cum suis proprietatibus, jam non erit affirmatio, & negatio ejusdem de eodem, & secundum idem, sed vel diversum, vel de diverso, vel secundum diversa, & sic non erit oppositio. Unde istæ non sunt oppositæ *Canis latrat: canis non latrat*. Quia non sunt de eodem, nam prima est de cane terrestri, secunda de cane cœlesti, aut marino, similiter

nec istæ: *Petrus magnus est Philosophus: Petrus non est Philosophus magnus*, quia variatur appellatio, nam in prima appellat materialiter, in secunda formaliter. Nec istæ, *Homo est species: homo non est species*, quia variatur suppositio, quia in prima homo supponit simpliciter, in secunda personaliter. Ab hac regula excipienda est suppositio proveniens à signis adjunctis; nã istæ verè opponuntur *Omnis homo est albus, aliquis homo non est albus*. Et tamen in prima homo supponit distributivè, in secunda determinatè. Ceterum quia variatio ista provenit à signis *omnis, & aliquis*, non obstat veræ oppositioni propositionum. Obstat si termini variarent suppositionem, quam habent independentè à signis.

3. Tertia conditio est, quod servetur in utraque propositione unitas loci, & temporis. Defectu hujus non sunt oppositæ istæ *Petrus legit Petrus non legit*, quia si referantur ad diversum tempus, non sunt affirmatio, & negatio ejusdem de eodem secundum


idem tempus, sed secundum diversum. Idem de istis, si referuntur ad diversum locum *Petrus calescit, Petrus non calescit*: quia in camino calescit, in stagno non calescit, unde non sunt secundum idem, & consequenter nec oppositæ.

Triplex est oppositio propositionum. Scilicet *contradictoria, contraria, & subcontraria*. His additur *subalternata*, de qua num. 1. dictum est. Oppositio contradictoria est quæ versatur inter duas propositiones affirmativam, & negativam, quarum una est universalis, alia particularis, v.g. *Omnis homo est animal: aliquis homo non est animal*. Oppositio contraria est, quæ versatur inter duas propositiones universales, quarum una est affirmativa, alia negativa, ut *Omnis homo est animal: nullus homo est animal*. Subcontraria est quæ versatur inter duas propositiones particulares quarum una affirmat, alia negat. Ut *Aliquis homo est animal: aliquis homo non est animal*.

Hæc omnia apparent in sequenti descriptione.

SUBALTERNANS.

SUBALTERNANS.



SUBALTERNATA.

SUBALTERNATA.

4. N. Ægidius in primo Sent. dist. 11. q. 3. art. 3. ad tertium argumentum dicit oppositionem contradictoriam esse omnium maximam, verba ejus sunt: *Oppositio contradictoria dicitur esse maxima propter amplitudinem, quia omnes alias oppositiones continet.* Eandem doctrinam habet D. Thom. in 1. dist. 5. quaest. 1. art. 1. ad primum: & ratio ex Ægidio est, quia illa est omnium maxima oppositio, quæ alias continet in se: sed talis est oppositio contradicto-

ria, ut patebit: ergo est omnium maxima. Ecce quomodo reliquas continet. Oppositio contraria est solum in qualitate, hoc est in affirmatione, & negatione, nam ambæ propositiones conveniunt in quantitate. Idem de oppositione subcontraria. Oppositio autem subalterna est solum in quantitate, non autem in qualitate: at oppositio contradictoria est oppositio in quantitate, & simul in qualitate, ut patet: ergo est major oppositio, & continet ceteras.

Istæ

Istæ oppositiones habent suas leges; lex contradictoria est, quod in nulla materia possunt esse simul veræ, nec simul falsæ, sed necessario una est vera, altera falsa, ut patet in descriptione posita. Lex contrariarum est, quod possunt in materia contingenti esse simul falsæ: at non possunt esse simul veræ in nulla materia. Patet hoc in illis *Omnis homo est albus, nullus homo est albus.* Ecce utraque est simul falsa. Ceterum nec istæ, nec aliæ in quacumque materia possunt esse simul veræ. Lex subcontrariarum est, quod possunt in materia contingenti esse simul veræ, at non possunt esse simul falsæ. Primum patet in his *Aliquis homo est albus, aliquis homo non est albus.* Ecce utraque vera. Ratio secundi est, quia si subcontrariæ forent simul falsæ, cum etiam contrariæ possint esse simul falsæ, sequeretur posse dari duas contradictorias simul falsas, quod est impossibile.

5. Hæc invenies apud omnes dicta uniformiter, & ideo hic reponuntur. At de subcontrarijs lex illa non videtur congruè appositæ. Nam istæ propositiones *Aliquis homo est albus, aliquis homo non est albus.* Vel habent subjectum pro eodem homine supponens, vel

supponens pro diversis hominibus. Si supponit pro eodem homine, una earum est falsa; quia idem homo nequit esse simul albus, & non albus. Si supponit pro diversis hominibus, tunc propositiones illæ non sunt oppositæ. Quod patet ex dictis toto hoc capite. Nam oppositio est affirmatio, & negatio ejusdem de eodem: non autem de diversis. Præterea: si de eodem Petro secundum diversum tempus non opponuntur hæc *Petrus legit, Petrus non legit*: ergo multo minus de diversis hominibus opponuntur istæ *Aliquis homo legit, aliquis homo non legit.* Ergo ut sint oppositæ, debent intelligi de eodem homine, eodem tempore, & eodem loco. At sic non possunt esse simul veræ, ut patet.

Hinc à posteriori inferitur quod nec propositiones contrariæ possunt esse simul falsæ. Ratio est, quia si subcontrariæ non possunt esse simul veræ, una ex subcontrarijs, est necessario falsa in quacumque materia: ergo propositio universalis ei contradictorie opposita erit necessario vera in quacumque materia. Patet hoc, quia duæ contradictoriæ non possunt esse simul falsæ, & forent, si posita subcontraria falsa, poneretur falsa etiam universalis sibi contradictoria.

H

In

In parte sequere quod tibi apparet verius.

## CAPUT IV.

De æquipollentia propositionū.

I. **Æ**QUIPOLLENTIA propositio-  
num est *Æquipollentia in significando*, & deservit ut duæ contradictoriæ fiant æquivalentes, duæ contrariæ, aut duæ subalternæ. Pro subcontrarijs nulla datur regula, quia non possunt fieri æquipollentes. Regulae pro tali æquipollentia hoc carmine continentur.

Præ contradic; post contra:  
Præpostque sub alter.

Sensus est ut duæ contradictoriæ fiant æquipollentes, debet negatio poni ante subiectum, aut præponi subiecto. v.g. Iste sunt contradictoriæ *Omnis homo est albus: aliquis homo non est albus.* Vis primam æquipollere secundæ? Pone ante subiectum negationem sic, *Non omnis homo est albus*, ecce jam est idem ac

Non omnis, quidam non: omnis non, quasi nullus.  
Non nullus, quidam: sed nullus non, valet omnis.  
Non aliquis, nullus: non quidam non, valet omnis.  
Non alter, neuter: neuter non, præstat uterque.

*Aliquis homo non est albus.* Et è contra si dicas *Non aliquis homo non est albus*, æquivalet huic *Omnis homo est albus.*

2. *Post contra*: sensus est quòd ut duæ contrariæ æquipolleant, debet poni negatio post subiectum. v.g. Iste sunt contrariæ *Nullus homo est animal, omnis homo est animal.* Æquipollebunt si post *homo* ponas negationem sic, *Nullus homo non est animal*, nam æquivalet huic *Omnis homo est animal.* Et hæc, *Omnis homo non est animal*, æquivalet huic *Nullus homo est animal.*

*Præpostque subalter.* Sensus est quòd ut fiant æquipollentes propositiones subalternæ debent poni duæ negationes, una ante subiectum, altera post subiectum sic: ecce subalternæ *Omnis homo est animal, aliquis homo est animal.* Appone primæ duas negationes, & æquivalet secundæ sic, *Non omnis homo non est animal*, quæ est idem ac *Aliquis homo est animal.* Adverte quòd negatio h'c semper sumitur neganter, non infinitanter, & vide omnes tres regulas amplius explicatas his versibus.

## CAPUT V.

De conderfione propositionum.

I. **U**LTIMA propositio-  
nis proprietas est  
conversio, quæ cō-  
ducit ad rectificandos syllogif-  
mos reducendo eos de im-  
perfectis ad perfectos. De con-  
versione ista egit Aristoteles i.  
Priorum, & ibi noster Ægi-  
dius etiam qui probat regulas,  
quas dabimus pro conversio-  
ne. Eas videre poteris in no-  
stro Villanova; placet tamen  
tales rationes prætermittere,  
quoniam satis erit incipientibus  
regulas percipere, nec oportet  
probare eas tam difficulter,  
dum à nemine negantur.

Diffinitur ergo conversio  
sic: *Est consequentia necessaria  
unius propositionis ad aliam  
per solam transmutationem  
terminorum.* v.g. *nullus lapis  
est homo: ergo nullus homo est  
lapis.* Ecce prima propositio  
mutatis terminis subiecti im-  
prædicatum, & prædicati in  
subiectum, infert necessariò  
secundam. Ubi nota, quòd pri-  
ma dicitur *conversa*, secunda  
*conuertens*, & consequentia  
dicitur *converso*.

2. Triplex est conver-  
sio, scilicet *Simplex*, *per ac-  
cidents*, & *per contrapositio-*

*nem.* Ubi nota, quòd nec Ari-  
stoteles, nec Ægidius memi-  
nerunt tertiæ: & merito, quia,  
ut videbis, potius est æquipol-  
lencia, quàm conversio. Ni-  
hilominus à RR. vocatur cō-  
versio, & cum eis illam expli-  
cabitur.

Conversio simplex fit per  
solam transmutationem subje-  
cti in prædicatum servata quã-  
titate, & qualitate. v.g. *Nul-  
lus homo est lapis: ergo nul-  
lus lapis est homo.* Ecce serva-  
tur eadem qualitas, quia utra-  
que propositio est negativa. Et  
servatur eadem quantitas, quia  
utraque est universalis.

3. Conversio per acci-  
dens fit quando termini trans-  
mutantur mutata quantitate u-  
niversali in particularem. v. g.  
*Omnis homo est animal: ergo  
aliquod animal est homo.* Ecce  
prima propositio erat univer-  
salis, & per transmutationem  
ponitur pro subiecto cum si-  
gno particulari, quòd in con-  
versa erat prædicatum, & fit  
consequentia ad propositionem  
particularem. Ubi observa,  
quòd istæ duæ conversiones a-  
liter vocantur ab Aristotele.  
Nam conversio *simplex* dicitur  
*totalis*; conversio *per acci-  
dens* dicitur *non totalis*.

Conversio per contrapo-  
sitionem fit quando servata  
eadem quantitate, & qualita-  
te termini per sibi appositas



negationes redduntur infiniti, & Carmelitanos compluten-  
v.g. *Omnis homo est animal*: ses. Hi tres modi conversio-  
ergo *omne non homo est non* num, & quibus propositioni-  
*animal*. Ceterum, ut diximus, bus sunt applicandi, con-  
hæc potius est æquipollentia. tinentur his  
De quo vide nostrum Villanova, versibus.

Simpliciter *Feci*, convertitur *Eva* per acci.

Ast *O* per contra, sic fit conversio tota.

4. Sensus est quod vo- A. E. I. O. *A* dicit universa-  
cales dictionis *Feci* convertun- lem affirmativam: *E* univer-  
tur simpliciter: vocales dictio- salem negativam: *I* particula-  
nis *Eva* convertuntur per ac- rem affirmativam: *O* particu-  
cidens: vocales *asto* per con- larem negativam. Quod his  
trapositionem. Invenies in his versibus facilius memoriae cõ-  
tribus dictionibus has vocales mendabis.

Afferit *A*. negat *E*, sunt universaliter ambæ

Afferit *I*. negat *O*, sunt particulariter ambæ.

*Simpliciter feci*, denotat converti simpliciter universalem ne-  
gativam, & particularem affirmativam.

*Eva per acci*, denotat converti per accidens universalem ne-  
gativam, & universalem affirmativam.

*Asto per contra*, denotat converti per contrapositionem uni-  
versalem affirmativam, & particularem negativam.

5. Observandum est quod, ut conversio sit bona, de-  
bent servari omnes proprietates terminorum quia varietur  
suppositio, appellatio, restrictio, &c. Quare non valet *Homo est species*: *species est homo*, quia in prima *homo* supponit simpliciter, in secunda personaliter. Nec valet *Hic*  
*puer erit senex*: ergo *hic senex erit puer*. Nam in prima *puer* sumitur pro eo qui est, & erit: in secunda restringitur ad solum *erit*, unde variatur restrictio. Uno verbo, debent in conversione servari omnes regulæ bonæ consequentiæ, de quibus in tertio libro.

## CAPUT VI.

De propositionibus hypotheticis.

1. SUPRA egimus de propositionibus simplicibus, & cathegoricis, restat agere de compositis & hypotheticis. Propositio hypothetica diffinitur, *Quæ constat ex duabus cathegoricis unitis aliquo adverbio copulante*. v. g. *Petrus currit, & Ioannes loquitur*, ubi copula est adverbium *&*. Hypothetica est quintuplex, scilicet *Conditionalis, causalis, copulativa, disjunctiva, & relativa*. *Conditionalis* est quæ unit propositiones media particula *si*: v. g. *Si sol lucet, dies est*. *Causalis* est quæ unit propositiones medio adverbio *quia* v. g. *Quia homo est rationalis, est risibilis*. *Copulativa* est quæ unit propositiones medio adverbio *&*, v. g. *Petrus laborat, & Paulus gaudet*. *Disjunctiva* est quæ unit media particula *vel* v. g. *vel Petrus currit, vel dormit*. *Relativa* est quæ unit medio relativo *quis, vel qui*, v. g. *Petrus qui loquitur est sapiens*.

Aliqui addunt inter hypotheticas rationalem, & est illa quæ unit propositiones media particula *ergo* v. g. *Petrus currit: ergo movetur*. Ceterum hæc non tam est propo-

sitio, quàm argumentatio, quæ vocatur enthymema, de qua in tertio libro.

2. Observa, quod istæ propositiones hypotheticæ fiunt contradictoriæ negando particulam copulantem, v. g. in ista *Si sol lucet, dies est*, fit contradictoria sic, *Non si sol lucet, dies est*. Et ratio hujus est, quia in contradictorijs una debet esse affirmativa, alia negativa. At propositio hypothetica, si non negatur particula uniens, semper est affirmativa; unde hæc affirmativa est, *Si nullus homo est lapis, Petrus non est lapis*. Ratio est, quia in hypotheticis pro affirmatione, & negatione non attenditur ad copulas propositionum cathegoricarum, sed ad copulam conjungentem ambas propositiones; at in exemplo dato copula uniens est *ly si*, & hoc non negatur: ergo licet propositiones unitæ sint negativæ, at propositio hypothetica ex eis resultans affirmativa est. Nec in hypotheticis ulla est quantitas attendenda.

3. Observa etiam varias esse regulas pro cognoscenda veritate propositionis hypotheticæ, quas sigillatim apponemus. Et prima pro conditionalibus sit, quæ ad sui veritatem non petunt, quod propositiones cathegoricæ ex quibus componuntur, sint veræ, sed

sed unice, quod *Vna inferatur ex alia*: v.g. *si homo volat, habet alas*. Ecce utraque categorica est falsa, quia falsum est hominem volare, & habere alas. Et tamen hypotetica est vera; quia bene infertur hominem habere alas ex eo quod volat. A contrario stat propositiones simplices esse veras, & conditionalem esse falsam, v.g. *si homo est albus, est rationalis*. Ecce utrumque verum, sed quia esse rationalem non sequitur ex albedine, ideo hypotetica est falsa, vel ut melius loquaris, dic eam non esse bonam, quia consequentia non dicitur vera, vel falsa, sed bona, aut mala, ut dicemus in tertio libro.

Adverte quod conditionalis est vera, aut bona ratione connexionis unius cum alio. Hæc connexio potest esse duplex, vel physica, *Ve si sol lucet, dies est*, ubi dies connectitur physicè cum luce solis. Vel moralis, ut *si Petrus tentatur, peccat*, ubi peccatum non sequitur infallibiliter ex tentatione: ceterum ob debilitatem Petri prudenter iudicatur ipsum peccaturum ex vi, quod tentetur urgeret.

4. Secunda regula est pro causalibus. Petit causalis ad sui veritatem, quod *Antecedens sit causa consequentis*. Unde licet utraque propositio

simplex sit vera, si tamen una non est causa alterius, hypotetica est falsa. v.g. Hæc est falsa, *Quia Petrus est albus, est homo*, quia hæc affirmatur, quod ratio, & causa essendi hominem, est albedo; & hoc est falsum. Unde hæc est vera, quia *Petrus est homo est risibilis*, quia reverà causa risibilitatis est humanitas.

Observa discrimen inter conditionalem, & causalem. Conditionalis solum petit unum inferri ex alio, & si utrumque sit falsum, ut dictum est de homine volante numero 3. At causalis petit, quod utrumque sit verum, & quod unum sit alterius causa, v.g. hæc conditionalis est vera, *si homo volat, habet alas*. At hæc causalis est falsa, *Quia homo habet alas, volat*. Ratio est, quia causalis affirmat utrumque, & ideo utrumque petit ad sui veritatem. Conditionalis non affirmat nisi solam connexionem, & hanc solam petit ad sui veritatem.

5. Tertia regula est pro copulativis. Petit copulativa ad sui veritatem, quod utraque categorica sit vera. Unde hæc est falsa *Petrus est homo, & Paulus est equus*. Quia licet sola pars secunda sit falsa, reddit falsam totam propositionem hypoteticam, nam *Malum ex quocumque defectu*. Quar

Quarta regula pro disjunctivis. Petit disjunctiva, quod una ex categoricis sit vera. Unde hæc est vera, *Vel Petrus est homo, vel non est homo*. Quia licet secunda pars sit falsa, integra propositio est vera ratione primæ partis. Et observa, quod hic non valet axioma illud *Malum ex quocumque defectu*: quia cum unio propositionis disjunctivæ sit particula *vel*, quæ non affirmat ut veram propositionem quoad omnes partes, sed quoad unam, sufficit veritas unius, ut propositio integra quoad id, quod affirmat vera sit.

Quinta regula pro relativis. Petit propositio relativa ad sui veritatem, quod omnes ejus partes sint veræ, v.g. *Petrus qui est homo, est albus*. Ratio est, quia utrumque affirmat. Unde hæc est falsa, *Petrus qui est equus, est albus*. Observa, quod illa propositio relativa adjuncta habet suam copulam, & vocatur *Copula implicationis*, & minus principalis.

Observa omnes alias locutiones hypoteticas & compositas reduci ad explicatas. Nam ad copulativam reducuntur quæ sunt his particulis, *Quando, dum, ubi primum, statim, ac, &c.* Unde istæ sunt copulativæ, *Quando vevi, vidi. Dum vidi, gaudebam. V-*

*bi primum, vel statim ac veni, nisi amicos omnes.* Ad conditionalem reducitur particula *nisi*, & *ubi*, v.g. *nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat qui custodit eam*. Idem valet ac si dicas, *Si Dominus non custodierit, &c. Vbi fuerit corpus congregabuntur, et aquilæ.* Valet idem ac, *Si in aliquo loco fuerit corpus, ibi &c.* Quod facile observabis reducendo sensum locutionum ad particulas explicatas.

7. Ut autem cognoscas in qua materia sunt propositiones hypoteticæ, observa, quod conditionalis est in materia naturali, quando connexio est physica, v.g. *Si sol lucet, dies est*. Si verò connexio sit moralis, tunc est in materia contingenti. Idem de causalis. Copulativa erit in materia naturali, si utraque categorica sit in materia necessaria, si verò utraque, vel una sit in materia contingenti, tota hypotetica copulativa erit contingens. Disjunctiva si datur per extrema repugnantia inter se, redditur in materia naturali, v.g. *Petrus loquitur, vel non loquitur*; ecce utraque secundum se est contingens: ceterum quia inter se pugnant loqui, & non loqui; ideo disjunctiva est in materia naturali. Si verò utraque pars sit impossibilis, tota propositio dis-

junctiva est in materia impos-  
sibili v.g. *Vel Petrus est lapis,*  
*vel est leo.* Quando verò una  
ex partibus est contingens,  
tunc tota disjunctiva est con-  
tingens, v.g. *vel Petrus est*  
*albus, vel est rationalis.* De re-  
lativa dic idem, ac de copu-  
lativa. Vide Bajonam, & alios,  
si velis rem istam fusiùs attin-  
gere, & modos arguendi in  
omnibus hypotheticis dilucida-  
re. Ea omittimus, ne incipi-  
entium memoriam innumeris  
regulis oneremus.

## CAPUT VII

De propositionibus exponi-  
bilibus,

1. **V**ocantur exponibiles  
illæ propositiones,  
quæ ob sui obscuri-  
tatem indigent explicatione vel  
potius quæ ratione alicujus ad-  
juncti, æquivalent duplici pro-  
positioni. v.g. *Homo tantum*  
*est rationalis.* Ecce unica pro-  
positio, sed ratione *ly tantum*  
æquivaleret duabus, & exponi-  
tur sic: *Homo est rationalis;*  
*& nihil aliud præter homi-*  
*nem est rationale.* Ubi nota,  
quòd propositio quæ explica-  
tur, dicitur *exponibilis*; illæ ve-  
rò propositiones quibus expli-  
catur, dicuntur *exponentes.*  
Nota etiam, quòd ut exponit

*bilis* sit vera, requiritur, quòd  
omnes ejus exponentes sint ve-  
ræ. Quare hæc est falsa: *Homo*  
*tantum est animal*: nam ex-  
ponitur sic, *Homo est animal;*  
*& nihil præter hominem est*  
*animal*; prima exponens est  
vera, secunda falsa: & ideò  
*exponibilis* falsa est.

2. Exponibilis est tri-  
plex, scilicet *Exclusiva*, *exce-*  
*ptiva*, & *reduplicativa.* Ex-  
clusiva est quæ afficitur parti-  
cula exclusiva, hoc est signifi-  
cante exclusionem, v.g. *tan-*  
*tum, solum, duntaxat, &c.*  
Hæc particula vel ponitur ex  
parte prædicati, & tunc dici-  
tur exclusiva prædicati, v.g.  
*Prædicamenta sunt solum de-*  
*cem.* Exponitur sic: *Prædica-*  
*menta sunt decem*: & nota  
*sunt plura.* Vel ponitur ex par-  
te subjecti, & tunc dicitur ex-  
clusiva subjecti, v.g. *Solus*  
*homo est rationalis*, exponitur  
sic: *Homo est rationalis*: &  
*nihil aliud præter hominem est*  
*rationale.*

Exceptiva est quæ affici-  
tur particula significante exce-  
ptionem; talis est *præter*, &  
similis. Hæc ferè semper ex-  
cipit ex parte subjecti aliquid  
à participatione prædicati, v.g.  
*Omne animal præter hominem*  
*est irrationale.* Exponitur sic,  
*Homo non est irrationale, sed*  
*reliqua animalia sunt irratio-*  
*nalialia.*

Re

## LIB. II.

3. Reduplicativa est  
propositio affecta dictione re-  
duplicante. Tales sunt hæc *For-*  
*maliter, quatenus, in quan-*  
*tum, ut sit, &c.* Dicuntur re-  
duplicativæ, quia denotant ra-  
tionem sub qua prædicatum  
convenit subjecto, v.g. *Homo*  
*in quantum animal, est sensibi-*  
*lis.* Ecce exponitur sic: *Homo*  
*est sensibilis*; & *convenit ei*  
*sensibilitas ratione animalita-*  
*ris.* Unde hæc est falsa, *Homo*  
*in quantum rationalis est sen-*  
*sibilis.* Et hæc *Homo in quan-*  
*tum animal est discursivus.*  
Ratio est, quia licet homo  
verè sit sensibilis, & discursi-  
vus: at non convenit ei esse  
sensibilem ratione rationalita-  
tis, sed animalitatis: nec con-  
venit ei discurrere, quia est ani-  
mal, sed quia est rationalis.

## CAPUT VIII.

De materia, & forma propo-  
sitionum modalium.

1. **E**gimus de propositio-  
ne categorica de  
*in esse*, restat agere  
de categorica modali, quæ  
quia difficilis est, eam ultimo  
loco suscipimus explicandam.  
Habent modales materiam,  
formam, quantitatem, quali-  
tatem, conversionem, oppo-

## CAP. VII. 65

sitionem, & æquipollentiam;  
sicut propositiones de *in esse*  
jam explicatæ. Non omnia  
prolixè discutiemus, sed quæ  
possint faciliùs percipi, & suf-  
ficient pro incipientium utili-  
tate.

Propositio modalis est;  
*Quæ significat unum alteri*  
*convenire, & modum quo illi*  
*convenit.* v.g. *Petrus contin-*  
*genter currit.* Ecce non solum  
significatur cursus conveniens  
Petro, sed etiam modus quo  
illi convenit cursus, scilicet  
*contingenter.* Observa ex D.  
Thoma opusc. 4. quòd modus  
est *Determinatio adjacens rei.*  
Hoc est terminus alterum re-  
stringens, & determinans. v.g.  
*Petrus doctè disputat, ly doctè*  
adjacens verbo, est modus  
determinans disputationem, ut  
pro sola doctæ accipiatur.

2. Modus ergo est tri-  
plex, unus, qui determinat  
extrema, hoc est subjectum,  
aut prædicatum, v.g. *Homo*  
*pius piè recitat*, ecce *ly pius*  
determinat, & restringit ho-  
minem ad solos pios, & *ly piè*  
restringit recitationem ad so-  
lam devotam. *Alter* modus  
determinat tempus, quo præ-  
dicatum convenit subjecto;  
v.g. *Petrus heri disputavit*;  
& *hodie est otiosus.* *Ly heri*,  
& *hodie* sunt modi determi-  
nantes tempus, quo prædica-  
tum convenit subjecto. Nullus

ex his modis facit propositionem modalem.

3. Tertius modus, qui solus facit propositionem modalem, est qui determinat convenientiam prædicati cum subiecto significatam per verbum. v.g. *Petrus necessario est animal*. Ecce si solum diceres *Petrus est animal*, faceres propositionem de *inesse*, quia solum affirmares quod animal absolute convenit Petro, & non explicares modum quo illi convenit. Ceterum dicendo *Petrus necessario est animal*, nedum affirmas esse animal, sed affirmas modum quo animalitas convenit Petro: & sic est propositio modalis de qua in præsentia.

Illi modi possunt esse sex, scilicet *Necessarium*, *impossibile*, *contingens*, *possibile*, *verum*, & *falsum*. Quibus adde *essentialiter*, & *accidentaliter*. Ceterum *essentialiter* est idem ac *necessario* in modalibus, & *accidentaliter* est idem ac *possibile*. Observa etiam, quod *verum*, & *falsum* non constituunt modales, quia nihil addunt supra propositiones de *inesse*. Et patet, quia idem est dicere: *Homo disputat*, ac *homo verè disputat*. Nam si propositio prima est vera, tunc verè disputat, si falsa falsò.

4. Ex his sequitur quod

modi facientes propositionem modalem sunt tantum quatuor, scilicet *Possibile*, *contingens*, *neceffe*, & *impossibile*. Ex quibus duo primi pro eodem accipiuntur; nam non sumit. hic *contingens* pro eo quod potest esse, vel non esse: sed pro eo quod est possibile esse.

Nota etiam quod hi modi possunt poni in propositione *adverbialiter*, *substantivè*, & *adjectivè*. Si ponuntur *adjectivè*, non faciunt propositionem modalem: bene verò si ponuntur *substantivè*, vel *adverbialiter*. Ecce exemplum in his propositionibus: *Deus est ens necessarium*: *Deus necessario est ens*: *Deum esse ens est necessarium*. In prima ponitur *necessarium* *adjectivè*; in secunda *adverbialiter*; in tertia *substantivè*. Prima est propositio de *inesse*: secunda, & tertia modales. Ratio huius est, quia *ly necessarium* in prima sumptum *adjectivè* determinat prædicatum. In secunda verò, & tertia determinat convenientiam prædicati cum subiecto; & hæc sola facit modales, ut dictum est num. 3.

5. Observa attentissime quod in qualibet modali dantur tria, scilicet *Dictum*, *copula*, & *modus*. v.g. *Petrum currere est possibile*. *Ly Petrum*

*trum currere* est dictum: *ly est* habet rationem copulæ principalis; & *ly possibile* est modus. Hoc facile percipitur in modalibus de modo substantivo. Ceterum quando ponitur modus *adverbialiter*, non est ita facile, v.g. *Petrus possibiliter currit*; nihilominus id percipies exponendo sic, *Petrus possibiliter est currens*, ecce *ly Petrus currens* est dictum, *ly est* copula: *ly possibiliter* modus.

Hinc facile percipies divisionem modalis in *compositam*, & *divisam*. Modalis composita est quando modus prædicatur de toto dicto. v.g. *Petrum currere est possibile*. Ecce totum dictum ponitur veluti subiectum, de quo modus prædicatur. Modalis divisa est quando modus non prædicatur de toto dicto, sed de parte dicti, v.g. *Peccator possibiliter est beatus*. Ecce totum dictum est *peccator beatus*, & *ly possibiliter* non prædicatur de toto dicto: quia ut infra dicemus foret propositio falsa, sed prædicatur de parte dicti, scilicet de homine peccatore, qui habet potentiam, ut sit beatus.

6. Ex discrimine dato sequitur aliud, scilicet quod modalis composita facit sensum compositum, divisa facit sensum divisum. Hos sen-

sus intelliges hoc exemplo: *Petrus sedens potest ambulare*. Hæc propositio in sensu composito est falsa, quia sic denotat, quod homo possit conjungere ambulationem cum sessione, & hoc est impossibile. In sensu diviso est vera, quia homo sedens habet potentiam ad deambulandum divisivè à sessione. Faciamus illam modalem sic: *Petrum sedentem ambulare est possibile*: Vel sic *Petrus sedens possibiliter est ambulans*. Prima est modalis composita, & falsa, quia facit sensum compositum de ambulatione & sessione, affirmans illum esse possibilem, quod est falsum. Secunda est modalis divisa, & facit sensum divisum, affirmans de homine sedente habere potentiam ut fiat ambulans, quod est verum.

7. Accipe hanc regulam grammaticalem pro distinctione modalis compositæ à divisa. Quando modus ponitur *adverbialiter*, tunc modalis est divisa. v.g. *Petrus possibiliter currit*, *homo necessario est animal*. At quando modus ponitur *substantivè*, tunc modalis est composita; & modus prædicatur de toto dicto, v.g. *Petrum currere est possibile*: *Et hominem esse animal est necessarium*. I hæc compositæ semper ferè ponuntur

um in infinitivo, possunt tamen poni sic: *Quod homo sit animal est necessarium. Quod Petrus currat est possibile.*

Sicut cap. 2. hujus libri num. 4. explicavimus materiam, & formam propositionis de *inesse*, ita hic explicanda est materia, & forma propositionum modalium. Materia propositionis modalis juxta nostrum Ægidium quæst. 13. & 14. supra 2. librum Perhierm. est habitudo inter terminos dicti. Forma verò est determinatio illius habitudinis proveniens à modo. Ecce exemplum: *Petrum currere est possibile*, vide terminos dicti, invenies Petrum, & cursum, isti dicunt inter se habitudinem accidentalem, unde propositio illa est in materia contingenti. Forma est determinatio proveniens à modo, modus est *ly possibile*, hic modus determinat convenientiam inter terminos dicti, & expressè dicit convenientiam, & habitudinem illam esse possibilem.

Considera dictum propositionis modalis, (recluso modo, invenies propositionem de *inesse*; vide juxta dicta cap. 2. materiam illius propositionis, & invenies talem esse materiam propositionis modalis. v. g. Vis scire in qua materia est ista propositio mo-

dalitatis, *Petrum esse hominem est possibile*; separa dictum, & fac propositionem de *inesse* sic *Petrus est homo*. Vides hanc propositionem de *inesse* esse in materia naturali; in eadem est illa modalis cujus dictum separasti.

9. Ceterum observa, quòd tota modalis vel est necessariò vera, vel est necessariò impossibilis, & falsa. Hoc non habet ratione materiæ, sed ratione formæ. Vide hoc clarè. Same tibi hoc dictum, *Petrum currere*. Certè illud est in materia contingenti, quæ potest esse vera, vel falsa. At si addas hunc modum *est necessarium*, propositio necessariò est falsa, quia falsum est in omni eventu *Petrum currere esse necessarium*. At si addas hunc modum *est possibile*, propositio est necessariò vera, quia sive Petrus currat, sive non currat, semper tamen *Petrum currere est possibile*, unde est necessariò vera. Hinc in secunda parte nostræ Dialecticæ quæst. 5. & 6. dicimus, quòd propositio modalis, vel est necessariò vera, vel necessariò falsa.

Quod intellige ratione formæ, ut dictum est.



## CAPUT IX.

De quantitate, & qualitate propositionis modalis.

1. SICUT propositiones de *inesse* habent suam quantitatem, de qua cap. 2. hujus libri num. 6. ita modales habent quantitatem, quæ est *Major vel minor extensio propositionis modalis*. Ceterum hæc est duplex, una ra-

tione dicti, altera ratione modi. Ratione modi, quia *necesse*, & *impossibile* sunt idem ac *omnis*, & *nullus*, quare faciunt propositiones universales affirmativam, & negativam, *Possibile*, & *possibile non*, sunt idem ac *Quidam*, & *quidam non*, quare faciunt propositiones particulares affirmativam, & negativam. Ecce carmina, quibus memoriæ commendatur ista modorum æquivalentia in quantitate.

Omnis necesse valet: impossibile nullus.

Possibile quidam: quidam non possibile non.

Quo fit, quòd sicut propositio cum signo *omnis* est universalis affirmativa; ita modalis de modo *necesse* est universalis affirmativa. Et sicut *nullus*, facit universalem negativam, ita in modalibus *impossibile*. Et sicut *quidam* deservit propositioni affirmativæ particulari, ita in modalibus *possibile*; ac tandem sicut *Quidam non* facit particularè negativam de *inesse*; ita in modalibus *Possibile non*.

2. At modales ratione dicti habent aliam quantitatem, nam sicut diximus cap. præcedenti num. 8. dictum est in eadem materia, ac sua propositio de *inesse*; ita subjectū illius dicti, vel illius propositionis de *inesse* habet quanti-

tatem, & hæc vocatur in modalibus quantitas dicti, à nostro autem Ægidio quæst. 14. citata vocatur *Quantitas subjecti locutionis*.

Ecce exemplum. Hæc propositio *Omnem hominem currere est possibile*, habet duas quantitates, & ratione modi est particularis affirmativa; ratione autem dicti, vel subjecti locutionis est universalis affirmativa. Nam subjectum dicti est *Omnis homo*, & *ly omnis* facit universalem affirmativam; ratione modi est particularis affirmativa, quia modus est *possibile*. Et hic est particularis affirmativus.

3. Qualitas juxta alios quos sunt veritas, & falsitas, de quibus nihil pro nunc. Jux-

ta alios qualitas propositionis sunt affirmatio, & negatio, & in modalibus plenè sumitur ex modo affirmato vel negato. Unde *neceſſe*, & *poſſibile* ſunt modi affirmantes; *Impoſſibile*, & *poſſibile non*, ſunt modi negantes. De dicto nil curandum. Unde hæc eſt affirmativa *Petrum non currere eſt poſſibile*, quia licet dictum ſit negatum, modus tamen affirmatur.

Nihilominus pro æquivalentia modalium, & oppoſitione earum diſtinguunt DD. duplicem affirmationem, vel negationem, unam *dicti*, alteram *modi*. De negatione, aut affirmatione modi jam dictum eſt. De dicto, facile obſervatur an affirmetur, an negetur, & in exemplo dato propoſitio illa eſt affirmativa de *modo*, & negativa de *dicto*. At iſta *Petrum currere non eſt poſſibile* eſt affirmativa de *dicto*, & negativa de *modo*.


## CAPUT X.

## De oppoſitione modalium.

1. SICUT in propoſitionibus de *ineſſe* oppoſitio eſt repugnantia duarum propoſitionum in quantitate, & qualitate, ita etiam in modalibus. Et notato quod capite præcedenti numer. 1. dictum eſt de æquivalentiæ ſignorum modis, nam *Omnis* valet *neceſſe*, *nullus impoſſibile*, &c. Fit quòd ſicut *Omnis*, & *nullus* faciunt propoſitiones contrarias, ita *neceſſe*, & *impoſſibile*. Item ſicut *Aliquis*, & *nullus* faciunt contradicторias, ita *Poſſibile*, & *impoſſibile*: ruruſ ſicut *Omnis*, & *aliquis non*, opponuntur contradicторiè, ita *Neceſſe*, & *poſſibile non*; quæ omnia ſequenti figura redduntur perſpicua.

## SUBALTERNANS.

## SUBALTERNANS.



## SUBALTERNATA.

## SUBALTERNATA.


2. Ecce in omnibus dictum eſt idem ſine variatione, & ſola fit mutatio modorum penes affirmationem, & negationem, quæ eſt qualitas propoſitionum modalium, & penes univerſalitatem, vel particularitatem, quæ eſt illarum quantitas. Quo fit ut ſicut in propoſitionibus de ineſſe illæ opponuntur contradicторiæ, quæ pugnant in quantitate, & qualitate, hoc eſt quarum una eſt affirmativa, alia negativa, una particularis, alia univerſalis; ita in modalibus, ut pa-

ret in figura poſita. Ruruſ ſicut contrariæ de ineſſe ſunt ambæ univerſales, ſed una affirmat, alia negat; ita in modalibus. Item ſicut ſubcontrariæ ambæ ſunt particulares, ſed una affirmat, alia negat, ita in modalibus: at tandem ſicut in ſubalternis de ineſſe ſolum datur pugnantia in quantitate, hoc eſt quòd una eſt univerſalis, alia particularis, ſed ambæ affirmativæ, vel ambæ negativæ; ita in modalibus, ut in figurata diſpoſitione apparet.

Sed notandum, quod si-  
cut ad oppositionem proposi-  
tionum de inesse debent seruari  
eadem suppositio, amplia-  
tio, restrictio, & alia proprie-  
tates terminorum; ita etiam in  
modalibus, ita ut termini compo-  
nentes dictum, seruent ead-  
dem proprietates in una ac in  
alia. Ac tandem sicut lex cō-  
tradictoriarum de inesse est  
quod non possint esse simul  
veræ, nec simul falsæ: item  
lex contrariarum quod possint  
esse simul falsæ, sed non simul  
veræ: ac tandem lex subcon-

trariarum, quod possint esse  
simul veræ, sed non simul fal-  
sæ: ita eodem modo, & eis-  
dem legibus formantur moda-  
les oppositæ.

4. Notandum etiam;  
quod sicut modales immuta-  
to dicto possunt opponi per so-  
lam mutationem modi, ita  
etiam immutato modo per  
solam mutationem dicti de u-  
niversali in particulare; de affir-  
mativo in negativum, possunt  
etiam opponi. Ecce hujus al-  
teram figuram.



Ecce istæ sunt oppositæ  
ratione dicti omnibus speciebus  
oppositionis, sicut in præce-  
denti figura erant oppositæ ra-  
tione modi. Quapropter sume  
tibi propositiones de inesse sic,  
*Omnis homo currit: nullus ho-  
mo currit: aliquis homo cur-  
rit: aliquis homo non currit.*  
Istæ sunt de inesse, & oppo-  
nuntur omnibus speciebus op-  
positionis, ut vidisti in figura  
posita cap. 3. hujus libri. Vis  
facere modales oppositas de  
solo dicto; pone eas in infini-  
tivo, & adde eis unum ex mo-  
dis eundem omnibus v.g. *ne-  
cesse*, & facile invenies factum.

affirmativa de modo, & de  
dicto, v. g. *Petrum currere  
est possibile.* Secundò negativa  
de modo, & de dicto, v. g. *Pe-  
trum non currere non est pos-  
sibile.* Tertio affirmativa de  
dicto, & negativa de modo,  
v. g. *Petrum currere non est  
possibile.* Quarto negativa de  
dicto, & affirmativa de mo-  
do, v. g. *Petrum non currere  
est possibile.* Ecce istæ qua-  
tuor combinationes sunt circa  
affirmationem, & negatio-  
nem.

2. Observa secundò,  
quod modales dictæ possunt  
fieri per quatuor modos, v.g.  
in omnibus quatuor combi-  
nationibus dictis apponendo  
*necesse*. Item apponendo *im-  
possibile*, rursus apponendo  
*possibile*: ac tandem apponen-  
do *contingens*. Quare cum vo-  
ces istæ explicantes modum,  
sunt quatuor; & cum unaqua-  
que possint formari quatuor  
combinationes explicatæ nu-  
mero antecedenti, sequitur  
quod sexdecim modis possunt  
formari modales; nam qua-  
tuor quater ducta, sexdecim in-  
veniuntur.

CAPUT XI.

De æquipollentia modalium.

1. SICUT propositiones de  
inesse quæ sunt oppo-  
sitæ, fiunt æquipol-  
lentes ratione negationis ad-  
iunctæ, ita etiam modales op-  
positæ, per negationem ad-  
iunctam æquipollent, cum  
hoc sólo discrimine, quod in  
simplicibus negatio anteponi-  
tur, vel postponitur subjecto;  
in modalibus adiungitur modo  
negatio.

Pro hujus intelligentia ob-  
serva primò, quod modalis  
potest esse quadruplex. Primò

3. Pro directione in-  
formandis his sexdecim mo-  
dalibus Logici assignant has  
quatuor dictiones. *Purpurea*:  
*amabimus*: *illiacæ*: *edentuli*.  
Quælibet ex his habet quatuor  
vocales, & istæ dirigitur pro




affirmatione, vel negatione dicti, aut modi. Vocalesunt, A. E. I. V. ex quibus A. significat affirmativam dicti, & modi. V. significat negativam

dicti, & modi. E significat negativam solum dicti. I. significat negativam solum modi: quæ omnia sequenti carmine continentur.


*E, dictum negat: I que modum: nihil A: sed V. totam.*

Tandem observa quòd in qualibet dictione ponas in singulis vocalibus singulas voces explicantes modum, & eodem ordine in omnibus dictionibus, ita ut in prima dictione ponas 1. possibile: 2.

contingens: 3. impossibile: 4. necesse. Et eodem ordine in reliquis dictionibus. Ecce exemplum in sequenti figura, quæ ob sui difficultatem vocata est ab antiquis *Pons asinorum.*



	<i>Inter se aequipollentes.</i>		<i>Inter se aquipollentes.</i>	
PVR	Petrum non currere non est possibile.	CONTRARIÆ.	Petrum currere non est possibile.	I LLI A CE
PV	Petrum non currere non est contingens.		Petrum currere non est contingens.	
RE	Petrum non currere est impossibile.		Petrum currere non est impossibile.	
A	Petrum currere est necesse.		Petrum non currere est necesse.	



	<i>Inter se aquipollentes.</i>		<i>Inter se aquipollentes.</i>	
A	Petrum currere est possibile.	SUBCONTRARIÆ.	Petrum non currere est possibile.	E DEN TV LI
MA	Petrum currere est contingens.		Petrum non currere est contingens.	
BI	Petrum currere non est impossibile.		Petrum non currere non est impossibile.	
MVS.	Petrum non currere non est necesse.		Petrum currere non est necesse.	

4. Observa in hac figura primò, quòd modales dictionis *purpurea* opponuntur contradictoriè cum modalibus dictionis *edentuli*, & debes eas notare primam cum prima; secundam cum secunda, & sic de ceteris. Istæ propositiones dictionis *amabimus* opponuntur contradictoriè cum propositionibus dictionis *illiacæ*, eodem ordine comparatis.

Observa secundò propositiones dictionis *purpurea* opponi contrariè cum propositionibus dictionis *illiacæ*, primam cum prima, & sic de ceteris. Ac etiam propositiones dictionis *amabimus* opponi subcontrariè cum propositionibus dictionis *edentuli*, eodem ordine comparatis.

5. Tandem observa, quòd propositiones dictionis *purpurea* sunt æquipollentes inter se: propositiones dictionis *amabimus* inter se æquipollent: & idem de alijs dictionibus. Quare his regulis in præcedenti figura observatis, habes exemplum omnium modalium de modo variato, earum æquipollentia, & oppositione.

Si fortè nimio ingenij acumine his perpensis, desideres contradictorias, & contrarias de dicto, id vel fortè assequeris notando superius dicta: vel apud Bajonam invenies

brevem instructionem, sicut apud nostrum Veracrucium aliquas difficultates circa præsentem materiam, à quibus superfedemus ob rationes datas.

## CAPUT XII.

### De conversione modalium.

1. **D**E conversione modalium egit Aristot. lib. 1. Priorum cap. 1. & ibi etiam N. Ægidius, cum quibus facile est nos expedire ab hac difficultate. Observandum, quòd modalis quæ convertitur, semper servat eundem modum in conversa, ac in convertente. v. g. *Necesse est Petrum esse hominem*: ergo *necesse est hominem esse Petrum*. Ecce intacto modo fit conversio mutatis tantum terminis dicti.

Ex hoc fit, quòd cum dictam sit propositio de *in esse* posita in infinitivo, & hoc dictum sit quod transmutatur, debent servari in hac conversione illæ leges, quæ datæ sunt pro conversionibus propositionum simplicium, quas vide cap. 5. hujus libri.

Hic observa, quòd cum modus non immutetur, non est attendendus, sed solum dictum

etiam. Hoc potest esse universale affirmativum. v. g. *Omne hominem esse animal*: vel universale negativum, ut *Nihil hominem esse lapidem*: aut particulare affirmativum, ut *Aliquem hominem esse album*: vel particulare negativum, ut *Aliquem hominem non esse album*. Ista dicta convertuntur ac si essent propositiones de inesse. sit exemplum.

Hæc propositio de inesse *Nullus homo est lapis*, convertitur simpliciter, nam *simpliciter feci*: unde convertitur sic *Nullus lapis est homo*. Ecce facta hæc modalis, *Necesse est nullum hominem esse lapidem*, convertitur sic simpliciter, *Necesse est nullum lapidem esse hominem*.

Ecce aliud exemplum de conversione per accidens Hæc propositio simplex, *Omne animal convertitur per accidens*, nam *Eva per accidens* hoc est universalis affirmativa, & negativa. Unde convertitur sic: *Aliquod animal est homo*. Ecce idem si sit modalis. *Necesse est quòd omnis homo sit animal*, vel *necesse est omnem hominem esse animal*, convertitur sic: *Necesse est quòd aliquod animal sit homo*, vel *Necesse est aliquod animal esse hominem*. Quamobrem nulla est specialis difficultas pro conversione modalium supra ea quæ diximus de conversione simplicium. Et hæc de secundo libro, & de pertinentibus ad secundam operationem intellectus.

# LIBER TERTIUS

## SUMMULARUM

### DE PERTINENTIBVS AD TERTIAM

OPERATIONEM INTELLECTVS.

#### CAPUT I.

*Quid sit argumentatio, & quotaplex?*

1. **O**MNIA, quæ hucusque explicata sunt, ordinantur ad argumentationem, saltem principalem, quæ est syllogismus, opus perfectissimum tertiæ operationis nostri intellectus. Est ergo argumentatio *Oratio in qua uno dato, aliud sequitur.* v.g. *Petrus currit: ergo movetur.* Ecce sequitur Petrum moveri ex illo antecedenti, quo affirmatur ipsum currere; & integra argumentatio est *oratio*, per quod convenit cum definitione, & divisione, quæ sunt aliæ species modi sciendi; à quibus differt per reliqua verba definitionis.

Dividitur argumentatio in sex species, quæ sunt *Syllogismus, enthymema, dilemma, inductio, exemplum, & instantia.* De quibus latè Aristot. in li-

bris Priorum. Harum specierum præcipua est syllogismus, ad quæ reducitur enthymema. Reliquæ autem argumentationes plus concludunt ratione materiæ, quam ratione formæ.

2. De syllogismo infra acturi sumus ex professo: pro nunc diffiniri potest quoadquid nominis, *Oratio constans tribus propositionibus, quarum tertia inferatur ex primâ, & secundâ.* v.g. *omnis homo est animal: Petrus est homo: ergo Petrus est animal.* Enthymema est argumentatio constans ex duabus propositionibus, quarum consequens inferatur ex antecedenti. v.g. *Petrus est homo: ergo Petrus est animal.* Ecce duo notanda. Primum est quod enthymema facile reducitur ad syllogismum addendo unam propositionem, v.g. *Illâ Omnis homo est animal.* Secundò nota quod consequentia enthymematis in tantum valet, in quantum subintelligitur illa tertia propositio tacita, qua


qua reducitur in formam syllogisticam. Ratio est, quia, ut videbitur cap. de syllogismo, sola forma syllogistica habet vim inferendi.

3. Dilemma vulgari nomine dicitur *cornutum*, aut *bicorne*, quia quomodocumque inferatur, concludit. v.g. *Petrus currit, vel non currit. Si currit: ergo movetur. Si non currit: ergo quiescit.* Hæc argumentatio ferè semper incipit à disjunctiva, quæ debet esse per immediatè opposita, ut respondens teneatur unam partem necessariò concedere. Qua concessa inferatur consequens. Et observa quod æquivaleret duplici syllogismo pro utraque parte sic. *Si Petrus currit movetur: sed per te Petrus currit: ergo movetur.* Ex alia parte sic: *Si Petrus non currit, quiescit: sed per te non currit: ergo quiescit.* Ecce etiam dilemma cõcludit solùm pro utraque parte in vi formæ syllogisticæ, quam tacitè includit.

Inductio est argumentum, in quo ex singularibus inferatur propositio aliqua, v.g. *Hic ignis calefacit, & ille, & ille: ergo omnis ignis calefacit.* De hac argumentatione latius infra. Exemplum est argumentatio quasi à simili, vel à paritate, ubi inferatur unum ex alio simili. v.g. *Deus pepercit*

*Publicano petenti humiliter misericordiam: ergo mihi parcat si humiliter misericordiam petiero.*

4. Instantia est argumentatio, qua ex falsitate unius inferatur conclusio contraria asserto. v.g. *Supponamus quod quis asserit, quod Omnis homo currit: & vis eum arguere ab instantia, argues illum sic: Petrus est homo, & non currit: ergo non omnis homo currit.* Hoc genere argumentationis usus est P. Augustin. contra Academicos docentes ut solidum principium hoc, *Nihil est determinatè verum, sed de omnibus est dubitandum.* Ecce argumentum ab instantia: *Vel vestram assertum est verum, vel non est verum? Si est verum: ergo jam datur aliquod determinatè verum de quo non est dubitandum. Si non est verum: ergo oppositum tenendum est cõtra vestram assertum, sed oppositum vestri asserti est aliquid determinatè verum, de quo non licet dubitare: ergo vestrum assertum ex se ipso instatur, &ruit.*



## CAPUT II.

De consequentia, & regulis  
in ea observandis.

1. Antequam tractemus de inductione, & syllogismo in particulari, venit explicanda consequentia, quæ differt ab argumentatione in communi, ut inclusum ab includente. Omnis enim argumentatio includit consequentiam, & hæc diffinitur est *Illatio unius ex alio*. v.g. *Hic homo est animal: ergo est sensibilis*. Ecce enthymema constans ex duabus propositionibus, quarum prima dicitur *antecedens*, & secunda *consequens*. Consequentia autem est illatio, qua consequens inferitur ex antecedenti. Hæc illatio explicatur per *ly ergo*, quæ est nota illationis; unde sicut *ly ergo* unit materialiter propositiones; ita illatio significata per *ly ergo*, unit illas formaliter.

Dividitur primò consequentia in materialem, & formalem. Materialis consequentia est quando consequens inferitur ex antecedenti ratione materiæ, sed non ratione formæ. Consequentia formalis est illatio consequentis ex antecedenti ratione formæ syllogistica. Ecce exemplum utrius-

que: *Petrus est substantia: ergo Petrus est homo*. Ecce consequens verum illatum ex antecedenti solùm ratione materiæ, quia utraque propositio est in materia necessaria & naturali; unde est vera. Ceterum nil probat ratione formæ, quia sola forma syllogistica tacita, aut expressa habet vim inferendi. At si tale enthymema reducitur ad syllogismum incidit in antecedens falsum, & sic nil infert. v.g. *Substantia est homo: Petrus est substantia: ergo Petrus est homo*. Major est indefinita in materia necessaria, unde æquivalet huic universali, *Omnis substantia est homo: & hæc est falsa*. Hæc autem est consequentia formalis. *Omnis substantia rationalis est homo: sed Petrus est substantia rationalis: ergo est homo*. Ecce ratione formæ syllogisticae perfectè sequitur consequens; unde est consequentia formalis.

2. Secundò dividitur consequentia in bonam, & malam. Consequentia bona est *Quæ inferitur ex antecedenti, etiam si antecedens sit falsum*. v.g. *Petrus habet alas: ergo potest volare*. Ecce consequens benè sequitur ex antecedenti, etiam si antecedens sit falsum. Mala consequentia est *Quæ non inferitur ex antecedenti, etiam si sit verum* v.g. *Petrus est*

*est ens: ergo Petrus est homo*. Ecce antecedens verum; sed consequens non inferitur, quia non omne quod est ens, est homo: unde consequentia illa bona non est.

Adverte, quòd nunquam consequentia dicitur vera, vel falsa; sed bona, aut mala. Ratio est, quia consequentia est illatio; aut datur illatio, & tunc consequentia est bona; aut non datur, & tunc est mala. Unde còmuniter dicitur, quòd consequentia quæ nò benè inferitur, non inferitur. Adde quòd veritas, aut falsitas solùm sunt in propositione. Consequentia autem non est propositio, sed illatio unius propositionis ex alia; quare consequentia nunquam dicitur vera, aut falsa; sed bona, aut mala.

3. Aliquæ regulæ assignantur pro bona consequentia. Prima est *Ex antecedenti vero semper sequitur verum*. Et in hoc principio fundantur aliæ quasi regulæ, scilicet, quòd ex antecedenti necessario sequitur consequens necessarium; ex antecedenti contingenti sequitur consequens contingens. Exemplum sunt cuique obvia.

Secunda regula est, quòd *Ex antecedenti falso sequitur consequens aliquando falsum, aliquando verum*. De falso nihil mirandum, quia consequens sequitur naturam sui an-

tecedentis. De vero ecce exemplum: *Omnis homo est lapis: sed omnis lapis est rationalis: ergo omnis homo est rationalis*. Ecce consequens verum, benè illatum ex antecedenti falso. De utraque regula egit Aristoteles lib. 2. Priorum ad illa verba, *Falsitas autem*.

4. Tertia regula est, quòd *Ex impossibili sequitur quodlibet*. v.g. *Corvus disputat: ergo est animal: ergo est rationalis: ergo est doctus*. Omnes istæ illationes sequuntur ex illo antecedenti impossibili; unde sequitur consequens verum, consequens falsum. Sed nota, quòd sunt duo impossibilia: unum quod destruit suppositum quæstionis; aliud quod non destruit. Ex 1. sequitur quodlibet, sed non ex secundo. Nam plures sunt suppositiones impossibiles, maxime in Theologia, ex quibus non sequitur quodlibet. Sic ad inquirendum, an distinctio Spiritus sancti à Filio unice proveniat ex eo quòd à Filio procedit Spiritus sanctus? Supponitur quòd Spiritus sanctus non procedit à Filio, & hoc impossibili supposito, quæritur an distingueretur à Filio an non? Ecce ex hoc impossibili non sequitur quodlibet, sed unum determinatè. At si supponeres Spiritum sanctum non esse in rerum natura, tunc ex hoc impossibili sequeretur quodlibet

bēt, scilicet distingui, & non distingui à Filio. Disparitas est, quod subiectum quætionis est Persona Spiritus Sancti, & primum impossibile non destruit eam; benè verò secundum; & de hoc intelligitur hæc regula.

Quarta regula. *In bona consequentia quidquid sequitur ex consequenti, sequitur ex antecedenti, & quidquid repugnat consequenti repugnat antecedenti.* v.g. Hæc est bona consequentia *est animal; ergo est vivens.* Ecce ex viventi sequitur habere animam: ergo ex animali sequitur habere animam. Item viventi repugnat non esse: ergo animali repugnat non esse. Et sic de alijs.

Quinta regula est, quòd *Conclusio sequitur debiliorem partem.* Unde si antecedens est negativum, conclusio est negativa. Si probabile conclusio est probabilis; si verum fide humana, conclusio est vera fide humana, &c.

5. Aliqua observanda sunt à respondentibus circa consequentiam in argumentatione. Quando consequens benè inferitur, dicat *concedo consequentiam*, quia est denotare illationem esse bonam. Si verò consequens sit verum, sed non benè inferitur, dicat *concedo consequens, & nego consequentiam.* Nam consequens conceditur ob sui veritatem,

sed negatur consequentia, quia non benè inferitur. Si verò consequens inferitur, & habet duplicem sensum, dicat *distinguo consequens*, non autem *distinguo consequentiam.* Ratio est, quia distinguitur quod est dubium: atqui consequentia, & illatio non est dubia, sed propositio illata, quæ est consequens: ergo debet dici *Distinguo consequens, non distinguo consequentiam.*

Si verò in argumento est aliqua propositio vera, aut falsa, ex qua non sequitur consequens, potest dicere, *omitto antecedens*, & postea nego consequentiam. v.g. *Stelle sunt pares: ergo non influunt in hæc inferiora.* Dicat respondens, *omitto antecedens, & nego consequentiam*, quia consequens non sequitur ex antecedenti; & dicendo *omitto*, cessat disputatio impertinens de antecedenti.

### CAPUT III.

*De inductione, ubi etiam de ascensu, & descensu.*

1. **I**NDUCTIO de qua supra breviter actum est, *Est argumentum quo ex singularibus, quæ sensu percipiuntur, ducimur ad inferendam propositionem aliquam universalem.* Sic qui desiderat scire, an omnis ignis calefaciat,

potest inductione procedere sic: *Hic ignis calefacit, & ille, & ille: ergo omnis ignis calefacit.*

Dividitur inductio in *ascensum, & descensum*: nisi potius velis, quòd inductio est ascensus, cui contraponitur descensus. Ascensus est *Progressio à singularibus sufficienter enumeratis ad universale ex eis illatum*; ut in exemplo dato. Descensus è contra est progressio ex universali ad singularia sub eo contenta. v.g. *Omnis homo est animal: ergo hic homo est animal, & hic homo est animal; & ille est animal, &c.* Ex quo jam vides quòd utrobique datur consequentia cum solo hoc discrimine, quòd in ascensu singularia sunt antecedens, & universale est consequens. In descensu è contra, universale est antecedens, & singularia sunt consequens. Et quia universale est supra singularia, idè qui incipit ab universali, & venit ad singularia, dicitur descendere: sicut qui gradatim ex singularibus venit ad universale, ascendit.

2. Tam ascensus, quàm descensus est quadruplex, scilicet *Copulativus, & copulatus, disjunctivus, & disjunctus.* Copulativus est *Qui fit per integras propositiones copulativas.* v.g. *Omnis homo est*

*animal: ergo hic homo est animal, & hic homo est animal, & hic homo est animal, &c.* Copulatus est, *Qui fit per solos terminos conjunctim sumptos.* v.g. *Omnia elementa sunt quatuor: ergo ignis, & aer, & terra, & aqua, sunt quatuor.* Ecce descensus fit ad singularia per solos terminos, non autem valeret, si fieret, per integras propositiones sic: ergo *Ignis est quatuor, & terra est quatuor, & aer est quatuor, &c.*

Disjunctivus est. *Qui fit per integras propositiones disjunctivas*, v.g. *aliquis homo currit: ergo vel hic homo currit, vel ille homo currit, &c.* Disjunctus est, *Qui fit per solos terminos disjunctim sumptos.* v.g. *Oculus requiritur ad videndum: ergo vel dexter, vel sinister requiritur ad videndum.*

5. Pro usu ascensus, & descensus aliquæ assignantur regulæ à Dialecticis. Præcipuæ sunt attendere ad suppositionem terminorum propositionis universalis, ex qua fit descensus, & ad quam fit ascensus. Si termini supponunt *disjunctivè*, tunc debetur eis ascensus copulativus, & potest etiam eis convenire copulatus; quare potest fieri ascensus, & descensus per integras propositiones, vel per solos

terminos. Ecce exemplum. Hæc propositio *Omnis homo est animal*, ly *homo* supponit distributivè, unde descensus fit sic: ergo *Hic homo est animal*, & *hic homo est animal*, &c. Et etiam potest fieri per solos terminos sic: ergo *Hic homo*, & *ille*, & *ille sunt animal*.

Si verò termini supponant determinatè, tunc debetur eis ascensus, & descensus *disjunctivus*, & potest etiam esse *disjunctus*. v.g. *Aliquis homo est albus*, ly *Aliquis homo* supponit determinatè, ecce descensus: ergo *Vel hic homo est albus*, vel *ille homo est albus*, &c. Vel per solos terminos sic: ergo *Vel hic homo*, vel *ille*, vel *ille est albus*.

4. Si verò terminus supponat *copulativè*, tunc ei debetur ascensus, & descensus *copulatus* tantum. v. g. Omnes Apostoli sunt duodecim: ly *Apostoli* supponit *copulativè*, ecce descensus *copulatus*: ergo *Petrus, Paulus, Andreas, Iacobus*, &c. *sunt duodecim*. Non potest autem fieri per integras propositiones sic: ergo *Petrus est duodecim*, *Paulus est duodecim*, &c.

Si tandem terminus supponat *confusè* debetur ei ascensus, vel descensus *disjunctus*. v.g. *Oculus requiritur ad videndum*, ly *oculus* supponit

*confusè*. Ecce sic fit descensus *disjunctus*: ergo *Vel ille*, vel *ille requiritur ad videndum*.

5. Observa primò, quòd sicut exempla hucusque data, sunt de descensu ex parte subiecti propositionum; ita debent intelligi ex parte prædicati. v.g. *Nullus homo est lapis*, ly *homo* supponit *distributivè*, & etiam *lapis*. Ecce descensus ex parte utriusque *copulativus*, ex parte subiecti sic: ergo *Hic homo non est lapis*, & *hic homo non est lapis*, &c. Ex parte autem prædicati sic: ergo *Hic lapis non est homo*: & *hic lapis non est homo*, &c.

In propositione ista *Omnis homo est animal*, *homo* supponit *distributivè*, unde fit descensus *copulativus*, ut dictum est numero 3. Ceterum quia ly *animal* supponit *confusè*, si descensus fiat ex parte prædicati, debet esse *disjunctus* sic: ergo *Hoc animal*, vel *illud*, vel *illud est homo*.

6. Observa secundò, quòd tam ascensus, quàm descensus sunt proprietates terminorum, quæ exercentur in actuali propositione. Ratio est, quia descensus, vel ascensus fit juxta varias terminorum suppositiones, non verò juxta exigentiam propositionis: ergo sicut suppositio est proprietas termini, ita ascensus, & des-

centus: quare pertinent ad primum librum, ubi agitur de termino, & ejus proprietatibus. Ceterum commodius, & utilius explicatur in hoc tertio libro.

## CAPUT IV.

## De syllogismo.

**S**Yllogismus juxta Arist. 1. Priorum cap. 1. ubi D. Thomas, noster Agidius, & communiter Interpretes, diffinitur sic. Est *Oratio in qua quibusdam positis, & concessis, necesse est aliud sequi per ea, quæ posita sunt, & concessa*. Ly *oratio* est genus per quod convenit syllogismus cum alijs modis sciendi; scilicet diffinitione, & divisione. Si tamen intelligas de *oratione argumentativa*, erit genus ad enthymema, & alias argumentationes.

Ly *in qua quibusdam positis, & concessis* distinguit syllogismus ab enthymemate, quia in enthymemate non sequitur aliud ex quibusdam positis, sed *ex aliquo posito*, quia in syllogismo præmissæ sunt duæ, in enthymemate antecedens est unum. Ly *concessis* denotat vim consequentiæ consistentem in eo, quòd semel concessis præmissis, sequi-

tur consequentia. Ly *necesse est*, distinguit syllogismus ab exemplo quòd est argumentum potius Rhetoricum ad persuadendum, quàm logicum ad convincendum. Ly *Aliud sequi* distinguit syllogismus ab inductione, ascensu, & descensu, in quibus consequens non est aliud ab antecedenti, sed unum & idem, solum differens penes universalitatem, & singularitatem. Ly *Per ea quæ posita sunt, & concessa*, denotat formam, & figuram syllogisticam, vi quarum necessariò sequitur consequentia semel concessis præmissis.

2. Magister Soto sic diffinit syllogismus *Est consequentia formalis, in qua virtute connexionis mediæ cum extremitatibus, sequitur connectio extremitatum inter se*. Hanc diffinitionem, ut clariorem commendat Bajona, & explicat eam sic. Ly *consequentia formalis* distinguit syllogismus à paralogismo, seu syllogismo apparenti. Reliqua autem dicuntur ad denotandum syllogismus constare ex duabus præmissis ad differentiam enthymematis, & quòd ex utraque debet sequi conclusio. Ceterum ipse Bajona lib. 3. cap. 1. docet consequentiam esse quid inclusum in argumentatione, quare cum syl-

sylogismus sit argumentatio, consequentia non erit syllogismus, sed quid in eo inclusum. Reliqua autem verba huius definitionis explicant modum faciendi syllogismum, non autem eius essentiam. Potest tamen definitio hæc esse veluti explicatio Aristotelicæ.

Habes ex dictis, quod syllogismus est artefactum logicale, constans ex tribus propositionibus, quarum duæ primæ vocantur *præmissæ*, quia præmittuntur ad conclusionem, & tertia dicitur consequens, quia ex præmissis consequitur. Habes etiam quod utraque præmissa debet influere in illustrationem consequentis: unde ille non est syllogismus: *Petrus est homo, & Paulus est animal: ergo Petrus est rationalis.* Quia licet dentur duæ præmissæ, sola prima influit in consequentiam, quia Petrus non habet esse rationalem ex eo quod Paulus sit *animal*, sed ex eo quod ipse Petrus est homo.

3. Ut plenius capias artificium hoc, debemus explicare materiam, & formam eius. Materia syllogismi est duplex, una remota, alia proxima. Materia remota sunt termini, proxima sunt propositiones. Ratio est, quia materia artefacti est illud ex quo fit artefactum: at syllogismus fit ex propositionibus, & pro-

positiones fiunt ex terminis: ergo materia proxima syllogismi sunt propositiones, & materia remota sunt termini.

Hæc duplici materiæ correspondet duplex forma quasi proxima, & remota: hæc vocatur *figura, & modus*. Figura est *Dispositio terminorum in debita subiectione, & prædicatione*. Ecce materiæ remotæ quæ erant termini, correspondet figura veluti forma huius materiæ remotæ, cum sit *dispositio terminorum*. Modus est *Dispositio propositionum in debita quantitate, & qualitate*. Ecce forma proxima, correspondens propositionibus, quæ sunt materia proxima syllogismi, uno verbo, materia syllogismi sunt termini, & propositiones: forma est dispositio terminorum, & propositionum. Dispositio terminorum dicitur *figura*: dispositio propositionum dicitur *modus*.

4. De terminis, & propositionibus, quæ sunt materia syllogismi jam actum est lib. 1. & 2. De forma syllogismi hic est agendum, & claritatem potius desideramus, quam coacervare regulas, & observationes. Quantum ergo ad figuram quæ est dispositio terminorum, observa sequentia.

Primo, omnis syllogismus debet constare tantum tribus ter-

terminis, unus dicitur *medium*, alij duo dicuntur extremitates.

*Medium* est terminus ille, qui bis ponitur in præmissis, & non intrat in conclusionem; extremitates sunt illi termini, qui uniantur in conclusione, & semel tantum ponuntur in præmissis. Ex quibus terminus ille qui in prima propositione ponitur cum medio, dicitur *extremitas major*. Terminus, qui in secunda propositione ponitur cum medio, dicitur *minor extremitas*.

Ecce exemplum in hoc syllogismo *Omnis homo est animal: Petrus est homo: ergo Petrus est animal*. Imprimis vide tantum tres terminos, scilicet *Homo, Petrus, animal*. Nam *ly omnis* est signum, & quoddam sicut cathegorema, quod non ponit in numero, sed cum *homo* constituit unicum terminum complexum. Vis scire medium? Nota in præmissis terminum bis repetitum, & invenies *ly homo* bis repetitum; illud est medium. Vis scire extremitates? Attende terminos unitos in conclusione invenies *Petrum, & animal*; isti sunt extremitates. Vis tandem scire quis terminus sit major extremitas, quis minor? Vide quis unitur cum medio in prima propositione, quis in secunda, invenies, quod *animal* est major

extremitas; quia unitur in prima propositione cum *homo*, qui est medium: & *Petrus* est minor extremitas, quia unitur cum eodem medio in secunda propositione.

5. Consultit ergo figura syllogismi in dispositione ista terminorum; & unice attenditur ad medium, quod tripliciter potest inveniri in præmissis; juxta quam triplicem medi dispositionem datur triplex figura. Potest enim medium esse subiectum in prima propositione, & esse prædicatum in secunda. Hoc modo constituit syllogismos primæ figuræ, ut in exemplo dato: *Omnis homo est animal: Petrus est homo: ergo Petrus est animal*. Ecce *homo* est medium, quia bis ponitur in præmissis: & quia in majori ponitur ut subiectum, in minori ut prædicatum, ideo syllogismus iste est factus in prima figura.

Si autem medium bis positum in præmissis, semper ponitur ut prædicatum; hoc modo syllogismus est in secunda figura: v. g. *Omnis homo est animal, sed omne sensibile est animal: ergo omne sensibile est homo*. Ecce *ly animal* est medium, & in utraque præmissa est prædicatum; unde syllogismus est in secunda figura.



*Sub, præ prima: bis præ secunda: tertia bis sub:*

Hoc est in prima figura medium *sub, præ*, in majori subicitur, & in minori prædicatur, *bis præ secunda*, id est in secunda figura medium bis prædicatur. *Tertia bis sub*: hoc est in tertia figura mediū bis subicitur.

6. Aliqui cum Galieno admittunt quartam figuram, quæ opponitur primæ. Diximus quod prima *sub præ*, hoc est, medium subicitur in majori, & prædicatur in minori. Hoc modo vult Galienus quartam figuram consistentem in eo quod medium *Præ sub*, hoc est prædicetur in majori, & subicitur in minori. v.g. *Omnis homo est animal: sed omne animal est sensibile: ergo omnis homo est sensibilis*. Ecce hic syllogismus est bonus, & non pertinet ad aliquam figuram ex assignatis ab Aristotele: ergo ultra eas, admittenda est quarta figura, in qua medium in majori prædicatur, & subicitur in minori.

Nihilominus ferè omnes interpretes sequuntur Aristot. qui non admittit quartam: ex professo noster Ægidius eam impugnavit, cujus rationes videre poteris apud nostrum Villanova. Nobis sufficiat pro

defensione sententiæ communis hæc facilis ratio. Dispositio terminorum hujus quartæ figuræ, non est essentialiter distincta à dispositione primæ figuræ: ergo non constituit distinctam figuram à primæ. Assumptum suadetur. Fac quemlibet syllogismum in hac quarta figura, & postea muta ordinem propositionum ponendo pro majori minorem, tunc invenies syllogismum in prima figura. Patet hoc in syllogismo supra posito mutando propositiones sic: *Omne animal est sensibile: sed omnis homo est animal: ergo omnis homo est sensibilis*. Ecce idem syllogismus qui erat quartæ figuræ, reducitur ad primam per solam mutationem propositionum. Sed mutatio propositionum est quid accidentale ad figuram, cujus essentia consistit in dispositione terminorum: ergo hæc quarta figura vel non est admittenda, ut distincta à prima, vel solum est accidentaliter distincta.

7. Forma proxima syllogismi est *modus*, qui ut supra diffinitur, est dispositio propositionum secundum quantitatem, & qualitatem: quantitas propositionis est major: vel

vel minor extensio ejus; qualitas est affirmatio, vel negatio. In qualibet figura possunt fieri variæ combinationes, & ex quibus resultant varij modi. v.g. In prima figura, possunt omnes propositiones esse universales; ecce unus modus: vel duæ universales, & una particularis; ecce alter modus: vel una universalis, & duæ particulares; ecce alter mo-

modus: vel una affirmativa, & duæ negativæ; ecce alter modus: vel omnes affirmativæ, ecce alter. Et ne plura dicamus, scito in qualibet figura posse fieri sexdecim modos, & cum figuræ sint tres; resultant quadraginta & octo modi. Ceterum à Dialecticis observatum est solos decem, & novem modos esse utiles, & continentur his versibus.

Barbara, Celarent, Darij, Ferio, Baralipon,  
Celantes, Dabitis, Fapesmo, Frisefomorum;  
Cessare, Camestres, Festino, Baroco, Darapti;  
Felapton, Disamis, Datisi, Bocardo, Ferison.

### CAPUT V.

*Explicantur modi syllogistici in triplici figura cum regulis observandis.*

I. CARMINA præcedenti capite posita, sic explicantur. Invenies in quacumque dictione ad minus tres syllabas, v.g. *Barbara*; quælibet significat unam propositionem: & cum syllogismus constet tribus; quælibet dicitio tres syllabas habet. In aliquibus invenies quatuor, ut *Baralipon*, vel quinque, ut *Frisefomorum*, sed non cura, nisi de tribus primis, quia reliquæ adduntur

pro carmine.

Observa dictiones constare his vocalibus A. E. I. O. Ex quibus A. est propositio universalis affirmativa: E universalis negativa. I. particularis affirmativa: & O. particularis negativa. Hoc modo explicatæ sunt litteræ istæ lib. 2. cap. 5. illis versibus, *Asserit A, negat E, etc.* sit exemplum *Barbara*, fac syllogismum constantē tribus propositionibus universalibus affirmativis. Pro *Celarent* fac syllogismum, cujus major sit universalis negativa, *Ce*: minor sit universalis affirmativa *la*: & consequens sit universalis negativa *rent*. Pro *Darij* pone majorem universalem af-

firmativam *da* : pro minori particularem affirmativam *ri* : pro consequenti particularem affirmativam I. Et sic in *ferio* , & alijs.

2. Observa secundò , quòd dictiones primi , & secundi versus pertinent ad primam figuram ; unde syllogismi facti in illis dictionibus , debent habere medium in majori subiectum , & in minori prædicatum. Quatuor modi sequentes , scilicet *Cessare* , *camestres* , *festino* , & *baroco* , sunt modi secundæ figuræ , unde syllogismi in eis facti , debent habere medium prædicatum in utraque præmissa. Reliqui sequentes modi pertinent ad tertiam figuram : unde medium debet bis subiecti in utraque præmissa.

3. Observa tertio , quòd syllogismus aliquando concludit *directè* , aliquando *indirectè* . Tunc concludit *directè* , quando major extremitas prædicatur de minori in consequenti : si verò è contra , minor extremitas prædicatur de majori in conclusione , tunc prædicatio est indirecta , & conclusio indirecta est. Sit exemplum : *Omnis homo est animal : omne rationale est homo : ergo omne rationale est animal* . Hæc conclusio est *directa* , quia *animal* est major extremitas , & in conclusione

prædicatur de *rationali* , quæ est minor. Si verò eisdem præmissis inferres sic conclusionem : ergo *Omne animal est rationale* , syllogismus concluderet *indirectè* , quia minor extremitas in conclusione prædicatur de majori. Vide cap. præcedenti num. 4. regulam datam pro majori , & minori extremitate cognoscenda.

Observa quartò , quòd in prima figura quatuor primi modi concludunt *directè* : sed reliqui *indirectè* . In secunda figura duo primi concludunt *directè* , duo alij *indirectè* . In tertia figura tres priores possunt concludere *directè* , & *indirectè* : tres verò ultimi tantum *indirectè* . Ecce exempla in omnibus figuris.

4. In prima pro *ferio* . Hæc dicitio est modus primæ figuræ in qua *sub præ* . Syllaba prima *Fe* , nullus homo est lapis (ri) sed Petrus est homo : (o) ergo Petrus non est lapis . In secunda figura pro *Cessare* bis præ secunda . (ce) Nullus homo est lapis : (sa) sed omne insensibile est lapis : (re) : ergo nullum insensibile est homo . In tertia figura pro *Darapti* . Tertia bis *sub* . Omnis homo est animal (da) : sed omnis homo est rationalis (rap) ergo aliquod rationale est animal . (ti) .

5. Aristoteles lib. 1. Prior.

Priorum cap. 24 assignat aliquas regulas pro omnibus modis cujuscunque figuræ . Prima est , quòd *Ex paribus particularibus nihil sequitur* . Secunda est quòd *Ex paribus negativis nihil sequitur* . Utramque regulam probat noster Ægidius ibi in expositione illius textus . Primam sic , quia syllogismus non fit competenter sine universalibus . Secundam sic , quia præmissæ sunt causa conclusionis , sed negatio non potest esse causa alicujus : ergo præmissæ negativæ nil inferunt .

Ultra has regulas Aristotelicas , Dialectici alias adstrunt , quas videre poteris probatas apud Bajonam . Principales sunt sequentes . Prima quòd syllogismus tantum habeat tres terminos . Secunda quòd medium in aliqua ex præmissis distributivè supponat . Tertia , quòd medium non intret in conclusionem . Quarta , quòd non distribuatur terminus in conclusione , si nõ sit distributus in aliqua præmissarum . Tandem quòd non varientur proprietates terminorum , scilicet suppositio , appellatio , &c .

6. Quantum ad propositiones addunt etiam sequentes . Prima est quòd si una ex præmissis est particularis , conclusio debet esse particularis . Secunda si una ex præmissis

est negativa , conclusio debet esse negativa . Quibus adde quòd conclusio semper sequitur debiliorem partem : quare si una ex præmissis est probabilis tantum , licet alia sit certa ; conclusio tamen solù est probabilis . De quo dictum est jam supra cap. 2. num. 4 .

Idem Aristot. 1. Priorum cap. 7. dedit alias regulas observandas in unaquaque figura , quas ibidem explicat , & confirmat noster Ægidius . Ultra eas Recentiores innumeras concinnarunt , quas videre poteris apud ipsos . Eas omnes consultò omittimus ; primò quia difficulter possunt memoriæ commendari : secundò , quia omnes explicatæ , & applicatæ sunt modis , contentis in præcedentibus versibus , jam explicatis .

## CAPUT VI.

De principijs rectificanti-  
syllogismos.

1. SYLlogismus ratione formæ concludit unionem , vel distinctionem extremorum in conclusione , ut cap. 4. explicatum est . Ceterum cum forma artificiali , ut bene concludat , debeat aliquo principio rectifi-

carl, de ipso nunc est sermo. Et suppose quod ex decem, & novem modis contentis in allegatis versibus, quatuor primi solum sunt perfecti, idest *Barbara, Celarent, Darij, Ferio*. Reliqui omnes sunt imperfecti.

Tria sunt principia quæ cum Aristotele assignantur pro rectificandis syllogismis. Primum est *Dici de omni*: secundum est *Dici de nullo*: tertium est *Reductio syllogismorum imperfectorum ad perfectos*. Prima duo principia deserviunt pro quatuor modis perfectis, tertium pro quindecim sequentibus.

2. Explicantur sic: *Dici de omni*. Quidquid affirmatur de aliquo subiecto distributive accepto, debet affirmari de omni inferiori sub illo contento. v.g. de homine affirmatur quod sit *animal*: & sic debet affirmari etiam animal de Petro, Paulo, & alijs inferioribus contentis sub ratione communi hominis. In hoc principio fundatur rectitudo hujus syllogismi: *Omnis homo est animal: Petrus est homo: ergo Petrus est animal*. Ecce, quia de homine affirmatur vere animal, etiam bene inferatur affirmari de Petro contento sub homine.

*Dici de nullo*. Quidquid negatur de subiecto distributi-

ve accepto, debet negari de inferioribus, sub illo contentis. Hoc principium est sicut præcedens cum solo discrimine, quod illud deservit pro syllogismis affirmativis *Barbara, & Darij*: & hoc pro negativis *Celarent, & Ferio*. In hoc principio fundatur rectitudo extrinseca hujus syllogismi facti in *Ferio*. *Nullus homo est lapis, sed Petrus est homo: ergo Petrus non est lapis*. Ecce quia negatur lapis de homine, negatur de Petro, & potest negari de omni contento sub homine.

3. Aliqui contendunt hæc duo principia æquivalere huic, scilicet *Quæ sunt idem uni tertio, sunt idem inter se. Quæ repugnant uni tertio repugnant inter se*. Ceterum licet Philosophus 7. Topicorum cap. 1. ea insinuet, ea non approbat noster Ægidius pro syllogismis, siquidem in primo Sententiarum distinct. 2. docet extrema solum esse idem inter se, eo modo quo sunt idem cum tertio, & non aliter: v.g. homo, & equus sunt idem cum animali; & hoc modo quoad solam animalitatem sunt idem inter se, quod non conducit pro syllogismis. Vide nostrum Villanova; ut omittamus Caramuelem qui in Metaphysica contendit hæc principia esse plenè falsa. Et qui-

quidem, ut omnibus parere potest, sunt tales difficultates contra hæc principia, ut non possint admitti sine innumeris restrictionibus.

Tertium principium rectificans syllogismos imperfectos est reductio illorum ad quatuor modos perfectos. Hæc est duplex una per ostensionem, alia per impossibile, prima facilis; secunda difficilis, & ferè inutilis. De utraque breviter, & commodius capite sequenti.

## CAPUT VII.

*De reductione syllogismorum per ostensionem, & per impossibile.*

7. SOLI quatuor primi modi sunt perfecti, & concludentes; quare ut reliqui concludant, reducuntur facile ad perfectos reductioe ostensiva. Hæc diffiniri potest: *Reductio syllogismi imperfecti ad perfectum sola*

S. vult simpliciter verti: P. verò per accidens.  
M. vult transponi: C. per impossibile duci.

3. Sit exemplum in *Baralipon*: *Omnis homo est animal: sed omne risibile est ho-*

*mutatione minoris in majorem, aut conversione propositionum.*

Pro practica notandum, quod omnes modi contenti in illis versibus, incipiunt his litteris B. C. D. F. Iste litteræ initiales denotant, quod modus imperfectus reducitur ad illum perfectum, qui eadem littera incipit, *Baralipon* reducitur ad *Barbara*. Et *Datiji* ad *Darij*, & sic de ceteris.

2. Notandum secundò ultra litteras initiales, reperiri etiam in eis dictionibus istas S. P. M. C. istæ denotant regulas suas. S. denotat vocalem præcedentem, hoc est propositionem illa vocali signatam, debere converti simpliciter. P. denotat propositionem antecedenti vocali signatam, debere converti per accidens. M. denotat mutandas esse præmissas, ita ut major fiat minor. Littera C. in medio dictionis, denotat illum modum non posse reduci per ostensionem, sed per impossibile. Accipe regulas his versibus.

*mo: ergo aliquod animal est risibile*. Ecce littera B. initialis dictionis *Baralipon*, denotat

tat redacendum esse ad Barbara. Postea verò in medio dictionis non invenimus litteram significativam, nisi solam P. quæ ponitur post tertiam vocalem, quæ est I. At P. denotat propositionem I. convertendam esse per accidens: ecce convertitur sic: *Aliquod animal est risibile: omne risibile est animal.* Iunge istam convertentem duabus præmissis prioribus, & invenes syllogismum in Barbara sic: *Omnis homo est animal: sed omne risibile est homo: ergo omne risibile est animal.* Ecce syllogismus jam perfectus, & concludens.

4. Quoniam aliqui sunt ita protervi, ut concedentes majorem, & minorem, negant consequentiam, invenerunt Logici modum quo eos cogant concedere conclusionem negatam, vel duas contradictorias, aut contrarias simul veras, quod est implicatorium. Modus iste vocatur reductio per impossibile; quia cum sit impossibile duas contradictorias esse simul veras, reducere respondentem ad concedendum duas contradictorias, est ipsum inducere ad concedendum impossibile. Potest diffiniri sic: *Est probatio in qua ex contradictorio consequentis syllogismi imperfecti, & una ex præmissis ejus concessa, infer-*

*ter contradictorium alterius præmissæ concessæ.*

5. Sit exemplum in Baralipton. *Omnis homo est animal: sed omne risibile est homo: ergo aliquid animal est risibile.* Supponamus, quod respondens concedit præmissas, & negat consequentiam. Si nolis uti reductione ostensiva jam explicata, ecce reducitur per impossibile sic: primo infer contradictorium conclusionis negatæ: ergo *Nullum animal est risibile.* Certè respondens tenetur hoc concedere, quia cum contradictoriæ non possint esse simul falsæ, si negavit *Aliquod animal esse risibile*, tenetur concedere contradictorium, scilicet *Nullum animal est risibile.* Hoc concessio à respondente: nunc sic.

Pone pro majori hanc propositionem ultimo concessam, sic: *Per te nullam animal est risibile.* Pone etiam pro minori illam majorem quam concesserat sic: *Sed per te etiam omnis homo est animal:* nunc inferitur contradictorium, aut contrarium minoris quæ concesserat sic: *Ergo nullus homo est risibilis, vel nullum risibile est homo.* Ecce tenetur concedere hanc consequentiam hujus syllogismi perfecti facti in Celarent, & hoc consequens opponitur con-

trarie cum minori syllogismi facti in Baralipton, quam antea concesserat. Unde concedit ut veras duas contrarias, quod est impossibile.

6. Regulæ observandæ in hac reductione sunt: syllogismus imperfectus primæ figuræ petit, ut contradictorium consequentis ponatur pro majori: postea major, quæ erat in

imperfecto, ponitur pro minori, & inferitur consequens contradictorium minoris antea concessæ. Excipitur *Celantes* in quo minor ponitur pro majori, & inferitur contrarium ejus quod concessum erat in majori. Pro hac regula sunt hæc carmina.

Major fit minor, & fit contradictio major:  
Dempto Celantes, in quo pervertitur ordo.

7. In modis secundæ figuræ servatur eadem major, & pro minori ponitur contradictorium consequentis: & inferitur pro consequentia contradictorium minoris concessæ.

In modis tertiæ figuræ contradictorium ponitur pro majori cum minori, quæ erat antea, & inferitur contradictorium majoris concessæ. Pro his regulis ecce alia carmina.

Servat majorem, variatque secunda minorem.  
Tertia majorem variat, servatque minorem.

8. Nota etiam ut scias ad quem modum perfectum debeas reducere imperfectum, quod sunt istæ dictiones observandæ. *Nesciebatis: odiebam: latæ: Romanis.* Istæ continent has vocales A. E. I. O. omnes sunt indicium conclusionum modorum perfectorum. A denotat conclusionem universalem affirmativam, quæ reperitur in Barbara: E. universalem negativam, quæ est in Celarent: I. denotat conclusionem particularem

affirmativam, quæ est in *Darij. O.* conclusionem particularem negativam, quæ est in *Ferio.* Prima dicitio *nesciebatis* deservit pro quinque modis figuræ primæ. Dicitio *odiebam*, pro quatuor secundæ figuræ: reliquæ pro reliquis modis tertiæ, sequenti modo.

Baralipton est primus modus imperfectus primæ figuræ: illi correspondet prima vocalis dictionis *nesciebatis*: illa est E. & denotat quod modus *baralipton* reducendus est ad *Celarent*.

*larent.* Secundus modus est *Celantes*; & secunda littera dictionis est I. & denotat reducendum esse ad *Darj*; & sic

*Phebifer axis obit terras, etramque quotannis.*

Exempla erunt cuique obvia habenti regulas ante oculos: de cetero facilius erit facere syllogismos perfectos, quā reducere imperfectos.

## CAPUT VIII.

*De syllogismo expositorio, & de alijs speciebus syllogismi.*

I. **E**Gimus de syllogismi essentia, structura, figura, modo, & reductione: restat agere de illius speciebus. Syllogismus dividitur primò ratione medij in *communem*, & *expositorium*. Communis est, *Cujus medium est terminus communis.* Expositorius est *cujus medium est terminus singularis*; v.g. *Omnis homo est animal: Petrus est homo: ergo Petrus est animal.* Ecce homo est medium, & est terminus communis. *Petrus est homo: Petrus est animal: ergo homo est animal.* Ecce medium est *Petrus*, qui est terminus singularis.

de reliquis servato ordine litterarum. Ipsæ litteræ harum dictionum continentur in sequenti carmine.

Secundò dividitur syllogismus ratione materiæ propositionum in *Demonstrativum*, *topicum*, & *sophisticum*. Demonstrativus est, *Qui constat ex præmissis veris, certis, primis, causisque conclusionis*, hic generat scientiam. v.g. *Omne totum est majus sua parte: sed mundus est totum, & Hispania pars: ergo mundus est major Hispania.* Syllogismus topicus est, *Qui constat ex præmissis probabilibus, & incertis, infertque conclusionem probabilem*; hic generat opinionem. v.g. *Actus circa idem objectum sunt unius habitus: sed actus logicæ sunt circa idem objectum: ergo sunt unius habitus.* Sophisticus est *Qui constat ex præmissis apparentibus*: hic generat errorem: v.g. *Tu habes quod non amisisti: sed non amisisti caudam: ergo habes caudam.*

2. Tertiò dividitur syllogismus ratione materiæ proximæ in *Categoricum*, & *hypoteticum*: in *affirmativum*, & *negativum*: in *simplicem*, & *modalem*. Categoricus est

est, *cujus præmissæ, & conclusio sunt propositiones categoricæ.* Hypoteticus, *cujus præmissæ sunt propositiones hypoteticæ.* Affirmativus, *cujus omnes præmissæ affirmant.* Negativus, *cujus aliqua præmissa negat.* Simplex, *cujus propositiones sunt de inesse.* Modalis, *cujus præmissæ sunt propositiones modales.* Quæ omnia ex dictis facile possunt exemplificari.

3. Circa syllogismum expositorium aliqua sunt notanda. Et primò, quòd principium illud *Dici de omni* de quo egimus cap. 6. non potest rectificare hunc syllogismum, quia explicatum est de medio quod est terminus communis; & syllogismus expositorius non habet terminum communem, sed singularem pro medio. Hinc volunt aliqui hunc syllogismum rectificari per illud principium *Quæ sunt idem cum uno tertio.* Ceterum dicendum posse rectificari per principium *Dici de omni* explicando illud sic. *Quidquid dicitur de aliquo, dicitur de omni identificato cum illo: sed de Petro dicitur quòd sit animal in syllogismo posito num. 1. ergo de homine identificato cum Petro, benè dicitur quòd sit animal.*

4. Observa has regulas.

In syllogismo expositorio medium debet esse perfectè singulare, & nullo modo commune. Defectu hujus malè concludit hic syllogismus, *Deus est Pater: Filius est Deus: ergo Filius est Pater.* Quia licet Deus sit terminus singularis, est tamen suo modo communis, & significat Deitatem pluribus Personis communem: unde nil concluditur in syllogismo expositorio.

Secundò observa, quòd in omni figura ex assignatis possunt fieri syllogismi expositorii, sed aptius in tertià figura, in qua medium bis subjicitur. Observa tertiò, quòd omnes regulæ pro syllogismis communibus datæ, debent servari in expositorio; solis exceptisquæ concernunt quantitatem, quia cum medium expositorium debeat esse singulare, non potest facere propositiones universales.

Hic solent Doctores tractare de arte inveniendi medium, & de locis intrinsecis, & extrinsecis arguendi. Ceterum, ut Arriaga notavit, pro tam diversis materiæ specibus nullam artem inveniendi medium assignari potest, nisi felix memoria, acumen ingenij, continuum studium, & observatio eorum quæ digna sunt observatione. Idem

putamus de locis arguendi, quæ potius exercitio discuntur in continuis disputationibus, quam prolixis regulis, quas videre poteris apud Bajonam, & alios RR. eas omittimus, ut ad majora properemus, aliqua tantum circa sophisma prælibantes capite sequenti.

## CAPUT IX.

*De fallacijs, seu de syllogismo  
sophistico, pseudographo,  
vel vitioso.*

I. QUONIAM Dialecticæ munus non solum est tradere vera principia syllogizandi pro inquirenda veritate, sed demonstrare falsas regulas, quibus nituntur syllogismi fallaces, qui sunt potius paralogismi, aut apparentes argumentationes: ideo Aristoteles post libros Priorum, Posteriorum, & Topicorum, instituit librum Elenchorum, ubi ostendit quosdam locos communes, unde sophistæ, & qui volunt decipere, elliciunt argumenta quæ aliqualem videntur habere apparitionem veritatis, sed tamē falsa sunt. De sophistis, veluti impostoribus, & juventutem decipientibus, conqueritur Seneca lib. 6. Epist. 24.

ad Lucilium. Et D. Thomas sequens Aristotelem dicit sophistarum finem esse inanem gloriam, quam suis fallacijs capiunt vincentes incautos. Quapropter usus sophismatum est damnabilis; notitia verò utilis ad solvendas cavillationes, si quæ opponuntur inter disputandum.

Locus disputandi sophisticus consistit in apparenti habitudine antecedentis ad consequens illatum; & fundatur illa habitudo in falsa regula, quæ apparet vera. Vocatur hæc argumentatio *fallacia*, quoniam ex se est causa fallendi. Aristoteles, & cum eo S. Thomas, & B. Ægidius, tredecim assignant fallacias, de quibus latè N. Veracrucius. Sex fallaciæ sunt in dictione: *Septem extra dictionem*. Fallaciæ in dictione sunt *equivocatio*, *amphibologia*, *compositio*, *divisio*, *accentus*, & *figura dictionis*. Fallaciæ extra dictionem sunt *Accidentis*, *à dicto secundum quid*, *ignorantiæ elenchi*, *consequentis*, *petitionis principij*, *secundum non causam*, *secundum plures interrogationes*.

2. Fallacia *equivocationis* oritur ex eo quod in præmissis ponitur terminus æquivocus. v.g. *Canis est animal sensibile: sed quædam stella est canis: ergo quædam stella est animal sensibile*. Ecce

ce conclusio falsa expremiis veris, sed fallacibus, quoniã *ly canis* est terminus æquivocus cœlesti, & terrestri, & ponitur sine distinctione; imò in majori accipitur pro terrestri, & in minori pro cœlesti; & sic variatur acceptio termini fallaciter fallacia æquivocationis. Præcautio contra similes, est distinguere terminum æquivocum, & detegere variam acceptionem in præmissis; ubi notabis talem syllogismum habere quatuor terminos contra regulas syllogizandi. Nam apparenter sunt tres, scilicet *Stella*, *animal*, & *canis*: ceterum quia *canis* in majori stat pro terrestri; & in minori pro cœlesti, ideo *canis* est revera duplex terminus, & sic paralogizatur in quatuor terminis. Hæc fusiùs dicta sunt: reliqua dicemus brevius, quia ex his possunt prolixius explicari.

3. Fallacia *amphibologia* datur, quando una oratio in præmissis plures habet sensus. Differt à prima, quia illa datur quando unus terminus plura significat, hæc quando oratio est æquivoca ob plures sensus. Tale fuit illud Apollinis oraculum, *Aio te Æacida Romanos vincere posse*. Et illud: *Ibis redibis non morieris in bello*. Ubi si virgulam ponas ante non, sensus est

quod non morieris in bello; sed redibis; sed postposita virgula, sensus est, ibis, non redibis, vel redibis non, morieris in bello. Ecce exemplum, *Equi sunt Episcopi: ergo equi sunt Sacerdotes*. Primum antecedens habet duplicem sensum sumpto *Episcopi* in genitivo, ac sumpto in nominativo.

Fallacia *compositionis* datur, quando in præmissis fit sensus compositus, & in consequenti divisus. Et fallacia *divisionis* à contrario, quando in præmissis est sensus divisus, & in consequenti compositus. Exemplum primæ *Sedentem stare non est possibile: ergo sedens non potest stare*. Exemplum secundæ *Sedens potest stare: ergo sedentem stare est possibile*. Ecce ex impossibilitate conjungendi sessionem cum statione, fallaciter infertur impotentia standi in eo, qui sedet.

4. Fallacia *accentus* est, quando variato accentu vocis, variatur ejus significatio. v.g. *Prædico*, breviter I. pronuntiatum significat prædicare si tamen I. sit longa, significat prædicere: primo modo à Grammaticis dicitur compositum ex *præ*, & *dico*, *dicat*: secundo modo ex *præ*, & *dico*, *decis*. Ecce exemplum: *Quod malum est, est fugendum*.

*dum: sed pomum est malum: ergo pomum est fugiendum.* Contingit aliquando ex divisione dictionis, quæ non est dividenda, v.g. *Tu es quies: sed quies est requies: ergo tu es requies.* Aliquando etiam ex varia pronuntiatione interrogando, vel asserendo, v.g. *Qui fecit te sine te, non salvabit te sine te: ergo qui fecit te sine te, non salvabit te sine te?* Ecce antecedens asseritur, & est vera propositio P. August. sed in consequenti interrogatur, & est falsa propositio, quia adultos vult Deus salvare per merita eorum.

5. Fallacia *figuræ dictionis* est error oriens ex eo, quod una dictio videtur habere eundem modum significandi cum alia, & in veritate non habet. Hoc evenit tripliciter, vel *grammaticaliter*, quando dictio est generis masculini, & sumitur ac si esset foemenini, aut neutri, & è contra v.g. *Quacumque substantia coloratur albedine est alba: sed Papa coloratur albedine: ergo Papa est alba.* Ecce Papa revera est nomen masculinum, sed quia habet apparitionem cum foemeninis finitis in A: idèò concludit in consequenti fallaciter, ac si esset nomen foemeninum, & arguens obtinet victoriam faciendo incautos incidere in solecismum.

Secundò fit hæc fallacia per transitum unius prædicamenti ad aliud, transitus, & fallacia hæc, est Logica, fundata in apparitione significationis dictionis. v.g. *Quotcumque emisti, comedisti: sed emisti carnes crudas: ergo comedisti carnes crudas.* Est fallacia, quia fit transitus ex quantitate in qualitatem, major enim est vera de quantitate rei emptæ, sed non de qualitate, quia non comedisti qualiter emisti carnes, sed aliter qualificatas, & conditas.

Tertio modo contingit, quando variatur suppositio terminorum, v.g. *Homo est species: sed Petrus est homo: ergo Petrus est species.* Ecce nil concluditur verè, quia homo in majori supponit simpliciter, & in minori personaliter.

6. Fallaciæ extra dictionem differunt à fallacijs in dictione, quia istæ sumuntur ex apparitione vocis, illæ ex apparitione in rebus. Istæ sunt septem, & prima dicitur fallacia *accidentis*, & consistit in transitu accidentis ad subjectum, & è contra v.g. *Iste equus est tuus: iste equus est Pater: ergo iste equus est Pater tuus.* Communiter omnis syllogismus, in quo variatur suppositio, vel qui peccat contra regulas supra datas pro syllogismis, dicitur peccare fallacia.

*accidentis*: quod observat in præsentis nostri Veracrucius ita dici ab omnibus DD. antiquis.

Fallacia à dicto *secundum quid*, datur, quando fit transitus à termino restricto ad amplum, & absolutum, v.g. *Æthiops est albus secundum dentes: ergo est albus.* Hic repone omnes syllogismos in quibus arguitur à diminuto ad non diminutum, à non amplo ad amplum; ab appellatione materiali ad formalem; & consequenter omnes in quibus variatur ampliatio restrictio, appellatio, & aliæ terminorum proprietates.

7. Fallacia *per ignorantiam elenchi* consistit in eo quod extrema non contradictoria sumuntur ac si essent contradictoria. Est enim elenchus argumentum quo concluditur contradictorium propositionis jam concessæ à respondente. v.g. Si concedatur hæc propositio *Aliquod animal est incorruptibile.* Tunc arguendo sic, *Omne compositum ex contrarijs est corruptibile: sed omne animal componitur ex contrarijs: ergo omne animal est corruptibile*, hic syllogismus est elenchus, quia infert pro conclusione contradictorium ejus, quod erat concessum. Quapropter, ut monet D. Thomas, elenchus duo dicit, scilicet, &

esse syllogismum, & inferre conclusionem contradictoriè oppositam propositioni jam concessæ, ita ut respondens teneatur concedere simul duas contradictorias.

Igitur omnis fallacia orta ex defectu syllogismi, potest vocari *ignorantia elenchi secundum rationem generalem*: ceterum quia elenchus specialiter habet deducere ad contradictoria, idèò sola fallacia militans contra contradictoria, habet specialiter vocari *ignorantia elenchi*. v.g. *Petrus excedit Paulum: & non excedit Franciscum: ergo excedit, & non excedit.* Ecce conclusio fallax, quia videtur concludere duo contradictoria, sed non sunt: quia contradictoria sunt *Affirmatio, & negatio ejusdem de eodem, & secundum idem*, & hic excessus, & non excessus non sunt secundum idem, sed secundum diversa, scilicet secundum Paulum, & Franciscum.

8. Fallacia *petitionis principij* consistit in eo quod arguens assumit pro antecedenti id quod debebat probare, & inferre pro consequenti. v.g. *dabium est, an homo currat? Et arguens procedit sic: Animal rationale currit: ergo homo currit.* Ecce petit principium, quia assumit ut verum in antecedenti, quod



vertitur in dubium, & debebat aliunde probare.

Fallacia *consequentis* datur quando quis putat antecedens ita sequi ad consequens, sicut consequens ad antecedens. Ecce bene valet, *Est homo: ergo est animal*. At si quis putaret bene valere à contrario, *est animal: ergo est homo*, hic committeret fallaciam consequentis. Quare cum juxta regulas bonæ consequentiæ valeat ab inferiori ad superius affirmativè; & à superiori ad inferius negativè, v.g. *Non est animal: ergo non est homo*. Velle invertere has regulas, est peccare fallacia consequentis.

9. Fallacia *secundum non causam*, datur quando aliqua ex præmissis, quæ debent esse causa conclusionis, apparet causa ejus, sed revera non est. v.g. *Homo est animal rationale, & lapis est animal rationale: sed Petrus est animal rationale: ergo Petrus est homo*. Ecce ly *Lapis est animal rationale* est propositio falsa, sed non obstat veritati conclusionis, quia non est causa ejus, quæ æquè bene inferretur si illa non esset posita. Urgentiùs sic: *Quia Judas fuit liberi arbitrij peccavit: sed quia peccavit damnatus est: ergo quia fuit liberi arbitrij damnatus est*. Fallacia est in

majori, quia datur conditio peccandi pro causa peccati; libertas enim est conditio ad peccandum, sed non causa determinata ad peccandum, cum sit indifferens etiam ad meritum.

Ultima fallacia dicitur *secundum plures interrogationes* consistit in eo quod multiplex interrogatio solvitur unica responsione. v. g. Petitur *An homo, & asinus sint rationales?* Si dicis quod sic: ergo asinus est rationalis. Si dicis quod non: ergo homo non est rationalis, & utroque modo teneris falsum concedere. solutio ejus est respondere per singula sic, *Homo est rationalis, & asinus non est rationalis*.

1. Generalis regula solvendi omnes fallacias est respondere sub distinctione: nam fallacia vel est in dictione, vel extra? si in dictione, explica per dictionem veram terminorum significationem, & tolles apparentiam, in qua fundatur fallacia. Si extra dictionem, utere dictionibus tollentibus apparitionem rerum, & statim fallacia ruit. Egregie solvitur omnis fallacia, si ad manum habeas aliquem syllogismum, æquè fallacem, quæ in medio producas pro instantia; ut detecta in exemplo fallacia, inde demonstres argumentum

tem nihil verè concludere. Et hæc de Summulis, quæ cedant in Dei laudem, ejusque Sanctissimæ Matris, & Do-

minæ nostræ, necnon P. Augustini, & omnium Sanctorum.



# DIALECTICÆ PARS ALTERA CONTINENS ALIQUAS QUÆSTIONES

TEXTUM ILLUSTRANTES.

POSTQUAM Dialecticæ textum simplici ferè expositione tradidimus, eo maximè quoniam juxta Philosophum 9. Metaph. textu 7. oportet addiscentem credere; & si prima hujus facultatis elementa hinc inde exagitantur, incipientium mentes vel multitudine obruuntur, vel sanè ab eorum captu nimis retardantur; ideò hac secunda parte reponimus quæstiones aliquas textum illustrantes, ut ex eis Præceptores eligant quas pro suorum discipulorum utilitate judicent utiliores; nec placuit discutere alias ex innumeris, quæ hoc tempore agitantur, vel quoniam in eis tempus inutiliter teritur, vel quia implexæ nimis, incipientium juvenum superant captum. Qui plures desiderat, & circa eas mentem nostri Fundamentalis Doctoris, videat post libros Perhiermenias quæstiones supra utrumque librum à nostro Doctore breviter, clarè, & fundatissimè disputatas.

QUÆ

## QVÆSTIO I.

Quomodo diffiniendus sit terminus logicus?

## §. I.

Quaedam notantur, & ratio dubitandi proponitur.

Num. 1. **S**upponimus primò quæstionem procedere de termino in communi, non de termino in particulari: unde quærimus quomodo diffinienda sit ratio illa communis termini dialectici, quæ postea dividitur, & subdividitur in varias species terminorum?

Secundò supponimus rectam diffinitionem debere habere omnes conditiones, quas diximus requiri ad bonam diffinitionem: videlicet, quòd constet genere, & differentiâ; quòd sit clarior suo diffinito; quòd conveniat omni, & solâ; quòd non sit superflua, nec diminuta; & quòd convertatur cum diffinito.

2. Tertiò supponimus terminum posse tripliciter considerari, & juxta diversas ejus considerationes pertinet ad diversos Logiæ libros. Primò potest considerari secundùm se; secundò in ordine ad enuntiationem; tertiò in ordine

ad propositionem, & syllogismum. Sit exemplum: vox *animal*. hæc consideratur primò secundùm se, & sic dicit substantiam corpoream sensitivam. Sub hac consideratione pertinet ad librum prædicamentorum, & deservit ejus cognitio pro diffinitione formanda; quare sic est terminus diffinitivus, & pertinet ad primam operationem intellectus, qua rerum quidditates apprehenduntur.

Secundò vox *animal*, consideratur in ordine ad enuntiationem, quatenus ex illa potest fieri hæc enuntiatio *homo est animal*, vel alia similis: & sic est terminus enuntiativus, & de ipso agitur à Philosopho in libris Perhiermeniarum. Sub hac consideratione pertinet terminus ad secundam operationem intellectus, quæ est judicium. Ratio est, quia enuntiatio quoddam judicium est, aut manifestatio interni judicij: ergo partes, ex quibus consistat, pertinent, ut tales, ad secundam operationem intellectus, quæ habet judicare.

Tertiò vox *animal* potest considerari in ordine ad propositionem, quatenus ex ipsa potest fieri hæc propositio: *homo est animal*, vel alia similis: & hoc modo dicitur terminus syllogisticus, & de ipso agitur in libris Priorum, & Po-

teriorum. Hoc modo spectat immediatè ad secundam operationem intellectus, & mediatè ad tertiam. Ratio est, quia terminus iste immediatè componit propositionem, & mediante ea syllogismum: at propositio pertinet ad secundam operationem intellectus, cum sit judicium; syllogismus autem, cum sit discursus, pertinet ad tertiam: ergo terminus iste, ut immediatè componit propositionem, pertinet ad secundam operationem; ut mediatè autem componit syllogismum, pertinet ad tertiam. Hæc doctrina habetur in nostro Ægidio 1. Priorum textu 1. dub. 4.

4. Hinc colliges quòd quando Philosophus 1. Priorum cap. 1. dixit, *Terminum voco in quem resolvitur propositio*, non diffinit terminum logicum in communi, sed solum terminum syllogisticum. Ratio est clara: quia in libris Priorum non agit de termino in communi, sed de solo syllogistico: ergo hunc solum diffinit. Quare licet noster Ægidius ibi hanc diffinitionem termini amplectatur, nil inde pro præsentis quæstione, ubi non de termino syllogistico, sed de termino in communi disputamus.

Colliges secundò, quòd quando noster Ægidius ibidem

dubio 4. dicit terminum esse quamcumque dictionem, quam sententiam primò tenuit Damascenus cap. 48. suæ Dialecticæ, quem sequuntur etiam noster Veracrucius, & Lincaus; omnes loquuntur de termino quidditativo, prout dicit quidditatem rei, hoc est substantiam, quantitatem, aut qualitatem: non verò loquuntur de termino in communi, de quo præsens quæstio.

His notatis, tot sunt sententiæ circa præsentem quæstionem, quot diffinitiones excogitatæ sunt: & istæ sunt plurimæ, quas omnes nedum sigillatim impugnare, verum, & tantum referre foret nimis operosum. Celebrioribus dabimus, & breviter discutiemus.

5. Prima diffinitio termini est, *Vox significativa ad placitum, ex qua simplex constituitur propositio*. Ita Thomistæ communiter, ut Prado, Parra, & alij apud ipsos. Secunda est, *Signum Cathegoricæ propositionis constitutivum*. Ita Soto, quem sequitur Collegium complutense Sancti Thomæ. Tertia est, *extremum propositionis*: vel ut alij volunt, *extremum formale simplicis propositionis*. Ita aliqui in manuscriptis. Quarta est, *In quem resolvitur propositio*. Ita Carmelitani complutenses, Vallius,

Echalaz, Merinero, Suarez, & alij quibus subscribit noster Villanova. Quinta est, *Primum principium artefacti logicalis*. Ita colligitur ex Ægidio nostro ut dicemus §. 3. interim rationem dubitandi proponemus.

6. Sanè in re, licèt parvi momenti, non liceret à vestigijs tot Doctorum discedere, nisi contra communes eorum diffinitiones non urgeret difficilis ratio dubitandi. Ratio est hæc. Omnes hic conamur diffinire terminum in communi, non terminum in singulari: at omnes diffinitiones quæ dantur per ordinem ad propositionem, non sunt diffinitiones termini in communi, sed termini in particulari: ergo omnes incongruës sunt. Probatur minor. Diffinitiones, quæ dantur per ordinem ad propositionem, solùm conveniunt termino syllogistico, de quo egit Philosophus in libris Priorum, & Posteriorum, at terminus syllogisticus est terminus particularis, non est terminus in communi, qui comprehendit terminum diffinitivum, enuntiativum, & syllogisticum: ergo omnes diffinitiones, &c. Hanc rationem latius prosequemur §. 3.

7. Dices cum nostro Villanova: Quòd ratio termi-

ni in communi est analogà ad terminum diffinitivum, enuntiativum, & syllogisticum; & terminus principalis est syllogisticus, quia ad ipsum ordinantur diffinitivus, & enuntiativus: ergo dum diffinitiones communes diffiniunt terminum syllogisticum, diffiniunt etiam terminum in communi, nam cognito principali termino, reliqui cognoscuntur.

8. Sed contra: Primò, quia licèt ratio entis sit analogà ad substantiam, & accidens, & horum sit præcipua substantia, eò quòd accidens ordinatur ad substantiam, ut est *entis ens*; tamen nemo diffiniret benè rationem entis per hoc, quòd sit *ens per se*, & *in se*: & tamen hæc diffinitio convenit substantiæ, quæ est principalissimum quid in illa ratione analogà: ergo licèt ratio communis sit analogà, & in ea terminus syllogisticus sit principalior, non benè diffinitur terminus in communi per diffinitionem convenientem soli termino syllogistico in particulari.

Secundò, quia si sufficeret cognitio termini syllogistici pro notitia termini enuntiativi, & diffinitivi, superflue Philosophus scripsisset librum prædicamentorum pro termino diffinitivo; & duos libros Periphrasiarum pro termino enun-

enuntiativo; quare sufficerent libri Priorum, & Posteriorum, ubi agitur de termino syllogistico: hoc dicendum non est: ergo nec dicendum, quòd sufficiat diffinire terminum syllogisticum pro notitia desiderata termini diffinitivi, & enuntiativi.

## §. II.

*Expenduntur aliorum diffinitiones in particulari.*

9. LICET animus non sit alienas improbare sententias, sed unicè nostram explicare, & utcumque defendere, at exercitij gratia, aliqua juvenibus nostris argumenta proponam contra aliorum diffinitiones, ut adhuc à limine decertare possint cum scholaribus alienæ sententiæ. Et quidem præcipuum argumentum contra aliorum diffinitiones tactum est num. 6. & infra §. 3. efficacius proponetur. Ultra hoc, accipite sequentia.

Contra primam diffinitionem ex assignatis num. 5. arguo sic. Diffinitio quæ non convenit omni diffinito, & soli, non est bona: at illa diffinitio non convenit omni diffinito, & soli: ergo recta non est. Major constat, quia una ex regulis

bonæ diffinitionis est quòd conveniat omni, & soli diffinito. Minor autem probatur quoad primam partem. Illa diffinitio non convenit termino mentali: sed terminus mentalis est verè terminus, & continetur sub ratione communi termini, quæ definitur: ergo non convenit omni diffinito. Minor cum consequentia tenet: major probatur. Illa diffinitio solùm convenit termino, qui est *Vox significativa ad placitum*: sed terminus mentalis non est vox significativa ad placitum: ergo. Probatur minor. Terminus mentalis non est vox, sed conceptus mentalis intra intellectum, ubi nullæ sunt voces: ergo.

Idem argumentum potest confici in termino scripto, qui verè terminus est: & tamen ei non convenit quòd sit vox: ergo diffinitio tradita à DD. primæ sententiæ non convenit omni termino. Et confirmatur. Quia cum hæc diffinitio solùm conveniat vocibus significativis, solùm convenit terminis enuntiativis, hoc est, componentibus enuntiationem, quæ propriè reperitur in vocibus: ergo non convenit terminis syllogisticis, hoc est, terminis ex quibus propriè componitur propositio, quæ primariò reperitur in intellectu, & secundariò in vocibus: jux-

ta dicta primā parte dum egimus de differentia propositionis ab enuntiatione.

Iam verò quòd hæc diffinitio non conveniat soli termino probatur. Verbum quatenus est copula, & sub munere unionis prædicati cum subjecto, terminus non est; maxime juxta Doctores hujus sententiæ; sed verbo ut sic unienti, & sub munere copulæ, convenit diffinitio ista: ergo non cõvenit soli termino diffinitivo. Probatur min. Verbum, ut copula est, & sub munere unionis est vox significativa ad placitum, ex qua simplex conficitur propositio: ergo verbo, &c. Probatur anteced. Nam in primis verbum ut est copula, habet quòd sit vox significativa ad placitum, ut patet ex diffinitione verbi: sed etiam est talis vox, ut ex ipsa simplex conficiatur propositio: ergo &c. Probatur hæc min. Nam simplex propositio conficitur ex subjecto, copula, & prædicato: ergo verbum, ut copula, est vox significativa talis, ut ex ipsa, &c.

10. Respondebis cum AA. illius diffinitionis, quòd *ly Ex qua simplex conficitur propositio*, intelligitur solum de vocibus, quæ conficiunt ut partes; non autem de vocibus, quæ componunt ut unio partium. Verbum autem ut co-

pula non conficit ut pars, sed ut unio partium; & ita terminus non est, nec ei convenit diffinitio.

Si ita respondeant, insurges sic: Ergo terminus non est vox utcumque ex qua simplex conficitur propositio; sed est vox ex qua tanquam ex parte simplex conficitur propositio. Nunc sic: ergo diffinitio illa est diminuta, & ei deficit *ly Tanquam ex parte*. Probo hanc consequentiam. Illa diffinitio est diminuta, cui deficit aliquid necessarium ad distinguendum diffinitum ab omni quod non est diffinitum: sed sine illis verbis *tanquam ex parte*, non distinguitur terminus à verbo sub ratione copulæ, ut patet argumento facto: ergo diffinitio illa, &c.

11. Argues secundò contra eandem diffinitionem. Statuta hac diffinitione, non est locus dubitandi, an voces non significantes sint termini? At juxta omnes doctores, & in rei veritate adest magnum fundamentum dubitandi de vocibus non significantibus: ergo dicta diffinitio sustinenda non est. Maj. probatur. Nam juxta AA. hujus diffinitionis, quod non est vox significativa, terminus non est: at de vocibus non significantibus non est locus dubitandi, an sint voces significantes? Ergo non est

est locus dubitandi an sint termini?

Et confirmatur. Datur aliquis terminus, qui reverà est terminus, & tamen de ejus essentia non est esse vocem significativam: ergo dum dicitur terminus vox significativa, &c. non datur diffinitio per prædicata essentialia omni termino. Probatur anteced. Terminus materialis ut talis, est verè terminus: at terminus materialis ut talis, non est essentialiter vox significativa, &c. ergo datur, &c. Probatur min. Terminus materialis ut talis est qui non supponit pro significato, sed pro se ipso: v. g. dum dico *Homo est vox*, *ly homo* est terminus materialis qui supponit pro se ipso: sed terminus qui supponit pro se ipso, non habet essentialiter, quòd sit vox significativa, &c. ergo. Probo min. Illud non est essentialiter alicui, quo deficiente, manet sicut antè: at in illa propositione *Homo est vox*, *ly homo* maneret terminus materialis, etiam si nihil significaret: ergo terminus, &c. Minor patet, quia æquè est propositio, & æquè verà, si *ly homo* significet, ac si nil significaret.

12. Contra secundam diffinitionem argues sic: Illa convenit verbo, ut copula est: sed verbum ut est copula, non

habet rationem termini: ergo diffinitio illa convenit alijs à diffinito; & cõsequenter non est bona. Min. cum consequentia tenet, & maj. probatur. Copula ut copula in primis habet quòd sit signum; est enim verbum in propositione *Nota eorum quæ de altero prædicatur*, teste Philosopho; nota & signum in præsentia idem sunt: sed aliunde ex copula constituitur categorica propositio: ergo diffinitio illa, &c.

13. Collegium complutense Sancti Thomæ, cujus est hæc diffinitio, admittit copulam, ut talem, esse terminum enuntiativum, negat autem esse terminum syllogisticum. Discrimen quod assignat est, quòd copula ut sit terminus enuntiativus, sufficit quòd sit pars enuntiationis, & ita est. Ut autem sit terminus syllogisticus, ultrà requiritur quòd in intret in syllogismum; ut ex ejus dispositione pendear vis inferendi; & talis non copula, ut copula.

Hæc doctrina quoad ultimam partem confirmari potest. Quia vis syllogistica pro bona illatione petit tres tantum terminos: at si copula ut talis esset terminus syllogisticus, nullus esset syllogismus constans tribus terminis, sed quatuor: ergo copula, ut talis non est terminus syllogisticus. Minor pro

probat in hoc recto syllogismo. *Omnis homo est animal : sed Petrus est homo : ergo Petrus est animal.* Termini hujus syllogismi sunt *Homo, animal, Petrus.* Si tamen copula esset terminus, forent quatuor, nam supra illos tres numeranda esset copula *est* : ergo si &c.

Statuta hac doctrina, habemus primò contra dictum Collegium, quòd ejus diffinitio non convenit termino enuntiativo, sed soli syllogistico : at in ejus doctrina sunt termini diversi : ergo non convenit omni diffinito. Maj. probatur. Quia terminus enuntiativus nò est signum constitutum propositionis, sed enuntiationis : at enuntiation non minùs distinguitur à propositione, quàm terminus enuntiativus à syllogistico : ergo ejus diffinitio, &c.

Secundò, nam copula, ut copula non est pars constitutiva, sed unio partium enuntiationis : ergo ut copula non est terminus adhuc enuntiativus. Quare dum ei convenit diffinitio illa, convenit alijs à diffinito. Verumtamen est, quòd recte Philosopho libro 1. Perhiern. Partes enuntiationis sunt nomen, & verbum ; sicut partes propositionis sunt subjectum, & prædicatum. At verbum ibi non sumitur ut copula, sed ut

habet proprium significatum quòd prædicat, vel potest prædicare de subjecto, & sic habet rationem partis.

14. Contra tertiam diffinitionem argues sic : Terminus sine thegorematicus est verè terminus : at non est extremum propositionis, nec extremum formale : ergo hæc diffinitio non convenit omni termino. Min. probatur. Quod ratione sui nequit esse subjectum, aut prædicatum propositionis aut enuntiationis, nequit ratione sui esse extremum, nec extremum formale : sed terminus sine thegorematicus nequit ratione sui esse subjectum, aut prædicatum : ergo. Probatur hæc min. Terminus sine thegorematicus per se nihil significat, sed solum aliquantulum, ut adverbia, adjectiva, &c. at talia nequeunt esse subjectum, & prædicatum, sed adjacent subjecto, & prædicato : ergo. Confirmatur urgentius. Omnis bonus syllogismus constat tribus terminis : sed nullus constat ex tribus extremis formalibus : ergo ineptè diffinitur terminus per *extremum formale*. Maj. constat ex dictis prima parte nostræ Dialecticæ. Min. probatur. Nullus bonus syllogismus constat ex tribus extremitatibus, sed ex duabus, quarum una dicitur major alia minor, & ex medio eas uniente

te : sed terminus qui dicitur medium, non est extremum formale, nec extremitas, sed unio extremorum mediâs inter extremitates : ergo nullus &c.

15. Contra quartam diffinitionem argues sic. Diffinitio debet explicare essentiam rei : at hæc diffinitio non explicat essentiam termini : ergo bona non est. Probatur minor. Essentia termini præsupponitur ad resolutionem propositionis : sed dum dicitur *in quem resolvitur propositio*, non explicatur id quod præsupponitur ad resolutionem, sed solum id quod manet facta resolutione : ergo Probatur ipse præsupponitur ante resolutionem propositionis : ergo & ejus essentia. Patet consequentia : quia terminus, & essentia termini idem sunt, cum nemo differat à sua essentia. Antecedens probatur. Propositio constans ex terminis præsupponitur ante resolutionem propositionis : ergo & terminus. Anteced. probatur. Dum resolvitur propositio, resolvitur propositio quæ est, non autem propositio quæ non est ; nam hæc non potest resolvi. Sicut dum per mortem dissolvitur homo, resolvitur homo qui est, vel erat, non autem homo qui non præexistit.

Confirmatur. Prius est, quòd propositio existat, quàm quòd dissolvatur : ergo prius est

scire ex quibus componitur ut existat, quàm in quæ remanet dum dissolvitur. At existit compacta ex terminis, in quos postea resolvitur : ergo prius est scire terminum ut componentem, quàm ut terminum resolutionis : sed essentia termini consistit in eo quod primò intelligitur in re : ergo non consistit in resolutione, & sic non benè explicatur per resolutionem.

Explicatur, & urgetur. Id quod supponit essentiam termini jam constitutam, non est de essentia termini : sed esse id in quod resolvitur propositio supponit essentiam termini jam constitutam : ergo in dicta diffinitione non explicatur essentia termini. Probatur min. Resolutio propositionis supponit essentiam termini jam constitutam : ergo esse id, &c. Probatur anteced. Resolutio propositionis supponit existentem propositionem, constantem ex terminis : sed in propositione constante ex terminis datur terminus cum sua essentia constituta : ergo &c.

### §. III.

*Nostra diffinitio probatur auctoritate, & ratione.*

16. **D**IXIMUS prima parte nostræ Dialecticæ terminum in communi benè diffiniri per hoc

hoc quod sit *Primum principium artefacti logicalis*. Hæc diffinitio probatur autoritate nostri Doctoris, qui exponens verba illa Aristotelis 1. Prior. cap. 1. dicentis *Terminum voco in quem resolvitur propositio*. Inquiri Agidius dubit. 3. cur terminus diffinitur per propositionem, cum propositio sit posterior termino? Responder, quod illud quod est primū in suo genere, non potest diffiniri per aliquid prius; sed vel per negationem, ut punctus qui diffinitur *Cujus pars non est*, vel per posterius. Et subnequit: *Terminus ergo cum sit primum principium in suo genere, per prius simpliciter diffiniri non potest: unde per propositionem diffinitur quæ est posterior simpliciter*. Ecce juxta Doctorem nostrum terminus est *primum principium*.

Quod verò sit *primum principium artefacti logicalis*, non autem propositionis, probatur ex eodem Doctore nostro ibidem dubio 4. & 1. Perhierm. quest. 1. in solutione ad tertium. Nam *primū principium propositionis*, est diffinitio solius termini syllogistici, cujus consideratio pertinet ad libros Priorum, & Posteriorum: ergo diffinitio termini in communi ut comprehendens terminos diffinitivos, enuntiativos, & syllogisticos, debet esse *primum principium*

artefacti logicalis, sub quo comprehenduntur diffinitio, enuntiatio, & propositio.

Confirmatur juxta Philosophum, & nostrum Agidium locis citatis, terminus syllogisticus est *Primum principium propositionis, vel in quem resolvitur propositio*. Utraque enim diffinitio coincidit, quia unumquodq; resolvitur in principia illa ex quibus componitur. Ergo terminus in communi, ut deservit ad omne artefactum logicale, est *Primum principium artefacti logicalis; vel in quem resolvitur artefactum logicale*. At hic est sermo non de solo termino syllogistico, sed de termino in communi prout deservit ad omnia artefacta logicalia, quæ constant ex terminis: ergo ut sic diffiniri debet nostra diffinitio stando autoritati Aristotelis, & Doctoris nostri Fundamentarij.

17. A ratione probatur. Diffinitio ut bona sit debet convenire omni, & soli diffinito: at si terminus diffinitur in ordine ad artefactum logicale, convenit omni, & soli termino Dialectico; secus autem si diffinitur in ordine ad propositionem: ergo nostra diffinitio optima est; secus aliter quæ traduntur in ordine ad propositionem. Maj. constat ex regulis bonæ diffinitionis. Min. continet duas partes primam

### QUEST. I.

ma est affirmativa in gratiam nostræ diffinitionis; secunda negativa contra reliquas sententias, utramque partem probo sigillatim.

Et primam sic. Nullus est terminus dialecticus, qui non sit primum principium artefacti logicalis: ergo diffiniendo terminum per ordinem ad artefactum logicale, diffinitio convenit omni termino dialectico. Probatur anteced. Omnis terminus dialecticus vel est diffinitivus, vel enuntiativus, vel syllogisticus: sed omnes isti sunt primum principium diffinitionis, enuntiationis, & propositionis, quæ sunt quædam artefacta logicalia: ergo nullus est terminus, &c.

Iam verò, quod soli termino dialectico conveniat esse primū principium artefacti logicalis, patet: nam illi soli convenit esse primum principium artefacti logicalis, cui soli convenit esse id in quod ultimò resolvitur artefactum logicale: at logicale artefactum ultimò resolvitur in solos terminos dialecticos: ergo soli termino dialectico, &c. min. patet. Nam idè termini dicuntur prima, & ultima elementa dialecticæ; prima in ordine ad compositionem; ultima in ordine ad resolutionem: immò ratio termini præcipuè syllogistici teste D. Thoma, & no-

### §. III.

stro Agidio ubi supra, sequentibus Boëtium, proprius datur per resolutionem, quàm per compositionem, quia idè propriè est terminus, quia terminat resolutionem propositionis, & in eo sinit resolutione.

18. Venio ad secundam partem negativam contra aliorum diffinitiones. Diffinitio termini per ordinem ad propositionem solum convenit termino syllogistico: sed ultra terminum syllogisticum dantur alij termini, quibus non convenit diffinitio per ordinem ad propositionem: ergo diffinitio termini per ordinem ad propositionem non convenit omni termino. Probatur min. Ultra terminum syllogisticum dantur terminus diffinitivus, & terminus enuntiativus: sed istis non convenit diffinitio per ordinem ad propositionem: ergo ultra terminum, &c. Min. probabitur postea. Maj. autem probatur primò de mente Philosophi, & nostri Doctoris ubi supra. Nam ultra libros Priorum, & Posteriorum, quibus agitur de termino syllogistico, datur liber prædicamentorum tractans de termino diffinitivo, & duo libri Perhiermearum tractantes de termino enuntiativo: ergo ultra terminum syllogisticum, &c.

Secundò probatur eadem maj. à ratione. Diffinitio, ut

distincta à propositione, conitatur ex terminis; immò quidquid diffinitur clauditur intra terminos diffinitionis; quare Deus qui nullis clauditur terminis, nequit diffiniri; nec intra prædicamentum substantiæ collocari: at termini diffinitionis, ut distinctæ à propositione, sūt distincti termini ab eis quibus propositio conficitur: ergo ultra terminum syllogisticum sunt termini diffinitivi, & sunt diversi à terminis syllogisticis. Vide infra num. 52. auctoritatem Ægidij, unde ratio ista sumpta est.

Idem argumentum fit de terminis enuntiativis. Enuntiatio ut distincta à propositione constat ex terminis; sed termini enuntiationis, ut sic distinctæ, sunt termini enuntiativi: ergo termini enuntiativi sunt distincti à terminis syllogisticis. Et consequenter ultra terminum syllogisticum dantur terminus diffinitivus, & enuntiativus.

Confirmatur. Diffinitio, enuntiatio, & propositio sunt artefacta logicalia formaliter distincta: ergo partes componentes diffinitionem, enuntiationem, & propositionem sunt formaliter distinctæ. Patet hæc consequentia, quia totum nihil est aliud quàm partes unitæ: ergo si sunt tota, & artefacta formaliter distincta; partes eorū forma-

liter distinguuntur. At illa artefacta constant ex terminis ut ostensum est: ergo termini diffinitionis differunt formaliter à terminis enuntiationis, & termini hujus à terminis propositionis: ergo ultra terminum syllogisticum qui est pars propositionis, dantur & termini diffinitivi componentes diffinitionem, & enuntiativi componentes enuntiationem.

Iam verò quòd his non conveniat diffinitio per ordinem ad propositionem, facile probatur. Terminus diffinitivus solum differt à reliquis quatenus componit diffinitionem; terminus item enuntiativus solum dicitur, & est talis quatenus ordinatur ad componendam enuntiationem: immò ratio partis, quæcumque sit, solum habetur per ordinem ad totum quod componit: atqui diffiniendo terminum per ordinem ad propositionem, non explicatur ordo ad diffinitionem, aut enuntiationem, qui est essentialis termino diffinitivo, & enuntiativo: ergo eis non convenit, &c.

Urgetur. Termino diffinitivo ut tali non convenit componere propositionem, sed diffinitionem (idem dic de enuntiativo) ergo termino diffinitivo ut tali non convenit diffinitio per ordinem ad propositionem. Consequentia con-

stat; & antecedens ex dictis probatur. Terminus diffinitivo ut tali, convenit unicè componere diffinitionem: at diffinitio non est propositio, sed est artefactum formaliter diversum à propositione: ergo &c. Maj. patet, & minor est certa, cum diffinitio pertineat ad primam operationem intellectus, & propositio ad secundam. Vide dicta num. 2.

## §. IV.

*Solvuntur specialia argumenta contra nostram sententiam.*

19. ARGUES primò contra nostram diffinitionem. Dum terminus diffinitur *Primum principium artefacti logicalis*, vel intelligitur de artefacto perfecto, qualis est syllogismus; vel de imperfecto, quales sunt diffinitio, enuntiatio, & propositio; vel tandem de artefacto *ut sic*, præscindenti à perfecto, & imperfecto. Sed quidquid dicatur, sequitur diffinitionem nostram non esse rectam: ergo nostra diffinitio recta non est. Major patet, quia non est dabilis alia consideratio artefacti præter enumeratas. Min. autem probatur per partes.

Et quoad primam, sic, si

dicas intelligi de artefacto perfecto. Nam sic intellecta diffinitione diffinitur terminus in ordine ad syllogismum: sed terminus qui est talis per ordinem ad syllogismum, est terminus syllogisticus: ergo solum comprehendit diffinitio nostra terminum syllogisticum, non autem terminum in communi, cujus contrarium intendimus. Secundò. Nam ordo termini ad syllogismum, est ordo mediatum, quia est media propositione; unde ordo termini immediate est ad propositionem, quam immediate componit, & media propositione ad syllogismum: ergo si artefactum logicale intelligitur de syllogismo, terminus diffinitur à nobis per ordinem mediatum, & remotum. Atqui omnis pars componens debet diffiniri per ordinem ad totum, quod immediate componit: ergo si ly artefactum, intelligitur de perfecto, nostra diffinitio recta non est.

20. Quoad secundam partem, scilicet si intelligitur diffinitio de artefacto imperfecto, argues sic. Diffinitio ita intellecta, est superflua: ergo bona non est. Patet consequentia: quia una ex regulis bonæ diffinitionis est quòd non sit superflua. Probatur antecedens. Diffinitio sic intellecta, facit sententiam, quòd terminus est primus



mum principium diffinitionis, enuntiationis, & propositionis, quæ sunt artefacta imperfecta: at sic est superflua: ergo &c. Probatur min. Nam superfluit illa particula *Primum*; ergo est superflua. Probatur antec. Ubi non est aliud principium præter terminum, non datur primum, nec secundum: sed respectu diffinitionis, enuntiationis, & propositionis non dantur alia principia præter terminos: ergo superfluit *ly primum*.

Confirmatur. Primum in quolibet genere dicit relationem ad secundum: ergo primum principium artefacti logicalis dicit relationem ad secundum principium. Atqui in artefactis imperfectis non dantur alia principia præter terminos, quos dicitur esse prima principia: ergo vel ponimus superflue *ly primum*; vel ponimus illud implicatorie sine relatione ad secundum: vel tandem debet intelligi de artefacto perfecto, in quo termini sunt prima principia, & propositiones sunt secunda principia integrantia syllogismum, & sic redeunt argumenta facta contra primam partem.

Quoad tertiam partem, scilicet si intelligitur de artefacto *ut sic*, comprehendenti perfectum, & imperfectum, argues ita: diffinitio quæ non

est bona per ordinem ad artefactum perfectum, nec per ordinem ad artefactum imperfectum; nequit esse bona per ordinem ad artefactum, quod comprehendit perfectum, & imperfectum: sed supra probatum est diffinitionem nostram non esse bonam per ordinem ad artefactum perfectum, nec per ordinem ad imperfectum: ergo nec est bona per ordinem ad artefactum, *ut sic*, &c. Maj. patet, quia diffinitio quæ non est bona applicata animalitati hominis, nec animalitati brutorum, nequit esse bona applicata animalitati communi homini, & brutis: ergo &c.

21. Respondeo ad argumentum in forma concedendo majorem; cui dico primo diffinitionem nostram intelligi de artefacto imperfecto. Et nego min. quoad secundam partem. Ad probationes in contraria positas num. 20. nego antec. ad probationem ejus concessa majori, nego minorem. Ad hujus probationem nego antec. Ad ejus probationem distinguo maj. Ubi non est aliud principium præter terminum, non datur primum, nec secundum; non datur primum *relative*, concedo maj. non datur *primum absolute*, nego maj. & concessa min. nego consequentiam.

Et in isto argumentum: in hoc

homine, & quolibet composito substantiali, non dantur alia principia intrinseca præter materiam, & formam: & tamen dicuntur hæc prima principia intrinseca compositi substantialis: ergo licet in artefacto imperfecto non dentur alia principia præter terminos, possunt, & debent dici prima principia artefacti illius logicalis.

Respondeo directe dupliciter. Primo quod terminus est primum principium absolute, non autem relative per comparisonem ad alia principia, quæ revera non sunt in artefacto imperfecto. Sic materia, & forma dicuntur prima principia compositi substantialis absolute prima, non relative, quia non dantur alia principia intrinseca compositi præter materiam, & formam. Sic etiam si Deus non produxisset nisi solum hominem, homo esset prima creatura: non prima relative per comparisonem ad alias creaturas quæ in illa hypothese non forent; sed prima absolute, quatenus primo absolute terminabat omnipotentiam. Sic in nostro casu. Et per hoc patet ad confirmationem.

Dico secundo, quod *ly primum* ponitur per exclusionem alterius principij prioris, quasi dicatur, terminus est principium ante quod nullum aliud est. In hoc sensu verè di-

citur primum principium, & constat ex autoritate nostri Agidij data num. 16. juxta quam intelligentiam distingue aliter majorē supra positā. Ubi non est principium aliud præter terminum, non datur primum, nec secundum, non datur *primum* per exclusionem principij prioris, nego maj. non datur primum relatione ad secundum concedo maj. et concessa min. nego consequentiam.

22. Respondeo secundo ad argumentum negando primam minorem quoad primam partem, nego scilicet quod nostra diffinitio non possit intelligi de artefacto perfecto, qualis est syllogismus. Ad probationes in contrarium positas num. 19. respondeo, & ad primam concessa maj. nego minorem. Non enim sola propositio ordinatur ad syllogismum; sed etiam diffinitio, & enuntiatio. Ratio est, quia omne imperfectum ordinatur ad perfectum: ergo omnia, quæ sunt artefacta imperfecto, ordinantur ad artefactum perfectum. Immo omnia quæ in Dialectica tradantur, ordinantur ad syllogismum, & ideo syllogismus est obiectum attributionis Logicæ & Dialecticæ. Si ergo diffinitio, & enuntiatio ordinantur ad syllogismum: ergo termini ex quibus compon-

nuntur hæc artefacta, ordinantur ad syllogismum. Quare saluta est quod solus terminus syllogisticus ordinetur ad syllogismum, vel quod terminus qui est talis per ordinem ad syllogismum sit solus syllogisticus.

Terminus quicumque immediate ordinatur ad artefactum imperfectum, & medio isto ad syllogismum. Unde ordo cujuscumque termini ad syllogismum mediatum est. Est autem differentia inter terminum diffinitivum, enuntiativum, & syllogisticum, quia licet conveniant in dicendo talem ordinem, ipsum dicunt aliter, & aliter. Sicut licet diffinitio, enuntiatio, & propositio dicant ordinem ad syllogismum, dicunt tamen diversimodè hunc ordinem. Diversitas stat in suis essentialibus. Sunt enim diversa artefacta logicalia, ut patet ex eorum diffinitionibus: ergo diversimodè javant intellectum ad syllogizandum: ergo diversimodè ordinantur ad syllogismum. Hæc diversitas, quam vides in his artefactis, & in eo ordine, quem dicunt ad syllogismum eadem est etiam in terminis diffinitivis, enuntiativis, & syllogisticis.

Ad secundam probationem dicto num. 19. positam concedo, quod ordo termini ad syllogismum est ordo me-

diatus, nego tamen quod ordo immediatus termini sit ad propositionem, hoc enim de solo termino syllogistico est verum, non autem de diffinitivo, & enuntiativo; nam hi dicunt ordinem immediatum ad diffinitionem, & enuntiationem, quas immediate componunt. Concedo etiam consequentiam, scilicet nos dare diffinitionem per ordinem mediatum & remotum. Et disting. minor. subsumptam. Omnis pars componens debet diffiniri per ordinem ad totum quod immediate componit, quando totum est perfectum, concedo; quando non est perfectum sed est ulterius ordinabile ad totum aliud perfectum, nego min & consequentiam.

Sanè sicut terminus componit diffinitionem, enuntiationem, & propositionem immediate, & ita syllogismum; ita lateres & ligna immediate componunt parietem, & cubi- cula, & ex cubiculis fit domus. Erit ne mala diffinitio laterum, & lignorum quatenus materia domifactoria, dicere, *Lateres, & ligna sunt partes materiales domus?* Certè non: hoc ideo quia partes illæ ordinantur immediate ad quoddam totum imperfectum: & ideo benè diffiniuntur per ordinem mediatum ad totum perfectum. Sic in nostro casu.

Hinc

QUEST. 1.

23. Hinc colliges nil probare contra nos, quæ posuimus num. 20. contra tertiam partem. Colliges secundò, quod licet terminus, & propositio dicant ordinem ad syllogismum, differunt, quia terminus dicit ordinem mediatum, propositio autem immediatum. Colliges tertio, quod licet propositio sit pars syllogismi, & sic sit principium constitutivum ejus; at differt à termino, quia terminus est primum principium syllogismi; propositio non est primum principium, sed secundum. Ratio est, quia primum principium est illud ante quod non datur aliud, ut diximus ex Agidio num. 21. in fine: sed ante propositionem (idem dic de enuntiatione, & diffinitione) datur aliud principium syllogismi, scilicet terminus: ergo propositio non est primum principium syllogismi, sed secundum. Quare solus terminus erit *primum principium*, & hoc non solum absolute, sed etiam relative per comparationem ad secundum.

24. Argues secundò specialiter contra nostram diffinitionem. Illud quod est artefactum logicale, nequit esse primum principium artefacti logicalis: sed terminus est artefactum logicale: ergo nequit esse primum principium, &c.

§. II.

Maj. & min. sunt probandæ; & primò maj. Quia propositio, diffinitio, & enuntiatio sunt artefacta logicalia, non possunt esse primum principium artefacti logicalis: ergo illud, &c. Secundò probatur major. Primum principium nequit esse principium; quia aliàs ante hoc primum principium darentur alia principia, ex quibus esset principium, quod implicat, nam esset primum principium, & non esset. Sed omne artefactum logicale est principium, ut constat: ergo illud quod est artefactum logicale, nequit esse primum principium artefacti logicalis.

Minor autem principalis probatur. Omne quod constat ex materia, & forma artificiali est artefactum: sed terminus constat ex materia, & forma artificiali Logica: ergo terminus est artefactum logicale. Major patet tum in qualibet arte; tum in naturalibus, nam compositum ex materia, & forma naturali est compositum naturale: ergo compositum ex materia, & forma artificialibus &c. Minor autem probatur. Terminus (& sit exemplum in termino vocali) terminus vocalis constat ex voce quæ est materia, & ex secunda intentione termini quæ est forma artificiosa logicalis: ergo.

Confirmatur. Terminus

non est quid simplex, sed est quoddam compositum ex voce, & secunda intentione termini: at hoc compositum est artificiale, & logicum: ergo est quoddam artefactum logicale. Maj. patet, & min. probatur. Hoc compositum non est naturale cum non sit à natura, sed ab arte; & non ab alia arte, quàm à Logica, quæ sola format terminos, & tractat de illis: ergo hoc compositum est artificiale, & logicum, & consequenter est artefactum logicale.

21. Pro solutione nota, quòd sunt quædam artes, quæ suam materiam supponunt jam factam à natura, vel ab alia arte: v.g. equestris utitur pro materia, circa quam versatur, equis, fræno, calcariibus, &c. & docet equitare. Hæc ars supponit à natura factum equum, & frænum à frænifactoria arte, & calcaria ab arte ferraria; quare hæc ars equestris non est factiva materiæ circa quam versatur. Aliæ sunt artes quæ sibi formant materiam ex qua artificiosè operentur; v.g. ars domifactoria, quæ operatur domos ex calce, & lateribus. Hæc ars sibi facit lateres ex terra, & aqua mixtis, & decoctis: insuper calcem vivam, aqua infusam extinguit, miscetque cum arena, & in debito temperamento disponit,

ut sit materia apta pro fabrica construenda.

Lateres sic dispositi, calx item hoc modo preparata, non possunt dici artefacta artis domifactoriæ, sed partes, & materia hujus artis ab ipsa arte dispositæ. Hujus ratio est: quia cum ars ista non solum sit factiva totius artefacti, sed etiam materiæ, & partium deservientium artefacto, faciendo partes, & disponendo lateres; & calcem, non introducit in eis formam artificiosam totius, sed formam artificiosam partis; quare non sunt lateres, & calx quoddam totum artificiosum, sed sunt quædam partes artificiosæ.

Ad hujus instar se habet Logica, quæ nedum est factiva syllogismi, diffinitionis, propositionis, &c. quæ sunt artefacta totalia, sed etiam est factiva partium, & materiæ ex qua construuntur illa tota artificialata. Ratio est, quia artificialata Logica fiunt ex terminis; termini autem fiunt ab ipsa Logica, quia nec à natura præsupponuntur facti, nec ab alia arte. Natura enim solum ministrat conceptus, voces, & signa scripta; at ut fiant inde termini mentales, vocales, & scripti, sola Logica hoc disponit addendo conceptibus, vocibus, & scriptis secundam intentionem termini, subjecti; aut

aut prædicati, qua sola fiunt jam materia Logicæ conceptus: voces, & scripta.

Ceterum, sicut ars domifactoria faciendo lateres, non facit aliquod totum artificiosum, sed partem sui artefacti ex lateribus construendi; & in lateres non introducit formam artificiosam totius, sed partis; ita Logica faciendo terminos non facit totum artificiosum, sed partem; nec in terminos inducit formam artificiosam totius, sed partis. Quare terminus non est artefactum logicale, sed pars ejus; sicut lateres non sunt artefactum domifactoriæ, sed pars ordinabilis ad tale artefactum.

26. His notatis, facile solvitur argumentum, cui in forma respondeo concessa maj. negando min: ad ejus probationem disting. maj. Omne quod constat ex materia, & forma artificiali, est artefactum; si constet ex forma artificiali totius, concedo maj. si constet ex forma artificiali partis, nego maj. & disting. min. sed terminus constat ex materia, & forma artificiali, ex forma totius, nego min. ex forma partis, concedo min. & nego consequentiam. Ad probationem min. disting. anteced. terminus vocalis constat ex voce quæ est materia, & ex secunda intentione termini, quæ est forma artifi-

ciosa; ex voce quæ est materia remota logicæ, & sit proxima per secundam intentionem termini, concedo; ex voce quæ sit materia proxima Logicæ, nego anteced. quoad primam partem, & distingo etiam quoad secundam, & ex secunda intentione termini quæ est forma artificiosa, forma totius, nego anteced. est forma partis artificiosæ, concedo antec. & nego consequentiam.

Ad confirmationem primò insto illam in calce mixta cum arena, cujus mixtio non est quid simplex, sed compositum, & non à natura, sed ab arte; & non ab alia, nisi ab arte domifactoria: ergo calx sic preparata erit artefactum domifactoriæ? Mala consequentia non enim est artefactum, sed pars ordinata ad artefactum artis; quia licet sit compositum, at componitur ex calce quæ ante mixtionem erat materia remota, & indisposita, & per mixtionem fit materia proxima hujus artis, & ars solum introducit in calce illa formam artificiosam partis, & materiæ. Sic in nostro casu. Voces non sunt materia proxima Logicæ, sed Grammaticæ, Rhetoricæ, & aliarum artium: adventente secunda intentione termini fiunt materia proxima Logicæ, & illa secunda intentio inducta, non est

est forma artificiosa totius, sed partis, & materiae, quare resultat quoddam totum compositum, quod non est totum artificiale, sed pars, & materia artificialis.

In forma ad confirmationem respondeo. terminus est quoddam compositum ex voce, & secunda intentione termini, & hæc secunda intentio est forma totius, nego, est forma partis logicalis, concedo maj. & disting. min. Hoc compositum est artificiale, & logicum, & à Logica consideratur ut totum artificiale, nego, ut pars artefacta, concedo min. & nego consequentiam. Illud compositum ex voce, & secunda intentione, est compositum, relatè ad Metaphysicam videntem realitatem vocis, & secundam intentionem rationis superinductam. At relatè ad Logicam est quid simplex, quia ipsum respicit ut meram materiam, & partem sui artefacti, quia in eo solum considerat formam, scilicet secundam intentionem termini, quæ est forma partis, & summe simplex. Quare terminum respicit ut primum principium sui artefacti, à nullo alio principiatum.

27. Dices. Agens naturale dum inducit formam in materia, generat totum naturale: & tamen forma inducta,

non est forma totius, sed est forma partis, cum forma substantialis non sit totum, sed pars totius substantialis: ergo Logica inducens secundam intentionem termini in vocibus, conficit totum artificiale, etiã si secunda intentio sit forma partis, & non totius artefacti.

Respondeo negando consequentiam. Disparitas est, quod materia non sit materia hujus agentis per introductionem formæ substantialis, sed ante introductionem formæ jam materia erat materia hujus agentis naturalis; quare dum inducit formam, facit, & producit totum naturale. At voces non sunt materia Logicæ ante secundam intentionem termini, quare per inductionem secundæ intentionis termini, sunt materia, & pars materialis artefacti logici: unde non resultat inde totum artificiale, sed pars, & hæc materialis.

28. Dices. Si termini per secundam intentionem sicut pars materialis Logicæ, quænam erit pars formalis, ut ex materiali, & formali resultet totum artefactum logicale, sicut compositum naturale resultat ex materia, & forma? Respondeo, quod omnes termini sunt pars materialis per secundam intentionem puram termini. Postea verò aliquis

co-

eorum suscipit secundam intentionem partis actualis, & se habet ut actus, & forma. Pono exemplum, Voces *Animal*, & *rationale* fiunt termini per secundam intentionem, & sic sunt materia Logicæ. Postea verò si disponuntur ab arte in formam diffinitionis dicendo *animal rationale*, tunc vi hujus dispositionis venit supra *animal* secunda intentio generis, & supra *rationale* secunda intentio differentie; hæc secunda intentio facit *rationale* esse actum, & partem formalem. Si verò dictæ voces sicut in modum enuntiationis, aut propositionis, tunc voci *rationale* advenit secunda intentio subjecti, & termino *animal* secunda intentio prædicati, sic, *Rationale est animal*: per secundam intentionem prædicati sit *animal* pars actualis, & formalis; & inde resultat totum artefactum ex partibus materiali, & formali logicis.

*§. V.*

*Solvuntur argumenta communia etiam ad alias sententias.*

29. ARGUES tertio. Diffinitio ut sit bona, debet constare genere proxi-

mo: sed nostra diffinitio non constat genere proximo: ergo non est bona. Maj. patet in his diffinitionibus hominis, *Substantia rationalis, animal rationale*: nam prima non est bona, secunda bona est. Et ratio hujus est: quia *animal* est genus proximum, quod solum est divisibile in species infimas; at *substantia* est genus remotum divisibile in varia genera, puta in corpoream, & incorpoream, viventem, & non viventem, &c. Min. autem probatur. Genus nostræ diffinitionis est *ly primum principium*: sed *ly primum principium* est genus remotum: ergo. Probatur min. *Ly primum principium* est divisibile in prima principia physica, & prima principia logica; sed hæc differunt genere, immò plusquam genere: ergo *ly primum principium* non est divisibile in solas species, sed in genera; & consequenter est genus remotum.

Confirmatur. Ut genus sit proximum debet per illud diffinitum convenire cum alijs à quibus solum specie differat: at per *ly primum principium* convenit terminus cum alijs à quibus non solum specie, sed plusquam genere differt: ergo diffinitio nostra non constat genere proximo, & sic non est recta. Maj. patet exemplis

Q

da

datis; ideo est mala hæc diffinitio homo est *Substantia rationalis*, quia per *ly* substantia convenit cum lapidibus à quibus plusquam specie differt. Et è contra hæc est bona, homo est *animal rationale*, quia per *ly* *animal* convenit solum cum brutis, à quibus solum specie differt. Min. autem probatur. Per *ly* *primum principium* convenit terminus cum primis principijs entis naturalis physici: sed res physica realis differt plusquam genere à re logica, quæ est ens rationis: ergo.

Hoc argumentum instatur in omnibus alijs diffinitionibus positis num. 5. & contra omnes militat. Contra primam: nam ejus genus est *Vox significativa ad placitum*, per quod convenit terminus cum vocibus quæ sunt quid reale: sed ens reale, & ens rationis differunt plusquam genere: ergo tale genus non est proximum. Contra secundam, cujus genus est *signum*: nam per illud convenit terminus cum fumo, & alijs signis realibus, à quibus genere differt. Contra tertiam, cujus genus est *extremum* per quod convenit terminus cum extremis realibus: quantitatis, à quibus plusquam genere differt. Contra quartam, quia per *ly* *in quem resolvitur* convenit terminus cum materia, & for-

ma realibus in quas resolvitur compositum naturale, & ab eis differt plusquam genere: ergo contra omnes facit argumentum hoc.

Directè respondeo cum omnibus, & pro omnibus, disting. maj. Diffinitio debet consistere genere proximo, stando regulis artis, concedo; stādo rerum essentijs, nego maj. & concessa min. nego consequentiam. Regulæ artis diffinendi petunt diffinitionem ex genere proximo, & differentia ultima. At sunt quædam essentiæ, quæ non possunt diffiniri per genus proximum; immò nec per rationem univocam quæ sit genus, quia non habent supra se nisi solam rationem analogam. Sic benè diffinitur substantia dicendo *Ens per se*: & tamen *ly* *ens* non est genus rigorosum, sed ratio analogica; quia substantia non habet supra se rationem aliquam quæ non sit analogica. Sic etiam ens rationis benè diffinitur, *Id quod habet esse tantum objective in intellectu*: & tamen ponitur loco generis *ly* *quod habet esse*, per quod convenit cum ente reali, à quo differt plusquam genere. Pariter in nostro casu.

30. Dices. Exempla allata non sunt ad rem. Nam substantia benè diffinitur, quia non habet supra se genus pro-

ximum, idem de ente rationis: at terminus benè habet supra se rationem univocam; & genus proximum: ergo in diffinitione termini possunt observari regulæ artis, & si non observantur, defectus est diffinitionis. Min. probatur. Supra terminum datur ratio communis entis rationis, quæ est univoca ad omnia entia rationis: ergo.

Respondeo, quòd ratio communis entis rationis, dato quòd sit univoca, non est genus proximum ad terminum, sed est genus remotum divisibile in tres modos sciendi, scilicet in diffinitionem, divisionem, & argumentationem; & hi modi sunt divisibiles in varias species. Quare *ens rationis* non est genus proximum, sed remotum. Dato autem quòd sit ratio univoca non diffinitur terminus per *ens rationis*, quia redderetur diffinitio obscurissima. Regulæ artis debent observari quando juvant, non quando obstant claritati. Nam cum diffinitio sit instituta ad explicandam essentiam rei, diffinitio eò melior est, quo clarior: clarior evadit ponendo rationem analogam ad principia realia entis naturalis, quæ ponendo loco generis *ens rationis*. In forma ad replicam disting. consequens. Ergo in diffinitione termini possunt obser-

vati regulæ artis, cum dispendio claritatis. concedo, sine præjudicio tali nego consequentiam. Et ideo à nulla sententia regula talis observatur in diffinitione termini. Et per hoc patet ad confirmationem.

31. Argues quartò, & potest esse replica contra dicta. Una ex bonæ diffinitionis regulis est, quòd sit clarior suo diffinito: at nostra non est talis; ergo. Probatur min. Nostra diffinitio datur per ordinem ad artefactum logicale: sed artefactum logicale est ita obscurum, ut in eius explicatione versetur unicè Logica magna: ergo.

Respondeo primò instando in alijs diffinitionibus. Omnes enim diffiniunt terminum in ordine ad propositionem: at propositio est obscurior termino: ergo omnes tradunt diffinitionem quæ non est clarior termino diffinito. In forma respondeo disting. maj. quòd sit clarior in se objective, concedo maj. respectu nostri, nego maj. & disting. min. nostra diffinitio non est clarior, in se, & objective, nego minor. respectu nostri, concedo min. & nego consequentiam.

Diffinitiones nostra, & aliorum in se sunt clariores diffinito, quia revera explicant termini essentiam, quæ solum in confuso dicitur per vocem

*terminus.* At respectu nostri non est clarior, quia revera traditur per ordinem ad propositionem, vel artefactum logicale, quod est difficillius captu quam sit terminus. Petit diffinitio quod sit clarior diffinito; at hæc major claritas convenit ei in se, non autem respectu nostri. Sic juxta D. Thomam hæc propositio *Deus est*, est per se nota in se objective; sed non est per se nota quoad nos. Est per se nota in se objective, quia prædicatum essentialiter connectitur cum subjecto; non est per se nota quoad nos, quia propter nostram tarditatem non cognoscimus talem connexionem. In principijs nostri Ægidij illa propositio est per se nota solis sapientibus, qui bene valent connexionem terminorum, non est per se nota omnibus, quia rudes non capiunt illam. Sic diffinitio termini clarior est sapientibus, qui valent quid sit artefactum logicale. Non tamen est clarior omnibus, quia incipientes nesciunt quid sit tale artefactum.

32. Dices. Diffinitio termini datur pro incipientibus; ergo debet respectu illorum esse clarior diffinito. Ergo non sufficit, quod sit clarior in se objective, vel quod sit clarior respectu sapientium. Respon-

deo disting. consequens, debet esse clarior respectu incipientium aequaliter clarior, & modo possibili, concedo: plenè clarior, & modo impossibili, nego primam consequentiam & eodem sensu etiam secundam.

Cum omnis pars dicat essentialem ordinem ad totum quod componit, & terminus sit pars artefacti logicalis, dicit ad illud ordinem essentialem, & hic ordo necessario debet explicari in ejus diffinitione; quare clarior sine tali ordine diffinitio est impossibilis. Posito tali ordine, diffinitio adhuc incipientibus est aliquomodo clarior termino; nam incipientes audiunt à suo Magistro notitiam saltem confusam artefacti logicalis; & ea habita percipiunt diffinitionem saltem in fide Magistri, eo sensu quo dixit Aristot. 9. Metaphysicæ textu 7. quod oportet addiscentem credere: & sic percepta clarior est eis claritate possibili; & qua major impossibilis est.

33. Dices. Saltem propositio non est ita obscura, sicut artefactum logicale: ergo reliquæ diffinitiones termini datæ per ordinem ad propositionem, non sunt ita obscuræ, sicut nostra quæ datur per ordinem ad artefactum logicale. Respondeo dist. consequens, non

non sunt ita obscuræ, & sunt termini in communi, nego consequentiam. Et sunt diffinitiones solius termini syllogistici, concedo consequentiam. Nequit dari diffinitio conveniens omni termino, nisi per ordinem ad artefactum logicale, ut probatum est § 3. ergo nequit dari diffinitio termini in communi, quæ sit clarior nostra.

34. Argues 5. Nostra diffinitio non constat differentia: ergo non est bona. Probatur antecedens. Differentia prædicatur essentialiter de diffinito: sed *ly artefacti logicalis* quod est differentia nostræ diffinitionis, non prædicatur essentialiter de termino: ergo nostra, &c. Maj. patet in hac diffinitione hominis *animal rationale*, ubi *ly rationale* est differentia, & prædicatur essentialiter de homine; valet enim *Homo est rationalis*. Min. probatur. Hæc est falsa propositio, *Terminus est artefactum logicale*: ergo.

Confirmatur. Per differentiam differt diffinitum ab omnibus alijs non diffinitis & ideo integra diffinitio non potest convenire alijs à diffinito: sed integra diffinitio termini, quam dedimus, convenit alijs distinctis à termino: ergo nec habet differentiam, nec est bona diffinitio. Probatur minor.

Nostra diffinitio convenit nomini; nam nomen verè est primum principium artefacti logicalis, cum sit vera pars enuntiationis, quæ est artefactum logicale: sed nomen est quid distinctum à termino: ergo.

Confirmatur secundò. Verbum non est terminus: & tamen ei convenit diffinitio termini nostra: ergo idem. Probatur min. Omnis pars, quæ est primum principium enuntiationis est primum principium artefacti logicalis: sed verbum juxta Aristotelem 1. Perihierm. quem sequuntur D. Thomas, nolter Ægidius, & alij interpretes, est vera pars, & primum principium enuntiationis: ergo est primum principium artefacti logicalis, & consequenter ei convenit nostra diffinitio termini.

35. Respondeo ad argumentum instando illud in omni diffinitione; nam dum dicis *extremum propositionis*, *ly propositionis* est differentia: & tamen non valet, *terminus est propositio*: ergo argumentum contra omnes est. Respondeo directè, quod entia absoluta, ut homo, habent in diffinitione differentiam in recto; & hæc potest prædicari de diffinito, ut argumentum dicebat. Ceterum entia relativa diffiniuntur per ordinem ad aliud, & hoc ponitur in obli-



quo, nec potest unquam se solo, & in recto prædicari. Terminus cum sit pars ordinata ad totum, est de genere relativo, & sic ponitur in obliquo pro differentia illud totum ad quod ordinatur. Hoc totum nequit prædicari in recto, bene tamen in obliquo: & sic valet dici, terminus est *Primum principium artefacti logicalis*.

Ad utramque confirmationem respondeo, quod nomen, & verbum sunt verè termini enuntiativi, nam teste Philosopho ubi supra, partes enuntiationis sunt nomen, & verbum; partes propositionis sunt subjectum, & prædicatum: sed subjectum, & prædicatum sunt termini syllogistici: ergo nomen, & verbum sunt termini enuntiativi. Quare nil mirum quod eis conveniat diffinitio nostra. Immo inde §. 3. probatum est nostram diffinitionem esse bonam, & termini in communi, quia convenit terminis etiam enuntiativis; secus diffinitiones aliorum. In forma ad primam confirmationem nego min. Ad probandam disting. min. nomen est quid distinctum à termino, à termino syllogistico, concedo, à termino enuntiativo, nego. min. & consequentiam. Ad secundam confirmationem, disting. maj. verbum non est terminus,

ALTERA PARS.

non est terminus syllogisticus, omitto maj. enuntiativus, nego maj. & concessa min. nego conseq.

36. Dices. Quæ habent diversam diffinitionem sunt distincta: sed nomen (idem de verbo) habet diversam diffinitionem à termino enuntiativo: ergo distinguuntur. Min. probatur. Diffinitio nominis est *Vox significativa ad placitum sine tempore*, &c. Diffinitio autem termini enuntiativi est *primum principium enuntiationis*: at istæ sunt diffinitiones diversæ: ergo.

Respondeo, quod nomen dupliciter potest considerari, vel secundum se, & absolute, vel ut pars ordinata ad enuntiationem, quo sensu sumitur relative. Primo modo non est terminus enuntiativus; ceterum ei non convenit sic nostra termini diffinitio. Secundo modo est terminus, & ei bene convenit diffinitio. Quare sumpto nomine absolute habet diversam diffinitionem à termino, & est quid distinctum; at ei sic non convenit termini diffinitio. Sumpto tamen nomine relative, non est quid distinctum, nec ei convenit nominis diffinitio, quæ est diminuta, cum non explicet ordinem nominis essentialem ad enuntiationem. In forma respondeo concessa maj. disting. min.

min. Nomen habet diversam diffinitionem à termino, nomen absolute sumptum, concedo, relative sumptum, nego min: ergo distinguuntur, distincta consequens, distinguuntur, si nomen sumitur absolute, concedo consequentiam, si sumatur relative, nego consequentiam.

37. Argues ultimò. Nostra diffinitio non constat genere: ergo non est bona. Patet consequentia, quia omnis bona diffinitio debet constare ex genere, & differentia. Probatur antecedens. De ratione generis est, quod ad plura se extendat, quam diffinitum: sed genus nostræ diffinitionis non se extendit ad plura, quam terminus: ergo. Probatur min. Genus nostræ diffinitionis, sicut & tota diffinitio, prædicatur essentialiter de termino: sed quod prædicatur essentialiter de termino, non se extendit ad plura, quam terminus: ergo. Probatur min. Quod prædicatur essentialiter de termino, identificatur cum termino: sed ex extremis identificatis implicat quod unum ad plus se extendat, quam aliud: ergo.

Hoc argumentum instatur in omni diffinitione, & brevius in diffinitione hominis ab omnibus recepta, scilicet *animal rationale*. Ly *animal* quod est genus prædicatur essentialiter de homine, & sic

cum eo identificatur: ergo non se extendit ad plus, quam homo, & sic non erit genus.

Respondetur, quod sicut in diffinitione hominis ly *animal* dupliciter consideratur, scilicet ex parte rei significatæ, & ex parte modi significandi, primo modo non se extendit ad plus, quia significat solam animalitatem hominis, quæ sola identificatur cum rationalitate: secundo autem modo significat animalitatem ut communem homini, & equo, quare ex modo significandi se extendit ad plura, quam homo. Ita genus nostræ diffinitionis ex parte rei significatæ identificatur cum sua differentia, & sic non se extendit nisi ad solos terminos dialecticos. At ex modo significandi ita dicit rationem primi principij, ut significet eam quasi communem primis principijs physicis, & logicis: & sic ex modo significandi ad plus se extendit, quam terminus.

Omittimus aliam diffinitionem difficilem incipientibus, videlicet, de genere abstracto, & concreto, & quod in propositione genus retinet universalitatem. Hæc omnia sine notitia universalium vix percipi possunt; quare pro summaristis sufficit distinctio data. Iuxta quam in forma nego antecedens. Ad probationem



disting. maj. de ratione generis est quod ad plus se extendat quam diffusum, ex modo significandi, concedo; ex parte rei significatæ, nego maj. & sub eadem distinctione nego min. & consequentiam, cujus probationes unice suadent, quod non se extendit genus ad plus ex parte rei significatæ: sed hoc ad rationem generis necessarium non est.

## §. VI.

*Dubiola quædam incidentia breviter dissolvuntur.*

38. CIRCA definitionem termini (quæcumque illa sit) dubitari potest, an conveniat vocibus non significativis? An etiam verbo? Et an intelligatur de termino actu componente? Tria hæc lato calamo ab alijs pertractata, breviter prælibabimus, & dissolvemus de mente nostri Doctoris, ut ad alia properemus.

Igitur primò dubitatur an ratio termini conveniat vocibus non significativis, v.g. *Bliciri*, & *scindapsus*? Negant communiter Thomistæ, quibus favere videtur D. Thomas. Perhierm. lectione 6. in fine dicens: *Oratio, & ejus par-*

*tes non sunt res naturales, sed quidam artificiales effectus; & ideo subicit, quod oratio significat ad placitum.* Eandem ferè doctrinam habet noster Ægidius 1. Perhierm. cap. 4. Quare si hæc auctoritas suadet, voces non significativas non esse terminos, erit sententia nedum Thomistica, sed Ægidiana.

A ratione probant ex dicta auctoritate. Voces licet repræsentent se, nequeunt accipi pro se: ergo nequeunt esse partes propositionis, & consequenter nec termini. Patet hæc consequentia primò, quia res naturales repræsentant se, & nequeunt accipi pro se, ut patet in homine, & equo, qui nequeunt uniri per verbum *est*, nec dividi per illud negatum. Secundò, quia in hac propositione *homo est animal*, vox *homo* repræsentat se, sed non supponit, nec accipitur pro se, sed pro suo significato. Antecedens autem probatur. Non possunt voces accipi pro se, licet repræsentent se, nisi à natura, vel arte institutæ sint, ut accipiantur pro se: sed nec à natura, nec ab arte sunt ita institutæ: ergo. Probatur min. Primò de natura. Nam si à natura sic fuissent institutæ, semper haberent sic accipi, quod patet esse falsum, nam dum dicitur *Petrus currit*, vox *Petrus*

## QUEST. I.

*trus* non accipitur pro se, sed pro significato. De arte etiam constat, nam unde scimus vocem *Bliciri* esse institutam ab hominibus, ut accipiatur pro se?

Confirmatur. Voces quæ non substituunt pro conceptibus, non sunt termini, nec partes propositionis: sed voces non significativæ non substituunt pro conceptibus; ergo &c. Maj. patet, nam ideo res naturales non sunt termini, nec partes orationis, testibus Philosopho, D. Thoma, & Ægidio, quia res naturales solum repræsentant se, & non substituunt pro conceptibus. Min. etiam est certa, quia voces non significativæ unice supponunt pro se veluti res quædam naturales, & cum nil significet, nullus ei conceptus correspondet, pro quo substituunt.

Secundò confirmatur. Nā quod nil significat, nil prædicat, nec de eo aliquid prædicatur: sed quod non potest esse subjectum, aut prædicatum, nequit esse terminus: ergo voces non significativæ non sunt termini. Confirmatur tertio. Nam hæc prædicatio *Bliciri est Bliciri*, videtur vera, & identica, sicut hæc *Homo est homo*: sed si ibi voces illæ per se sumerentur foret falsa; cum una vox *Bliciri* non sit alia: ergo quia in illa propositione

## §. VI.

*Bliciri* non sumitur pro se, sed loco ejus subintelligitur aliquid, scilicet *vox*, ita ut sensus sit *Vox Bliciri est vox Bliciri*.

39. Per oppositum alij docent voces non significativas esse terminos suadent de mente Philosophi, quia dum dedit regulas pro syllogismis, usus est loco terminorum litteris A. B. C. sed illæ litteræ nil significant: ergo ex nil significantibus potest fieri syllogismus, & consequenter ex eis ut ex terminis. Confirmatur. Nam hæc est vera prædicatio, *Bliciri est vox non significativa*, ibi enim datur subjectum, copula, & prædicatum: ergo vox illa quæ potest esse subjectum, potest revera esse terminus.

Confirmatur secundò Ratio vocis est generica ad significativas, & non significativas: ergo de utrisque prædicatur essentialiter. Ergo tam essentialis est hæc prædicatio, *homo est vox*, quam illa *Bliciri est vox*: sed prima constat ex terminis: ergo & secunda: sicque voces non significativæ sunt termini.

40. Noster Villanova tenet sententiam mediam, docens voces tales esse terminos syllogisticos, non autem enuntiativos. Hanc putat esse mentem nostri Doctoris locis supra citatis. Quod terminos

sylogisticos probat fundamentis num. 39. datis. Et quia verè etiam voces non significativæ sunt id in quod resolvitur propositio, ut in subjectum, & prædicatum.

Quoad secundam partem probat, quia voces non significativæ nequeunt esse partes enuntiationis: ergo nequeunt esse termini enuntiativi. Patet consequentia, & antecedens probatur. Enuntiatio est oratio significativa, & sic est enuntiativa unius de alio: sed ex vocibus non significativis nequit fieri oratio significativa: ergo nec enuntiatio.

Confirmari potest hæc ratio. Sufficit, quod una pars non sit significativa, ut tota oratio non sit significativa: sed oratio quæ non est significativa, nec est oratio, nec est enuntiatio: ergo ex vocibus non significativis nequit fieri enuntiatio. Min. constat ex definitione orationis quæ dicitur *Vox significativa, &c.* Maj. probatur. Iuxta commune axioma *Malum ex quocumque defectu; bonum ex integra causa.* At significatio est de genere boni, non significatio de genere mali: ergo &c.

41. Sanè cum quæstio sit nullius momenti, mirum est qualiter pugnarunt ingenia pro ea elucidanda. Nobis autem plenè placet prima pars senten-

tiæ nostri Villanovani, & est conformis secundæ sententiæ, quare cum eis dicendum est, voces non significativas esse propriè terminos sylogisticos. Et omisissis in sua probabilitate fundamentis ibi num. 39. positis, aliter confirmo sententiam illam sequenti ratione.

Vox significativa, dum supponit materialiter, est verè & propriè terminus sylogisticus apud omnes: sed voces non significativæ possunt facere in propositione quidquid faciunt voces significativæ, dum supponunt materialiter: ergo apud omnes debent esse termini saltem sylogistici. Patet consequentia: nam esse terminum, est facere manus termini. Maj. patet, nam vox *homo* quæ sine dubio terminus est, habet variè supponere, aliquando *formaliter*, scilicet quando sumitur pro suo significato, ut dum dicitur *Homo est animal*; aliquando *materialiter*, scilicet quando sumitur pro se, ut dum dicitur *Homo est vox*. Sed terminus supponens materialiter non definit esse terminus, ut patet; aliàs suppositio materialis non esset proprietas termini: ergo vox significativa, dum supponit materialiter, &c.

Min. autem principalis probatur. In hac propositione *Homo est vox* ly *homo* supponens materialiter, non accipi-

tur pro alio, sed pro se; nec substituit pro interno conceptu sui significati, sed pro conceptu interno sui, sibi ut voci correspondente: nam huic soli convenit esse vocem, & sola *vox* prædicatur. At in hac *Blicthiri est vox* ly *Blicthiri* accipitur pro se, & ultra substituit pro conceptu interno sui, etenim si vox *homo* habet internum sui conceptum, cur non etiam vox *Blicthiri*? Ergo in secunda propositione facit *Blicthiri* quidquid voces significativæ dum supponunt materialiter.

Confirmo id amplius. Omnes rationes quibus D.D. primæ sententiæ probant voces non significativas non esse terminos, probant quod voces significativæ, dum supponunt materialiter, non sunt termini: at hoc est probare contra communem omnium sententiam: ergo tenentur suas reformare rationes, & in nostram incidere sententiam: min. constat. Nam omnes dicunt suppositionem esse proprietatem termini; hanc dividunt in propriam, & impropiam; propriam subdividunt in materialem, & formalem: ergo juxta omnes suppositio materialis est proprietas veri termini; & consequenter veri termini sunt, dum supponunt materialiter. Maj. constat recolendo rationes num. 38. positas, nam eis contendunt non

sufficere ad rationem termini accipi per se: at terminus dum supponit materialiter, accipitur pro se: ergo rationes, &c.

42. Dicimus secundò, voces non significativas non esse terminos enuntiativos, si solæ sumantur: bene tamen si associentur vocibus significativis. Quoad primam partem sumus cum nostro Villanovano; quoad secundam recedimus, sed quoad utramque credimus esse sententiam Philosophi, D. Thomæ, & nostri Ægidij. Et quidem est dicere, quod enuntiatio petit ad minus aliquem terminum significativum, non autem omnes: quare ex solis non significativis nequit fieri enuntiatio; bene tamen ex uno, aut duobus non significativis, adjuncto alio significante.

Probatur. Nam enuntiatio non aliter petit voces significativas, quàm oratio; idè enim petit terminos significativos, quia est oratio: at oratio juxta Philosophum 1. Perhierm. cap. 4. *Est vox significativa ad placitum cujus aliqua pars separata significat* &c. Ergo enuntiatio solùm petit esse significativam taliter ut aliqua pars separata significet, non autem omnes. Hoc autem est unicum discrimen orationis ut sic ab enuntiatione, quod oratio ex se non petit

tit esse affirmativam, vel negativam; sufficit quod sit complexum sine affirmatione, ut *animal videns*. At enuntiatio petit affirmationem, vel negationem; in reliquis autem conveniunt: ergo sicut oratio solum petit quod aliqua pars sit significativa, & non omnis; ita enuntiatio. Quod dictum est de Philosopho intellige de mente D. Thomæ ibi lectione 6.

43. Sed expressius noster Agidius exponens loco citato *ly cuius aliqua pars*, dicit: *Non dicit cuius partes, propter negationes, & alias partes syncategorematicas, quæ non significat aliquam rem absolutam, sed solum habitudinem rei*. Ecce non dixit Philosophus juxta nostrum Agidium, omnes partes orationis debere significare, sed aliquam partium: hoc ideo quia si dixisset omnes, exclusisset negationes, & terminos syncategorematicos, qui non sunt excludendi: ergo ob eandem rationem non exclusit terminos non significativos. Probat hoc de mente nostri Doctoris sequenti ratione.

Ideo Philosophus non dixit omnes partes orationis debere significare, quia excluderet negationes, & terminos syncategorematicos, qui non debent excludi: at ob eandem

rationem non debent excludi voces non significantes: ergo ne eas excluderet, non dixit omnes, sed aliqua pars. Maj. est D. Thomæ, & Agidij Probo min. Ideo non debent excludi negationes, & syncategoremata, quia licet nihil absolute significant, adjuvant tamen alias voces significantes quibus adjunguntur: at etiam voces nil significantes adjuvant significantes, quando eis adjunguntur: ergo. Probo min. in hac propositione *Blicthiri est vox*, *ly vox* se sola non poterat constituere orationem, nec item aliquid enuntiare: at adjuncta, *Blicthiri*, est oratio, & enuntiatio: ergo &c.

Confirmatur amplius. Licet corpus ex se non sit intellectivum, quia tamen adjuvat animam ut intelligat, totus homo dicitur intellectivus: ergo licet voces non significantes nihil enuntient, quia tamen unitæ significantibus adjuvant eas; ut in exemplo dato constat, tota oratio dicitur enuntiativa. Ergo hæc est stricta enuntiatio *Blicthiri est vox*: ergo in ea *Blicthiri* est terminus enuntiativus, & primum principium enuntiationis.

44. Hinc facile solvuntur argumenta primæ sententiæ posita num. 38. Nam auctoritas illa D. Thomæ non est

est contra nos, qui non ponimus orationem ex rebus naturalibus, sed ut quemdam effectum artificiosum. Sanè hæc propositio *Homo est vox*, non habet partes naturales, sed artificiosas, scilicet subjectum, copulam, & prædicatum: ergo nec hæc *Blicthiri est vox*. Idem facit hic *Blicthiri* ac in alia propositione *ly homo*. Vide dicta num. 41.

Ad rationem ibi formatam ex autoritate Angelici Magistri, qua suam confirmat sententiam Collegium complutense Sancti Thomæ, in isto illam plenè in vocibus significantibus dum supponunt materialiter, v. g. in hac propositione *Homo est vox*. Nam *ly homo est vox* quæ representat se, & accipitur pro se, non enim accipitur pro suo significato, tum quia non supponit formaliter, sed materialiter. Tum etiam, quia eo modo supponit, quo illi convenit prædicatum: at de homine significato non prædicatur esse vocem, sed rem: ergo *ly vox* non prædicatur de homine accepto pro re significata, sed pro voce. Nunc sic. Dic nobis an vox *homo* habeat à natura accipi pro se, an ab arte? Non à natura, quia semper ita acciperetur, quod est falsum. Non ab arte, quia non constat nobis de tali instituto hominum: ergo *ly*

*homo* nequit accipi pro se, nec materialiter supponere. Vide an valeat hæc consequentia contra omnes?

Directè respondeo negando antecedens, & simul consequentiam, quorum probationes nil evincunt. Ad probationem antecedentis dic, quod ab arte habent voces quod accipiantur pro se, sed à natura habent quod representent se. Patet hoc secundum, quia vox est quædam realitas; omnis autem realitas præcipuè externa, representat se naturaliter, quare hoc habet à natura. Quod autem accipiatur pro se, id habet ab arte. Quæris à qua arte? Respondeo, quod à Dialectica. Et ostendo hoc in vocibus significantibus: vox *homo* habet naturaliter representare se, & ex institutione hominum habet representare hominem, cujus est signum ad placitum. En vox ita est indifferens, ut accipiatur pro se, & ut accipiatur pro significato. Quis determinat ut pro se accipiatur aliquando? Dialectica formans propositiones. Nam terminus eo modo supponit, quo illi convenit prædicatū: si prædicatū illi convenit supponenti materialiter vox accipitur pro se; si supponenti formaliter, vox accipitur pro significato. Quare Dialectica formans propositiones est ars à qua habent voces

ces accipi pro se.

Ecce exempla in istis propositionibus, *Homo est animal: homo est vox*. Eadem vox homo in prima supponit formaliter, & accipitur pro significato; in secunda supponit materialiter, & accipitur pro se. Unde hæc differentia? Certè non aliunde, nisi ex adjuncto prædicato. Prædicatum primæ non convenit homini materialiter supponenti, sed formaliter, quia de solo significato ejus, non de voce, verum est esse *animal*. Prædicatum secundæ non convenit voci *homo* sumptæ pro suo significato, sed sumptæ pro se quia sola vox homo est vox. Ergo ars quæ juxta regulas facit propositiones, determinat per prædicata adjuncta, quando voces sumuntur pro se, & quando pro significato.

45. Nec probationes consequentiæ primæ subsistunt. Non prima: quia assumit rem dubiam contra certam. Dubium est, an ipsæ res possint deservire pro terminis adjuncto verbo substantivo. v. g. videntur equum, & hominem, dicere *hic non est hic*. Et quidem Theologi dicunt hanc propositionem posse proferri, *Hic homo, signato Christo, creavit mundum*. Demus quòd de gente Christo Domino in terris, quis digito signaret Christum

Dominum, & adderet *creavit mundum*. Certè tunc ipse Christus signatus gereret vicem termini, & subjecti illius propositionis; quare res naturales repræsentantes se, possunt accipi pro se. Et Philolophus dicit nos uti terminis pro rebus, *Quia res ad scholas adducere non possumus*: ergo voces substituantur pro rebus, quia res absentes sunt: ergo dum præsentis sunt, non est opus tali substituto, sicque res ipsæ naturales possunt accipi pro se, sed dato id non posse res naturales, unde id probabis de vocibus sive significatibus, sive non significatibus.

Secunda probatio consequentiæ nil valet. Fateor quòd in hac propositione *Homo est animal*, vox *homo* repræsentat se, sed non accipitur pro se, quia prædicatum non convenit voci *homo*, sed ejus significato. At dic mihi in ista propositione *Homo est bisyllabus*, an *homo* repræsentans se, sumatur pro se? Certè pro suo significato non sumitur; quia prædicatum non convenit nisi voci *homo*, sumptæ pro se. Ergo nil probatur inde contra voces nil significantes.

Pro solutione primæ confirmationis, ut videas instantiam claram in vocibus significativis supponentibus materialiter, dic mihi, an in ista propo-

positione *homo est vox*, ly *homo* substituat pro conceptibus, an non? Si primum: ergo & voces nil significantes substituantur pro conceptibus, quos de voce materialiter sumpta format intellectus. Si secundum: ergo ad rationem termini nõ est necessarium, quòd voces substituantur pro conceptibus. Utraque consequentia est clara, quia si vox *homo* supponens materialiter accipitur pro se, & est terminus, erit terminus supponens pro conceptu interno sui, vel sine illo, quòd eodem modo convenit vocibus nil significantibus, dum accipiuntur pro se.

Respondeo directè, voces nil significantes substituere pro conceptibus; nam certè hæc enuntiatio *Blicthiri est vox*, est signum externum interni judicij intellectus, quo judicat voces nil significantes esse voces. Ergo ly *Blicthiri* habet intra intellectum suum conceptum, pro quo substituit vox externa. Quare concessa majori, nego min. Ad probationem nego antecedens, quia licet voces nil significantes non possint substituere pro conceptu de ejus significato, substituant tamen pro conceptu, quem intellectus format de ipsa voce. Et quidem dum dicitis *Homo est vox*, ly *homo* non supponit pro conceptu de significato, vocis,

sed pro conceptu de ipsa voce: ergo idem in nostro casu.

47. Ad secundam confirmationem nego maj. Nam supra num. 41. & sequentibus ostensum est qualiter ex vocibus non significativis fiunt prædicationes. Ad tertiam dic quòd illa prædicatio *Blicthiri est Blicthiri*, nec est identica, nec vera, sed plenè falsa: immò ob eandem rationem hæc *Homo est homo*, si sumantur termini materialiter & pro se, non est identica, sed falsa: quia una vox differt ab alia numericè, & entitativè, sicut Petrus à Paulo. Est ergo secunda propositio identica, quia homo sumitur pro significato. Cum ergo in prima cujstermini nil significant, non possint sumi pro significato, sed pro se; ideò est falsa, & minimè identica.

Immò hinc sumimus novum argumentum pro nostra sententia. Hæc propositio *Blicthiri est Blicthiri*, est plenè falsa, & in nullo sensu vera: ergo quia ex vocibus non significativis fit propositio, in qua verum, vel falsum est, & enuntiat. Patet consequentia, & antecedens probatur. Nam juxta arguentes in tertia confirmatione, solum potest esse vera subintellecto ly *vox*, ita ut sensus sit *Vox Blicthiri est vox Blicthiri*; sed hæc etiam modo

est falsa: ergo nullo modo est vera. Probo min. Illud duplex *Bliciri* est duplex vox, & duplex entitas distincta: sed de duplici entitate distincta falso affirmatur identitas per verbum *est*: ergo &c.

Rursus. Falso exponitur, aut saltem inutiliter additur *ly vox* supra *Bliciri*, quando intrat propositionem illam: ergo ex falso fundamento impugnatur nostra sententia. Probatur antecedens. In hac propositione *Bliciri est trisyllabum*, falso, aut inutiliter additur *ly vox* dicendo *Vox Bliciri est trisyllabum*, immò contra regulas Grammaticæ: ergo probo antecedens, quia vel *ly trisyllabum* cadit supra *Bliciri*, vel supra *ly vox*: si supra *ly vox*, Debeat grammaticaliter dici *Vox Bliciri est trisyllaba*, non trisyllabum. Rursus supra *ly vox* est falsa prædicatio, quia *vox* est monosyllaba, non trisyllaba. Ergo attento prædicato *trisyllabum*, unice convenit *Bliciri*, solitarie sumpto: ergo inutiliter additur ex parte ejus *ly vox*.

48. Restat solvere fundamenta tertiæ sententiæ posita num. 40. Et quidem primum de termino syllogistico facit pro nobis. Reliqua autem, quæ impugnant terminum enuntiativum, solvenda sunt. Ad primum nego an-

tecedens. Nego enim quòd voces nil significantes, non possint esse partes enuntiationis. Oppositum enim probatum est num. 42. & sequentibus. Ad probationem in contrarium disting. maj. Enuntiatio est oratio significativa; significativa quoad omnes suas partes, nego major, quoad aliquam, concedo maj. & disting. min. ex vocibus non significativis nequit fieri oratio significativa, ex solis vocibus non significativis, concedo; ex non significativis adjunctis significativis, nego min. & consequentiam. Vide dicta num. 42. & sequentibus.

Ad confirmationem, quæ expressè militat contra nostram sententiam, respondeo negando maj. ad probationem ejus disting. illud axioma. *Malum ex quocumque defectu*, quando pars imperfecta impedit perfectam, & perfectionem totius, concedo; quando non impedit, sed potius adjuvat perfectam in ordine ad perfectionem totius, nego. Ecce exempla quibus illustratur expositio axiomatis, à nobis data, quæ utilis est pro alijs materiis.

Etiam si sola anima sit intellectiva in homine, totus homo dicitur intellectivus; at cum sola anima sit spiritualis, totus homo non dicitur spiri-

tua-

tualis, sed corporeus. Unde relate ad corporeitatem *Malum sumitur ex quocumque defectu*, scilicet ex corpore, secus relate ad intellectualitatem. Cur hoc? Sanè non aliunde nisi ex doctrina à nobis data. Corpus enim, quod est pars imperfecta hominis non adjuvat spiritualitatem animæ, sed impedit, unde teste Divino eloquio, *Corpus quod corrumpitur aggravat animam* At è contra corpus, licet non intellectivum, adjuvat animam in ordine ad intelligendum, teste D. Thoma 1. parte q. 89. art. 1. & sequentibus ubi docet, quòd animæ separatae (si absit privilegium) intelligunt quidem aliqui, sed valde imperfectè, & confusè: & ideò naturaliter corpori uniuntur, ut eo tanquam instrumento utantur ad res perfectè, & distinctè intelligendas.

Ecce quando pars imperfecta adjuvat perfectam in ordine ad perfectionem totius tuæ malum non sumitur ex quocumque defectu: unde totus homo dicitur intellectivus, totus rationalis, totus discursivus. At è contra totus dicitur mortalis ratione unionis, totus corruptibilis, totus corporeus, quia corpus, & unio non adjuvant aliam partem pro perfectione immortalitatis, spiritualitatis, &

incorruptibilitatis. Cum ergo voces non significantivæ adjuvent significantivas pro enuntiatione, & oratione, ut probatum est num. 43. ideò enuntiatio ex eis compacta, totaliter debet dici significativa, nec tenet in contra axioma allegatum.

Quæres breviter, an hæc sit enuntiatio, *Bliciri non est scindapsus*? Et videtur quòd non sit, quia unice constat ex vocibus non significativis: sed num. 42. diximus has voces solas non esse terminos enuntiativos, sed dum adjunguntur significativis: ergo enuntiatio non est, nec ejus termini erunt enuntiativi, sed syllogistici.

Nihilominus dicendum est esse veram enuntiationem, & constare ex terminis enuntiativis. Ratio est, quia verbum *est* significat, & se tenet ex parte prædicati, ut dicemus infra dubiolo 3. Quare sensus est *Esse materiale hujus vocis Bliciri, non est esse materiale hujus vocis scindapsus*. Atqui in hac voces *Bliciri*, & *scindapsus* adnectuntur vocibus significativis, & eas adjuvant pro enuntiatione illa veritate distinctionis utriusque; ergo propositio illa *Bliciri non est scindapsus*, non constat ex solis vocibus non significativis, quare est enuntiatio.

50. Dices: licet in dicta propositione ly *Bliciri* adjuvet ad componendam propositionem, non tamen ad significandum: ergo verificatur, quod quantum ad significationem malum sit ex quocumque defectu, & sic tota oratio non erit significativa; immo nec oratio. Probatur anteced. quod nil significat nequit adjuvare ad significandum: sed ly *Bliciri* nil significat: ergo &c.

Respondeo, quod sicut corpus, quod non est intellectivum, adjuvat animam ad intelligendum recipiendo species, & phantasmata, ad quae convertitur anima, ut intelligat. Ita *Bliciri* nil significans adjuvat verbum *est*, ministrando ei suam entitatem materiale, ut de illa verbum affirmet, vel neget identitatem, vel distinctionem, quam se solo verbum non poterat affirmare, vel negare cum veritate. Pone, ut hoc videas, hanc propositionem ex una parte *Bliciri* non est scindapsus: Pone ex alia solum ly non est. In prima vides veritatem qua verbum negat identitatem utriusque vocis. In 2. verbum negat identitatem, sed non aliorum, nec cum veritate, nec cum falsitate. Ergo voces *Bliciri*, & scindapsus adjuvant verbum quoad significationem illius veritatis, qua verè negatur identitas utrius-

que vocis. Et hæc de hoc dubio, cui non erat animus tam prolixam adhibere manum.

51. Dubitatur secundò. An termini extra propositionem sint actu termini? Vel an de ratione termini sit actu terminare? Utraque sententia ex diametro opposita est probabilis inter AA. Collegium complutense S. Thomæ dicit Thomistas amplius propendere in sententiam affirmativam. Et suadetur autoritate Philosophi dicentis, quod *Verba in diffinitione non dicunt actum sed aptitudinem*. Ergo dum in diffinitione termini dicitur quod sit pars propositionis, intelligitur tum de parte actualiter componente, tum de parte potente componere. Ergo licet voces extra propositionem actu non componant, nec terminent, erunt tamen termini, quia possunt terminare, & componere.

A ratione probant. Quia de ratione partis actualis non est actu componere, sed posse componere. Patet hoc in anima rationali, quæ licet quando est separata, actu non componat hominem; habet tamen rationem partis, quia potest reuniri, & sic componere: ergo cum de ratione termini sit esse partem artefacti logicalis licet extra propositionem non sit actu componens, erit

ta-

tamen pars, & terminus, quia potest componere.

Confirmatur. Essentia rerum sunt ab æterno: ergo essentia termini est ab æterno, sed ab æterno non dantur propositiones actuales; quia eas format unicè noster intellectus, qui non est ab æterno, sed existit in tempore: ergo ab æterno vocibus convenit essentia termini, quia ab æterno actu terminent, aut componant propositionem. Ergo non requiritur actu terminare, ut voces sint actualiter termini.

52. Contraria sententia probabilior est in principiis nostri Ægidij, & eam docet cum nostris DD. noster Villanovanus. Docet tamen voces extra omne artefactum logicale posse esse terminos diffinitivos, non autem enuntiativos, aut syllogisticos. Ratio primi est, quia diffinitio pertinet ad primam operationem intellectus, quæ non iudicat, sed apprehendit, & ideo nil affirmat, aut negat. Hæc enim est hominis diffinitio *animal rationale*, ecce hoc apprehenso, quia aliquid affirmem, vel negem, est diffinitio: ergo constat ex terminis diffinitivis. Consequentia constat ex Philosopho 5. Metaphysicæ textu 22. ubi noster Ægidius dicit, *Philosophus diffinitionem appellat terminum, quia in ea*

*ponuntur rei principia, inter quæ veluti inter proprios terminos, & inter proprios fines, res diffinita concluditur*. Nunc sic. Sed isti termini, sicut & diffinitio, dantur extra propositionem: ergo terminus diffinitivus datur extra propositionem, & consequenter de ratione termini diffinitivi non est actu terminare.

Revera attentis verbis tituli quæstionis præsentis, benè responderet noster Villanova excludendo terminos diffinitivos, ceterum deberet etiam excludere enuntiativos, quia isti non constituuntur per ordinem ad propositionem, sed per ordinem ad enuntiationem, quare extra propositionem erunt termini, licet debeant esse intra enuntiationem. At intellecto dubio juxta secunda verba, scilicet, an de ratione termini sit actu terminare artefactum logicale? In quo sensu intelligitur nomine artefacti non sola propositio, sed enuntiatio, & diffinitio, dicendum est, nullum esse terminum diffinitivum, nisi actu terminet diffinitionem, nullum enuntiativum, nisi terminet actu enuntiationem, idem de syllogistico relate ad propositionem & consequenter nullus est terminus, qui actu non terminet artefactum aliquod logicale. Hæc sententia sic explicata, est de

mea-



mente nostrorum Doctorum, & eam probo.

Primo sic. De ratione termini dialectici est esse primum principium artefacti logicalis; sed voces extra, & quando non terminant artefactum logicale: non sunt primum principium artefacti logicalis: ergo quando actu non terminant, non sunt termini. Major est nostra definitio; minor probatur. In physicis illud solum habet rationem principij quod actu principiat compositum: sed voces extra artefactum logicale non principiant illud actualiter: ergo. Probatur major, materia & forma non dicuntur prima principia entis in facto esse: nisi quando actu remanent in composito principiato: item materia, forma, & privatio, non dicuntur principia entis in fieri, nisi quando actualiter principiant ens in fieri: ergo pariter de principijs artefacti logicalis.

Confirmatur. Hæc est differentia inter relativa, & absoluta, quod absoluta habent essentiam quæ consistit in aptitudine; relativa verò in actuali exercitio: at terminus est de genere relativorum; ergo ejus essentia consistit in actuali exercitio terminandi artefactum logicale. Consequentia tenet, min. est certa, quia essentia termini est essentia partis; om-

nis autem pars est relativa ad totum cujus est pars. Major autem exemplis patet: nam quia homo est quid absolutum, dum dicitur *rationalis* non est sensus quod ejus essentia sit actu ratiocinare, sed posse; quare verba in ejus definitione non dicunt actum, sed aptitudinem. A contrario, quia unio est de genere relativorum, ejus essentia non consistit in potentia uniendi, sed in actuali exercitio. Rursus, quia relatio est de eodem genere, non consistit ejus essentia in posse referre, sed in actuali exercitio referendi. Quare non dicitur quis pater, quia potest generare, & potest referri ad genitum; sed quia actu habet filium ad quem actu refertur.

Dices. Propositio est pars syllogismi; & tamen extra syllogismum est propositio: ergo licet terminus sit pars propositionis, extra propositionem erit terminus. Respondeo negando min. quia propositio est *pro alio posita*, id est pro syllogismo, extra syllogismum manet ut enuntiatio, sed non ut propositio.

54. Ex his facile respondetur ad fundamenta sententiæ contrariæ posita num. 51. Ad auctoritatem Philosophi, dic esse veram ut *in plurimum*, at *non semper*. Est vera in entibus absolutis, ut dic-

tum

atum est de homine, & patet in alijs. Non est vera in relativis, ut ostensum est numero precedenti. Quare cum terminus sit de genere relativorum, nil pro termino evincitur ex allegata Philosophi auctoritate. Quare ad argumentum in forma concesso antecedenti sub distinctione data; nego consequentiam de essentia termini.

Ad argumentum à ratione nego antecedens. Ad probationem imbibitam nego quod anima separata sit pars. Non enim in statu separationis est pars, sed totum, & quid absolutum. Ratio est, quia existentia, & subsistentia sunt propria compositi, & suppositi, non partium ejus: at anima separata existit, & subsistit: ergo ut separata non est pars, sed totum, quare ut sic appellatur *quasi suppositum*. Et nota quod licet facta comparatione animæ separatæ ad totum quod cum materia potest componere, dicatur pars; at improprie dicitur talis, quia in statu separationis non habet rationem partis, sed totius per se subsistentis. Sic homo dum actu est, & vivit inter concives, est, & dicitur pars civitatis, vel congressus civilis; non autem quando separatus habitat in eremo: nam licet tunc habeat potentiam ut ve-

niat ad commorandum in civitate; non sufficit hæc potentia ad rationem partis corporis civilis. Omnium ratio est, quia pars, ut talis, dicit ordinem ad totum; quæ dicunt ordinem sunt de genere relativorum, & horum essentia consistit in actuali exercitio: talis est ratio termini.

Ad confirmationem disting. anteced. essentiæ rerum sunt ab æterno, sunt quoad veritatem objectivam, concedo; quoad actualem verificationem, nego anteced. & sub eadem distinctione nego consequentiam. Et concessa minori subsumpta nego consequentiam. Dicimus quod ab æterno *objective* veritatem habent essentiæ, unde est verum quod homo est animal rationale: quod terminus est primum principium artefacti logicalis, & quod ens rationis habet tantum esse objective in intellectu. Hæc omnia vera sunt *objective*, hoc est nulli subiecto existenti actualiter applicata quia ab æterno nullum existit subiectum cui conveniat esse animal rationale, nullum cui conveniat esse primum principium, &c. Quare de nullo subiecto ab æterno actualiter verificatur aliqua essentia. Ergo sicut ab æterno nulla existit propositio, ut arguens ostendit; sic nulla est ab æter-

no



no vox, cui conveniat actualiter esse terminum: etiam si ab æterno verum sit objective quod terminus est primum principium, &c.

55. Dubitatur tertio. An verbo conveniat ratio termini? Et nota, quod verbum duo habet in propositione, nam habet unire subjectum cum prædicato, & sub hoc munere est copula: habet insuper aliquid significare, & illud se tenet ex parte prædicati, sit exemplum in hac propositione de secundo adjacente: *Petrus est*, *ly est* significat *ens*, vel esse, & sensus est, *Petrus est ens*. Vel *Petrus habet esse*. Ecce in verbo *est* duo munera scilicet prædicare, & unire prædicatum cum subjecto: sub munere unionis dicitur copula; sub alio, dicitur quasi prædicatum, vel comprædicatum. De verbo sub utroque munere, est dubium, an ei conveniat ratio termini?

Sed, ut verum fatear, ferè nulla est quæstio de verbo sub munere prædicandi, & ut se tenet ex parte prædicati, ut optimè notat collegium Sancti Thomæ. Ratio est, quia omne quod habet rationem prædicati, habet rationem partis, & principij propositionis: sed quod est pars & principium propositionis, terminus est citra controversiam: ergo

vel nullam, vel leve est distidium de verbo, ut habet rationem prædicati, quare cum, teste nostro Ægidio 2. Perhlermeniarum cap. 1. ubi etiam D. Thomas, & Philosophus, semper verbum secundum veritatem prædicetur; sub hoc munere semper erit terminus dialecticus.

56. Hinc dubium præcipuum est de verbo sub ratione copulæ, an ut sic sit terminus? Affirmat dictum collegium, & Vallius Iesuita cum pluribus. Negat noster Villanova asserens ita colligi ex doctrina nostri Ægidij locis dardis, cui libenter assentior; & eam sententiam probo breviter. Quod non est primum principium artefacti logicalis, non est terminus: sed verbum ut est copula, non est primum principium artefacti logicalis: ergo non est terminus. Consequentia, & maj. constant, quia arguitur à diffinitione ad diffinitum. Min. probatur, à paritate, & à ratione. A paritate compositi physici. Unio inter materiam, & formam (sive distincta sit ab extremis, sive non) ut unio est, non est primum principium, aut pars compositi physici: ergo copula, quæ est unio principiorum artefacti logicalis, non erit principium, aut pars illius artefacti.

Probo hanc consequen-

tiã

tiam, & simul à ratione minima principalem. Ideo unio in physicis non est primum principium compositi, nec ejus pars, quia est mera unio partium, & nexus principiorum: at etiam copula, ut copula est mera unio terminorum, & nexus prædicati cum subjecto: ergo copula, ut copula, non est pars, aut primum principium artefacti logicalis.

Confirmatur. Si copula ut talis, esset terminus, nullus esset syllogismus (quantumcumque perfectus) qui non constaret quatuor terminis: sed hoc est contra Aristotelem, & omnes interpretes, docentes cum eo, quod syllogismus perfectus constat solum tribus terminis, scilicet duabus extremis, & medio: ergo quia copula, ut talis, terminus non est. Sequela majoris probatur. Hic syllogismus est perfectus: *Omnis homo est animal: Petrus est homo: ergo Petrus est animal*. At si *ly est* ut est copula foret terminus, constaret ex quatuor terminis, scilicet *Homo, Petrus, animal, & est*: ergo.

Ubi nota quod *ly est* ut habet prædicare esse, est terminus, sed non ponit in numero, quia semper se tenet ex parte prædicati, & facit unum terminum cum eo. Sicut si diceres *Petrus est homo al-*

*bus, ly homo albus*, se habent per modum unius termini, sicut se habent per modum unius prædicati. At si copula ut talis foret terminus, tunc sicut sub ratione copulæ distinguitur à subjecto, & prædicato; ita constitueret terminum distinctum; quare omnis syllogismus quantumcumque perfectus, constaret quatuor terminis, quod est contra Philosophum.

57. Præcipuum fundamentum sententiæ contrariæ formatur sic. In artificialibus forma est partium unio, & ordo earum: sed propositio est quoddam artificiale: ergo copula uniens est forma. At forma est pars principalis cujuscumque compositi: ergo copula est pars propositionis, & non utcumque, sed principalior; & consequenter est terminus. Confirmatur. Subjectum, & prædicatum sunt quasi pars materialis propositionis, quæ comparantur ad copulam, ut materia ad formam: ergo si forma est pars principalis, copula erit talis, & consequenter terminus. Probatur anteced. Distinctio propositionis in affirmativam, & negativam, cum sit essentialis, provenit ab aliqua forma: at provenit ab eo quod copula affirmetur, vel negetur: ergo copula est forma, ad quam

T

com-

58. Pro solutione nota, quod in composito substantiali, & in artificiali datur quædam forma, quæ dicitur forma totius; hæc resultat ex partibus unitis debito modo sive naturali, sive artificiali. At hæc est discrimen utriusque, quod totum substantiale non est forma distincta à partibus unitis (etiam si Scottiæ velint esse formam realiter distinctam, quam vocant formam totius, de qua in Philosophia) est ergo forma illa totius idipsum quod partes unitæ. At in artificialibus non sic. Nam forma domus est forma realis artificiosa, realiter distincta à partibus unitis, quæ ex earum unione resultat. Sic de artefactis logicalibus dicunt ipsi Thomistæ, quod ex conceptibus objectivis, & formalibus, dispositis in formam artefacti logicalis resultat forma quædam artefacti, quæ distincta est à partibus unitis, & ab ipsa unione; immò quid posterius ad unionem, quia ex unione partium resultat.

Hinc in forma ad fundamentum sententiæ contrariæ respondeo negando anteced. Forma enim in artificialibus non est unio, aut ordo partium, sed quid reale resultans ex partibus unitis: quare ad hanc formam comparantur

partes, veluti materia, & unio se habet veluti ultima dispositio disponens partes ad introductionem formæ realis artificiosæ. Idem est de artefactis logicalibus. Subiectum, & prædicatum se habent ut materia ad formam artificiosam propositionis, copula se habet ut dispositio ultima, qua subiectum, & prædicatum comparantur ad susceptionem formæ artificiosæ propositionis. Unde copula non est forma, sed quid veluti materialiter disponens.


59. Ad confirmationem retorqueo illam. Si distinctio propositionis affirmatiæ à negatiua provenit à copula ut à forma, quæ affirmatur, vel negatur: ergo in propositione negatiua, ubi negatur copula, negabitur forma: ergo propositio negatiua nullam habebit formam: ergo nullam habebit essentiam, nec distinctionem essentialem, quæ per se sumitur à forma. Hæc consequentia non potest admitti: ergo copula non est forma propositionis, nec ab ea, ut à forma sumitur distinctio essentialis propositionis affirmatiæ à negatiua.

Hinc detegitur æquivocatio: nam copula sive negata, sive non negata, semper est copula, & unit dialecticè prædicatum cum subiecto. Part

tet hoc. Quia dum dicitur *Homo non est equus*, datur vera propositio: ergo constat ex subiecto, copula, & prædicato: sed copula quæ non unit, non est copula: ergo in ea propositione datur vera copula uniens saltem dialecticè; quare non negatur copula, ut copula est dialectica. Negatur autem copula, ut *Nota aliorum quæ de altero prædicantur*; quare dum dicitur *Homo non est equus*, *ly est* non est nota equi prædicati de homine: immò est nota de eo quod equus non prædicatur de homine. Distinctio autem utriusque propositionis affirmatiæ ut *Homo est equus*, negatiuæ ut *Homo non est equus*, sumitur ex forma totius resultantis ex unione prædicati cum subiecto: quia licet utrobique sint eadem partes, & utrobique unitæ dialecticè, resultat tamen diversum totum, quia diversè uniuntur; siquidem in affirmatiua uniuntur dialecticè, & metaphysicè, hoc est objectivè: in negatiua autem solum dialecticè.

60. Ut autem alia fundamenta ejusdem sententiæ, sed minoris momenti dissolvas, nota sequentia. Primò quod resolu-

tio compositi fit per destructionem unionis: ergo ea facta non remanet unio, nec copula, & sic non est in quem resolvitur propositio. Et dato ut volunt contrarij, quod resolutio propositionis est mentalis; & post ipsam manet copula. Dic quod non manet ut pars, sed ut unio partium. Immò nec ut unio, quia si non habet quod uniat; aut si ab unione præscindit exercitium uniendi, non manet unio, quia de ejus essentia est actualiter unire, ut probatum est. At tandè si verbum solitariè ponas, v.g. *disputat*, tunc vel contendis quod saltem in confuso intelligitur tertia persona, ita ut sensus sit, *Ille disputat, vel aliquis disputat*; vel vis nihil ibi intelligere, sed solum verbum. Si primum, nil contra nos, quia non est facta resolutio, sed ratione taciti subiecti datur integræ actualis propositio. Si secundum, tunc manet verbum, sed non ut copula, sed ut mera vox obliqua, aut quoddam syncategorema: quare copula ut copula, non manet post resolutionem, & sic non est terminus.



# QUÆSTIO SECUNDA.

An vox Deus sit terminus communis?

§. I.

Quibusdam notatis sententiæ referuntur.

**D**E quæstione ista ferè decreveram nihil tractare, quia RR. nimis illam implicarunt admixtis varijs difficultatibus theologicis. At postquam illuxit nobis via clara, regia, & trita à DD. Angelico, & Fundament. libentissimè illam aggredimur, sperantes deinceps eandem alios amplius illustraturos.

Sanè præcipua DD. divisio, ni fallimur, nascitur ex diffinitione termini communis, & universalis, cui consequenter assignant diffinitionem termini singularis. Igitur confundentes, & pro eodem sumentes terminum communem, & universalem, dicunt terminum communem esse *Qui significat plura divisim*. Terminum autem singularem dicunt, *Qui significat unum tantum*.

Hinc venit, quòd juxta has diffinitiones, terminus *Deus* vel erit singularis, quia significat Deitatem, quæ est una tantum, & immultiplicabilis; vel ad summum erit ter-

minus communis ex solo modo significandi, quia licet ex parte rei significatæ sit singularis ob rationem datam; ex modo significandi non explicat singularitatem, sed quasi ab ea præscindit, & sic solum est terminus communis. Ita discurrunt regulariter Thomistæ, quam etiam sententiam olim à nostris Magistris didicimus, sed nimis implicatam difficultatibus theologicis circa præcisionem illam à singularitate ex modo significandi; quæ videtur repugnare actualitati purissimæ Deitatis.

2. Quidquid sit de hoc, via clara ex præceptoribus Angelico, & Fundamentario non admittit illas diffinitiones, sed distinguit terminum communem ab universali: & agnoscit duos terminos singulares, unum contrapositum communi, aliam contradistinctum ab universali. Rursus assignans differentiam communis ab universali dat diversas utriusque diffinitiones; ita ut terminus communis proat contradistin-

ctus

QUÆST. II.

ctus ab universali sit *Qui significat rem pluribus communicabilem sine reali multiplicatione*. Terminus autem universalis est *Qui significat rem pluribus communicabilem cum reali multiplicatione*. Quare convenientes in significando rem pluribus communicabilem, differant solum in multiplicatione, vel non multiplicatione rei pluribus communicabilis.

3. Hoc totum probatur apertissimè primò ex Angelico Magistro in 1. Sentent. distinct. 19. art. 2. ad secundum ubi dicit, quòd *Commune quantum est de se, non determinat rei communitatem, vel rationis, sicut universale; & ideo essentia potest dici communis, non autem universalis*. Ecce essentia Divina significata per nomen *Deus*, potest dici *communis*; non autem potest dici *universalis*. Ergo quia ex D. Thoma commune non est idem ac universale. Qualis autem sit differentia inter utrumque constat ex eodem D. Thoma ibidem in corpore articuli, ubi datis quatuor differentijs, ne natura Divina sit universalis, aut particularis: secunda est hæc. *Secundo, quia essentia universalis non est eadem numero in inferioribus: essentia autem Divina est eadem numero in*

§. I.

149

*pluribus Personis*. Ecce discrimen universalis & communis. Universalis terminus petit multiplicationem rei quæ communicatur; communis autem terminus non petit hanc multiplicationem; & ideo *terminus Deus* est communis, non autem est universalis.

At clariùs colligitur discrimen ex prima autoritate illam confirmando, & exponendo cum doctrina ejusdem D. Thomæ 1. p. q. 39. art. 4. ad tertium, ubi exponit duplicem communitatem, unam quæ est *communitas rei*; aliã quæ est *communitas rationis*, est quæ fit sine reali multiplicatione quando unum & idem in pluribus communicatur, ut in essentia Divina relatè ad personas. *Communitas rationis* est quando res cum multiplicatione communicatur pluribus, ut homo respectu Petri, & Pauli, in quibus multiplicatur natura, sed licet realiter in illis non sit una, fit tamen una per rationem, quare habet communitatem *rationis*. Ecce verba D. Thomæ ad tertium. *Unitas sive communitas nature humane, non est secundum rem, sed solum secundum rationem*. Et infra *Sed forma significata per hoc nomen Deus, scilicet essentia Divina, est una, & communis secundum rem*. Hæc S. Doctor.

Ex

4. Ex quibus confirmatur, & exponitur prima auctoritas libri Sententiarum. Hic vides duplicem communitatem, unam *rei*, aliam *rationis*: Illa excludit multiplicationem *rei*, quæ communicatur; hæc autem illam includit. Quapropter *Deus* potest dici terminus communis, non autem universalis; quia *universale* determinat, & petit communitatem *rationis*, quæ fit cum multiplicatione; secus autem *commune*. Ergo ex D. Thoma tria habemus. Primum discrimen universalis à communi, quæ non sunt idem, ut perperam confunduntur à RR. Secundum, quod discrimen est, quod universale petit multiplicationem, quæ est communitas *rationis*: commune autem non petit multiplicationem, sed unitatem, quæ est communitas *rei*. Tertium, quod juxta D. Thomam terminus *Deus* est communis secundum rem, hoc est ex parte *rei* significatæ, quod defendimus infra, & hæc erit nostra sententia. Cui adde quartum, quod recte notatur in indice operum D. Thomæ verbo *commune*, scilicet quod communitas *rei* solum datur in Divinis.

5. Angelico Magistro concinit noster Ægidius in 1. Sentent. distinct. 25. art. 1. ubi querit, *Utrum in Divinis Personis*

*na sit nomen commune?* Respondet affirmativè, & in argumento in contrarium, hoc probat sic: *Quod prædicatur de pluribus, habet rationem communis; sed Persona in Divinis prædicatur de pluribus: ergo habet rationem communis.* Ecce nomen *Persona* est terminus communis. Et ratio idem suadet de termino *Deus*, qui etiam de pluribus prædicatur.

Ibidem articulo sequenti inquit, utrum *Persona* in Divinis habeat esse *quid universale?* Respondet negativè; & probat in argumento in contrarium sic: *Omne universale continet sub se plura numero: sed illa propriè differunt numero, quorum unum non est aliud, nec aliquid est in uno quod sit in alio; quod non convenit suppositis Divinis: ergo quod est commune ad illa, non est propriè universale.* Ecce in consequenti hujus syllogismi distinctio communis ab universalis; ecce etiam in majori ratio constitutiva universalis, scilicet multiplicatio numerica, quam non petit terminus communis; ecce tertium quod in Divinis *Persona*, & *Deus*, sunt quid commune, sed non quid *universale*. Ac tandem, ut plenè in Ægidio videas doctrinam D. Thomæ, lege corpus articuli secundi citati, invenies illam duplicem communitatem *rei*,

*rei*, & *rationis*, modo quo explicata est ex D. Thoma.

6. Hoc unum observa discrimen inter nomen *Persona*, & nomen *Deus*. *Persona* dicit esse absolutum, & relativum; & quia relationes in Divinis sunt plures, & realiter distinctæ, idè sunt tres *Personæ*. At *Deus* dicit solum esse absolutum: quod cum sit unum in omnibus *Personis*, non sunt plures dii, sed unus. Hinc fit quod nomen *Deus* habet communitatem *rei*, nam res est unica, pluribus communis sine multiplicatione. At nomen *Persona* habet communitatem solum *rationis*, quia Pater, Filius, & Spiritus sanctus non sunt una *Persona*, sed plures. At verò hæc communitas *rationis* non sufficit, ut sit nomen *universale*; quia universale taliter communicatur inferioribus, ut nihil quod est in uno sit in alio: at *Persona* non est ita relatè ad Trinitatem: quia illud idem esse absolutum, quod dicit *Persona* Patris, reperitur in Filio, & Spiritu sancto, scilicet natura Divina. Quare nomen *Persona*, licet habeat communitatem *rationis*, non est perfecta, & talis, qualis requiritur, ut sit terminus *universalis*.

7. Hinc venit, quod debeat dari duplex terminus singularis; alter qui opponitur

termino communi; alter qui opponitur termino universalis. Ratio hujus sequelæ est. Quia idem terminus singularis nequit opponi utrique termino communi, & universalis, semel quod habeant rationes formales, & essentias distinctas: at qui probatum est supra ex utroque Doctore Beato, terminum communem, & universalem, habere essentias, & rationes formales diversas: ergo oportet assignare singularitates diversas, aut terminos singulares eis oppositos.

Igitur singularitas duplex est; una quæ est pluribus communicabilis, ut in natura Divina; altera quæ est incommunicabilis pluribus, ut singularitas naturæ creatæ individua. Hæc secunda non datur in Divinis, ut docet Magister Sententiarum in 1. distinct. 24. & noster Ægidius ibi quæst. 2. art. 1. dub. 4. Quapropter communis distinctio termini singularis, scilicet *Qui significat unum tantum*, debet bipartiri, ita ut possit intelligi de uno tantum pluribus communicabilis vel de uno pluribus incommunicabili. Hoc secundo modo opponitur termino communi, de cujus essentia est communicari pluribus. Primo autem modo opponitur termino universalis, de cujus essentia est pluralitas multiplicationis.

8. Ex dictis colliges primò quòd terminus communis ut distinctus ab universalis, debet differri *Qui significat rem pluribus communicabilem sine reali multiplicatione.* Terminus singularis ei oppositus est *Qui significat unum tantum pluribus incommunicabile.* Quare pugnant non in unitate, sed in communicabilitate. Quapropter licet natura humana existens in Petro sit hoc modo singularis, quia non est alteri communicabilis: at natura Divina in Patre aeterno, aut in Filio, non est singularis, sed communis, quia non est incommunicabilis, sed communicabilis Spiritui sancto, ut docet noster Ægidius cum Magistro dist. 24. citata.

9. Colliges secundò, quòd terminus universalis est *Qui significat rem pluribus communicabilem cum reali multiplicatione.* Et terminus singularis ei oppositus (quem vocare poteris terminum particularem, quia propriè particulare opponitur universalis, sicut communi singulare, & pluralitati unitas) est *Qui significat unum tantum pluribus incommunicabile.* Quare pugnant in unitate, cum de ratione termini universalis sit pluralitas, & multiplicitas, dum communicatur; cui immediatè opponitur unitas in communicando.

10. Colliges tertio juxta has diffinitiones, quòd idè est asserere terminum *Deus* esse communem prout commune opponitur singulari: ac asserere esse terminum singularem prout singulare opponitur universalis. Ratio est clara. Quia esse terminum hoc modo communem, est significare unum tantum pluribus communicabile sine multiplicatione: at juxta dicta, hæc est diffinitio termini singularis oppositi universalis: ergo perinde est dicere *Deum* esse terminum hoc modo communem; ac dicere esse terminum singularem, ut oppositum universalis.

Hinc colliges rectas esse diffinitiones supra datas 1. part. & quòd gravibus fundamentis recessimus à diffinitionibus frequentibus inter recentiores. Quòd si prolixè tradita videantur, & nimis onerosa juvenibus; Præceptorum discretioni committimus ea seligere, & explanare, quæ sufficient, alijs dimmissis, opportuniore tempore percipiendis.

His notatis Prima sententia negat quòd *Deus* sit terminus communis ullo modo. Ita Hurtado, Suarez, Echalez, & communiter alij. Secunda docet esse terminum communem ex modo significandi, nõ autem ex parte rei significatæ.

Ita

Ita Ioan. à S. Thoma, Prado, Parra, Collegium Sancti Thomæ, & alij præcipuè Thomistæ. Tertia docet esse terminum communem ex parte rei significatæ, si terminus communis distinguitur ab universalis: non autem hoc sensu esse terminum universalem. Ita unicus noster Villanova & si brevissimè in Summulis disp. 1. dub. 4. cap. 3. citans, & meritò pro ea P. August. lib. 7. de Trinitate cap. ultim. quem allegat, & sequitur Magister Sententiarum in 1. distin. 19. ubi etiam noster Ægidius. Hanc tertiam sententiam putamus verissimam suppositis principijs §. isto statutis ex D. Thoma, & Ægidio. Cum quibus sit.

## §. II.

*Nostra sententia proponitur, & probatur.*

II. SIT 1. conclusio terminus *Deus* est terminus communis ex parte rei significatæ. Hæc conclusio est contra secundam, & primam sententiam, sed ex dictis probatur primò autoritate D. Thomæ supra laudati 2. parte quæst. 39. art. 4. ad tertium ubi ait: *Sed forma significata per hoc nomen Deus, scilicet*

*essentia Divina, est una, & communis secundum rem.* Ecce juxta D. Thomam forma significata per hoc nomen *Deus* est una, & communis secundum rem: ergo *Deus* est terminus communis ex parte formæ, & rei significatæ. Patet consequentia. Quia si res significata per terminum est communis, terminus erit communis ex parte rei significatæ; at juxta D. Thomam prælaudatum, res significata per terminum *Deus*, est una, & communis: ergo juxta eundem terminus *Deus* erit communis ex parte rei significatæ.

12. Probatum secundò autoritate nostri Ægidij in primo Sententiarum distinct. 25. quæst. 1. art. 2. in corpore, ubi explicans quomodo sit communis essentia Divina, & quomodo Divina relatio; explicat doctrinam D. Thomæ per hæc verba: *Respondeo dicendum, quòd in Divinis est duplex communitas rei, & rationis. Nam essentia est communis tribus Personis, & esse quid relatum. Verumtamen communitas essentia est communitas rei, eò quòd tres Personæ sunt una essentia. Sed communitas relationis est communitas rationis, nam Patris, & filii, non sunt una relatio, sed plures relationes, &c.* Ex quo sic. Termi-

nus communis ex parte rei significata, est qui significat formam communem pluribus realiter, aut communitate rei; ut se explicant D. Thomas, & Ægidius: sed juxta nostrum Doctorem Deitas significata per nomen *Deus*, est communis realiter pluribus, aut est communis communitate rei: ergo juxta eundem terminus *Deus* est communis ex parte rei significata.

13. Probatur tertio à ratione. Terminus communis ex parte rei significata est qui significat rem pluribus communicabilem sine reali multiplicatione: sed terminus *Deus* significat essentiam Divinam, vel Deitatem, pluribus communicabilem sine reali multiplicatione: ergo est terminus communis ex parte rei significata. Min. est de fide, quæ credimus Deitatem unicam & indivisibilem communicatam à Patre Filio, & ab utroque Spiritui sancto, esse unam realiter in tribus Personis. Major probata est toto §. antecedenti: ceterum ex ibi dictis efficaciora hic breviter in forma reponemus.

Probatur ergo maj. Terminus communis juxta D. Thomam, & Ægidium differt à termino universalis: sed unice differunt, quia terminus communis significat rem plu-

ribus communicabilem sine multiplicatione, terminus autem universalis cum multiplicatione: ergo terminus communis &c. Major patet ex D. Thoma in 1. Sententiarum distinct. 19. art. 2. ad secundum, ubi concedit Deitatem esse communem, non autem universalem; quare inter utrumque agnoscit discrimen. Etiam constat idem ex nostro Ægidio in primo distinct. 25. quæst. 1. art. 1. & 2. nam in 1. art. concedit, quod nomen *Persona* est terminus communis, & in 2. negat quod sit terminus universalis: unde inter utrumque distinguit. Vide supra à num. 3. Et ratione confirmatur hoc discrimen. Nam unum, & plura differunt essentialiter: ergo communicari cum unitate, & communicari cum pluralitate, sunt necessario diversa: at terminus communis significat rem communicabilem cum unitate; terminus autem *universalis* significat rem communicabilem cum pluralitate; ut infra probabitur: ergo autoritate, & ratione constat, quod terminus communis differt à termino *universalis*.

Minor principalis probatur, scilicet, quod discrimen utriusque termini sit penes solum multiplicationem. Nam terminus universalis habet solum

lūm communitatem *rationis*; terminus autem communis habet communitatem *rei*. Sed *cōmunitas rationis* est pluralitas, & multiplicatio realis; *communitas autem rei* est carentia pluralitatis, & multiplicationis: ergo terminus communis, & universalis differunt unice, penes multiplicationem universalis, & non multiplicationem communis. Consequentia est legitima, maj. & min. sunt doctrina D. Thom. & Ægidij; nam D. Thomas in 1. Sententiarum distinct. 19. q. 4. art. 2. ad secundum ideo concedit, quod *Deus* est quid *commune*, non autem *universale*, quia *communitas Deitatis* relatè ad tres Personas, est *communitas rei*, non autem *communitas rationis*: & addit, quod universale determinatè petit *communicatam rationis*. Min. etiam est D. Thomæ 1. parte quæst. 39. art. 4. ad tertium, ubi loquens de natura humana quæ multiplicatur, dicit: *Unitas, sive communitas naturæ humanæ, non est secundum rem, sed secundum rationem*. Et ibidem loquens de unitate naturæ Divinæ, quæ sine multiplicatione communicatur Personis, dicit: *Sed forma significata per hoc nomen Deus, scilicet essentia Divina, est una, & communis secundum rem*.

14. Eandem doctrinam habet noster Ægidius, ut patet ex dictis num. 12. Sed notandum, quod licet nomen *Persona* habeat communitatem *rationis*, quia multiplicantur Personæ Divinæ, at non est terminus universalis, quia non est perfecta multiplicatio. Multiplicantur enim Personæ quoad relationes, sed non quoad esse absolutum, quod est unum in omnibus. Vide dicta num. 6.

15. A ratione probatur distinctio utriusque termini. Terminus qui significat rem pluribus communicabilem cum unitate reali, differt essentialiter à termino, qui communicatur pluribus cum pluralitate reali: sed primum vocamus communem cum D. Thoma, & Ægidio; secundum cum eisdem dicimus universale: ergo terminus communis differt essentialiter ab universalis ex vi dati discriminis multiplicationis, & non multiplicationis. Probatur maj. Terminus qui significat rem unam realiter, etsi pluribus communicabilem, significat unum tantum; terminus autem, qui significat rem pluribus communem, & in eis multiplicatam, & realiter partitam significat plura divisim: sed juxta DD. quos impugnamus terminus significans unum tantum,



differt essentialiter à termino, qui significat plura divisim, ut patet ex dictis num. 1. ergo terminus &c.

16. Sit secunda conclusio. Terminus *Deus* non est universalis ex parte rei significatæ. nec ex parte modi significandi. Quoad primam partem est doctrina communis. Et suadetur ex dictis breviter. Terminus universalis ex parte rei significatæ est qui significat rem pluribus communem cum reali multiplicatione: sed *Deus* non est talis, quia significat Deitatem, quæ est una realiter in omnibus Divinis Personis, ut docet fides: ergo non est terminus *universalis* ex parte rei significatæ. Consequentia tenet, min. est de fide: & maj. constat ex dictis in tota hac quæstione.

Quoad secundam partem videtur conclusio contra auctores secundæ sententiæ. nam ipsi confundentes terminum communem cum universali, si dicunt esse communem ex modo significandi, idem dicent de termino universali. Probatur. Modus significandi hujus termini *Deus* non dicit multiplicationem Deitatis: sed ut sit terminus universalis ex modo significandi petit multiplicationem saltem ex modo significandi: ergo nec ex modo significandi est universalis. Pro-

bo maj. Modus significandi hujus nominis *Deus*, vel sequitur modum essendi, vel saltem modum nostrum concipiendi: at juxta modum essendi Deitatis non datur multiplicatio, ut docet fides; aliunde nec juxta nostrum modum concipiendi: ergo modus, &c. Probo hanc min. Dum Deum concipimus (etiam si inadæquate pro hoc statu viæ, imperfectè, & ad modum rerum materialium, aut per species rerum materialium) semper concipimus Deum ut unicum, & immultiplicabilem; & hoc nendum per fidem, sed etiam cognitione naturali, qualem habuerunt Philosophi unicæ & primæ omnium causæ: ergo nec juxta nostrum modum concipiendi datur multiplicatio Deitatis.

17. Sit tertia conclusio. Terminus *Deus* non est singularis prout singulare opponitur communi. Probatur ex dictis num. 8. Terminus hoc modo singularis, est *Qui significat unum tantum pluribus incommunicabile*: sed *Deus* significat Deitatem quæ licet sit una tantum, non tamen est pluribus incommunicabilis; communicatur enim tribus Personis: ergo *Deus* non est terminus singularis, prout singulare opponitur communi. Vide dicta num. 7. & 8. Et confirmatur

etur. Nullus terminus potest habere duas rationes termini sibi essentialiter oppositas: sed ratio termini communis, & singularis in sensu explicato, sunt essentialiter oppositæ penes communicabilitatem, & incommunicabilitatem rei significatæ per terminum: ergo cum *Deus* sit terminus communis, nequit esse terminus singularis prout singulare opponitur communi.

18. Sit quarta conclusio. Terminus *Deus* est singularis, prout singulare opponitur universali. Probatur ex dictis num. 9. Terminus hoc modo singularis, est *Qui significat unum tantum pluribus communicabile*: sed *Deus* significat Deitatem, quæ est una tantum, & pluribus communicabilis, scilicet Divinis Personis: ergo est terminus singularis, prout singulare opponitur universali. Et confirmatur. Nam quando divisio est adæquata, terminus qui non continetur sub uno membro, continetur sub alio: at divisio termini in universalem, & singularem ei oppositam, est adæquata, quia fit per privativè opposita, ut si diceres terminus qui multiplicatur, & qui non multiplicatur, quæ privativè opponuntur: ergo cum *Deus* non sit terminus universalis, restat quod sit sin-

gularis prout singularem opponitur *universali*.

19. Ex dictis breviter colliges, quod in creatis non datur aliquis terminus communis ex parte rei significatæ, sed solum in Divinis. Ratio est, quia solum in Divinis datur res, quæ sine reali multiplicatione pluribus communicatur: ergo cum hoc sit de essentia termini communis, ut distincti ab universali; solum in Divinis datur terminus hoc modo communis. Et confirmatur. Terminus hoc modo communis petit communitatem rei, hoc est, communitatem realem, quæ stat cum reali unitate rei communicatæ: at hæc solum datur in Divinis, ut vidimus ex D. Thoma, & nostro Ægidio num. 3. & 4. ergo solum in Divinis datur terminus propriè communis ex parte rei significatæ.

20. Colliges secundò, quod *Persona* in Divinis propriè nec est terminus communis, nec universalis. Non communis, quia multiplicatur in Trinitate, & communicatur cum multiplicatione. Non etiam est terminus universalis, quia de ratione hujus est ita multiplicari, ut nihil sit in uno, quod sit in alio. Videmus hoc in natura humana multiplicata in Petro, & Paulo; nihil est in Petro quod sit in Pau-



lo. At cum Persona Patris v.g. dicat Deitatem, & Pater- nitatem, & horum Deitas sit in alijs Personis; jam aliquid est in Filio, & Spiritu sancto, quod erat in Patre: ergo licet Personæ fiat plures, non tamen ita multiplicantur, ut erat necessarium ad rationem termini universalis. Ergo propriè non est terminus universalis. Vide dicta num. 6.

Hinc dicendum est, quòd terminus *Persona* in Divinis, est partim communis, & partim universalis. Nam dicit essentiam Divinam pluribus comunicabilem sine multiplicatione, & hac parte est communis. Dicit etiam relationem, quæ multiplicatur in Personis, & eis est communis cum multiplicatione, & hac parte est terminus universalis. Quod notans noster Ægidius, licet non sub his verbis, dixit in 1. Sententiarum distinct. 19. part. 2. quæst. 1. art. 1. ad 4. *Quòd in Divinis est aliquod communicabile, ut essentia, & aliquid incommunicabile, ut Persona; & quia universale habet rationem communicabilis, particulare incommunicabilis; est ibi aliquid ad similitudinem universalis, & aliquid ad similitudinem particularis.*



## §. III.

*Solvuntur argumenta contra primam conclusionem.*

21. **C**ONTRA primam conclusionem quæ præcipua est, argues primò. Si iste terminus *Deus* ex parte rei significatæ esset terminus communis, forma significata per illum aliquam in se haberet communitatem: sed *Deitas*, quæ significatur per terminum *Deus*, nullam in se habet communitatem: ergo non est terminus communis ex parte rei significatæ. Consequentia tenet, maj. est certa, & min. probatur. Cõmunitas juxta logicos est triplex, scilicet univocationis, æquivocationis, & analogiæ: sed nullam ex his habet *Deitas*: ergo. Probatur min. In primis communitas univocationis, solum reperitur in specie infima & specialissima, teste Philosopho 7. Physicorum commento 29. At in Divinis nec est genus, nec species, ut docet P. August. 7. de Trinitate cap. ultimo: ergo in in Deo non est communitas univocationis.

Aliunde de communitate æquivocationis patet. Nam æquivoca solum nomen habent

commune; ratio verò significata per nomen est omninò diversa, ut dictum est 1. parte nostræ Dialecticæ. At *Deitas* significata per nomen *Deus*, non est omninò diversa in Patre, Filio, & Spiritu sancto: immò est omninò eadem in omnibus: ergo *Deitas* non habet in illis communitatem æquivocationis.

Tandem de analogia patet. Quia ratio significata per nomen commune analogum, partim est eadem, & partim diversa. Rursus inæqualiter est in inferioribus. At *Deitas* æquè est in tribus Divinis Personis, & non est partim diversa in eis, sed eadem omninò: ergo non est communis communitate analogiæ. Hoc argumentum est nostri Ægidij in 1. Sententiarum distinct. 25. q. 1. art. 1. ubi illud sibi opponit contra conclusionem, quam ibi defendit de eo quòd *Persona* est quid commune in Divinis.

22. Ex ipso respondetur neg. min. ad probationem disting. maj. communitas juxta logicos est triplex, communitas in rebus creatis ubi non stat sine multiplicatione, & universalitate, concedo: communitas in Divinis, ubi stat sine multiplicatione, nego maj. & concessa min. neg. consequentiam. Et in isto argu-

mentum in distinctione Divinarum Personarum. Omnis enim distinctio realis juxta logicos, & metaphysicos, est specifica, vel numerica. At Divinæ Personæ non differunt specificè, cum habeant eandem essentiam; nec numericè, quia habent idem esse: ergo minimè distinguuntur? Mala consequentia. Distinguuntur quidem, sed non specificè; nec numericè. Quare logici tractantes de distinctionibus, & de communitatibus, attendunt entia creata: nec regulæ harum facultatum naturalium quidquam probant in Divinis.

Dicendum est ergo, quòd communitas Deitatis nec est univoca, nec æquivoca, nec analogica, sed est communitas rei, ut diximus §. antecedenti cum D. Thoma, & Ægidio. Hæc datur solum in Divinis; & assimilatur communitate, & communitate univoca creaturarum. Nam sicut Petrus, & Paulus habent convenientiam in natura humana, & sunt ejusdem essentiæ; ita tres Divinæ Personæ ejusdem essentiæ sunt. Ceterum dissimulantur: Quia Petrus, & Paulus non habent idem esse, nec aliqua entitas est in uno, quæ sit in alio, quare natura humana in eis multiplicatur. Non sic in Divinis; quia eadem natura

tura, & Deitas quæ est in Patre, est in Filio, & Spiritu sancto sine sui multiplicatione. sic dicitur de distinctione Personarum, quod non est numerica, nec specifica, sed assimilatur distinctioni numericæ. Nam sicut Petrus, & Paulus numero distinguuntur, habentes eandem essentiam: ita in Divinis Personæ. Ceterum dissimilatur, quia in Petro, & Paulo multiplicatur essentia, quæ non multiplicatur in Divinis Personis.

23. Argues 2. contra eandem conclusionem. Ille terminus *Deus* ex parte rei significatæ significat unum tantum: sed quod significat unum tantum, non est terminus communis: ergo non est terminus communis ex parte rei significatæ. Probatur min. Quod significat unum tantum, est terminus singularis; sed terminus singularis non est terminus communis: ergo.

Confirmatur 1. *Deus* habet ex parte rei significatæ aliquid quod opponitur communitati: ergo non est terminus communis ex parte rei significatæ. Probatur anteced. Ex parte rei significatæ hujus termini *Deus* habetur Deitas, quæ est una, & singularis: sed singularitas opponitur communitati: ergo terminus *Deus* habet, &c.

Confirmatur 2. Actus purissimus nequit præscindere ab aliquo prædicato sibi convenienti: sed *Deus* est actus purissimus, & ipsi convenit singularitas: ergo nequit ab ea præscindere. Min. cum consequentia tenet, & maj. est certa, quia si præscinderet à prædicato sibi convenienti, conciperetur ut in potentia ad illud, & sic non esset actus, cui repugnat esse in potentia ad aliud. Nunc sic. Sed terminus non præscindens à singularitate, est singularis, & non communis: ergo terminus *Deus*, &c.

Confirmatur 3. unitas est attributum speciale Dei, à quo nequit præscindere Deitas: ergo terminus *Deus* importat Deitatem, & unitatem ex parte rei significatæ: sed unitas opponitur communitati: ergo *Deus* ex parte rei significatæ dicit aliquod oppositum communitati, & consequenter non est terminus communis. Probatur min. subsumpta. Unitas diffinitur, *Indivisio in se, & divisio à quolibet alio*: sed quod est divisum à quolibet alio non est ei commune: ergo.

Confirmatur 4. Si possemus asserere terminum *Deus* esse terminum communem, possemus illi tribuere secundas intentiones generis, speciei, & universalitatis: sed istæ non possunt Deo attribui: ergo nec

ra

ratio communitatis. Probatur maj. Id quod obstat, ne Deo tribuamus tales intentiones, est unitas, & singularitas: at unitas, & singularitas per nos non obstant communitati: ergo juxta nostram doctrinam possemus, &c.

24. Hoc argumentum militat etiam contra secundam sententiam Thomistarum, & illud solvunt recurrendo ad præcisiones pro explicito, & ad aia satis difficilia incipientibus; nec alia in principiis eorum superest via evadendi hanc difficultatem. Nobis autem planior est ex dictis §. 1. cum D. Thoma, & Ægidio nostro. Quare uno verbo respondeamus, quod terminus *Deus* dicit ex parte rei unitatem, & singularitatem, à quibus nullo modo præscindit; & tamen nil contra nos, quia talia non obstant communitati, sed universalitati; immò si Deitas non est una, & singularis, *Deus* non esset terminus communis prout communi distinguitur ab universali.

In forma ad argumentum disting. maj. Ille terminus *Deus* &c. significat unum tantum, pluribus communicabile, concedo; pluribus incommunicabile, nego maj. & disting. minor. Quod significat unum tantum, non est terminus communis, quod significat unum

tantum pluribus communicabile, neg. min. unum pluribus incommunicabile concedo mihi, & nego consequentiam. Ad probationem min. disting. maj. Quod significat unum tantum est terminus singularis, unum tantum pluribus incommunicabile concedo maj. pluribus communicabile, subdist. est terminus singularis oppositus universali, concedo maj. oppositus termino communi; neg. maj. & disting. min. terminus singularis non est communis, terminus singularis oppositus communi, concedo; oppositus universali, nego min. & consequentiam.

Doctrina hujus distinctionis continetur supra num. 8. 9. & 10. Terminus iste *Deus* significat Deitatem quæ est una tantum, sed est pluribus communicabilis. Quod enim opponitur communi non est unitas, sed incommunicabilitas: quare cum duplicem assignaverimus terminum singularem, unum oppositum termino universali; alium oppositum termino communi, iste solus tollit communitatem, & diffinitur, *Qui significat unum tantum pluribus incommunicabile*. Hoc modo *Deus* non est terminus singularis, quia significat Deitatem quæ communis est pluribus: ergo ex quo alio modo sit terminus

X

fin.

singularis, non evincitur, quòd non sit terminus communis. Vide dicta loco citato.

24. Ad primam confirmationem nego antecedens. Ad probationem disting. maj. Deitas est una & singularis, singularitate & unitate incommunicabili, nego maj. immò nego suppositum, quia hæc non datur in Divinis. Singularitate communicabili, concedo maj. & disting. min. Singularitas opponitur communitati, singularitas communicabilis, neg. incommunicabilis concedo min. & neg. consequentiam: solutio est nostri Ægidij in 1. Sententiarum dist. 24. quæst. 2. art. 1. dubio 4. ubi negat quòd in Divinis sit singularitas absolutè, quia hæc dicit incommunicabilitatem: & licet Persona Divina videatur incommunicabilis vi relationis; at dicit essentiam, & Deitatem etiam, quæ communicabilis est. Quare strictè non est in Divinis singularitas.

Nos tamen in solutione distinguimus duplicem singularitatem (sicut supra num. 8. & 9. distinximus duplicem terminum singularem) unam, quæ est communicabilis pluribus, ut singularitas Deitatis. Et aliam quæ est incommunicabilis pluribus, ut singularitas cujuscumque entis creati. Pri:

ma non opponitur communitati, sed universalitati; quare Deitas facit sua singularitate, quòd terminus Deus non sit universalis, sed communis. Secunda opponitur communitati: at hæc non reperitur in Deitate: nec in Divinis Personis, ut dicit noster Ægidius: ad summum autem in relationibus solitariè, & præcissivè acceptis. Immò nec plenè sic. Quia cum relationes non habeat aliud esse quàm esse essentiae, & hoc sit communicabile; ideò Paternitas v. g. quoad suum esse, non est incommunicabilis. Sed de hoc satis.

25. Ad 2. confirmationem concessa maj. dist. min. quoad secundam partem. Et Deo convenit singularitas, singularitas communicabilis, concedo; incommunicabilis, neg. min. & sub eadem distinctione nego consequentiam, & disting. min. subsumptam. Sed terminus non præscindens à singularitate, est singularis; terminus non præscindens à singularitate incommunicabili, concedo; communicabili, subdistinguo. Est terminus singularis, oppositus universali, concedo, oppositus communi, nego min. & consequentiam. Vide dicta num. 23.

Ad 3. confirmationem disting. antecedens. Unitas est at:

attributum Dei, à quo nequit præscindere Deitas. Unitas communicabilis, concedo; incommunicabilis neg. antecedens & disting. consequens eodem modo. Ad minorem subsumptam disting. eam. Unitas opponitur communitati, unitas incommunicabilis concedo; communicabilis, nego minor. & consequentiam. Ad probationem min. concedo diffinitionem unitatis, concedo etiam min. & nego consequentiam. Deitas est una, & indivisa, quare nequit communicari eis, à quibus Deitas distinguitur. At non distinguitur à Divinis Personis quibus est communis: unde eis non est incommunicabilis, sed communis: & sic diffinitio unitatis, sicut non obstat reali communicationi Deitatis, non obest rationi termini *communis*.

Ad 4. confirmationem neg. maj. Ad ejus probationem distinguo maj. unitas, & singularitas communicabilis, concedo, incommunicabilis, nego maj. & distinguo min. unitas communicabilis concedo, incommunicabilis, nego min. & consequentiam. Solus terminus universalis est capax secundæ intentionis generis, & speciei: & cū singularitas naturæ Divinæ, quantumcumque communicabilis, excludat universalitatem quæ petit pluralitatem &

multiplicationem; ut dictum est supra: ideò singularitas communicabilis naturæ Divinæ obstat talibus secundis intentionibus. At non obstat communitati, cui solum opponitur incommunicabilitas, aut singularitas incommunicabilis, ut dictum est num. 8. 9. & 10

26. Tertio arguitur contra eandem conclusionem: ille est terminus communis ex parte rei significatæ, cui correspondent plura significata ex parte rei, de quibus possit prædicari: sed terminus *Deus* non est talis: ergo non est communis ex parte rei significatæ. Probatur min. Significatum hujus termini *Deus est Deus*: sed non dantur plures Dij, de quibus terminus *Deus* prædicetur: ergo. Confirmatur 1. Hoc nomen *Persona* potest esse terminus communis ex parte rei significatæ, quia ex parte rei in Divinis correspondent plura significata, scilicet tres Personæ Divinæ de quibus prædicatur terminus *Persona*: sed ex parte rei non dantur tres dij de quibus prædicetur nomen *Deus*: ergo *Deus* nequit esse terminus communis ex parte rei significatæ. Confirmatur 2. Iste terminus *Deus* non significat *plura divisa*: ergo non est communis ex parte rei significatæ. Patet consequentia, quia arguitur

à diffinitione ad diffinitum, & est bona consequentia.

27. Hoc argumentum confundit terminum communem, cum universali, & ideo nil probat contra nos, qui utrumque distinguimus. Ad illud nego maj. Nam terminus communis petit sine multiplicatione dicere rem pluribus communem: ergo non petit plura significata, sed unum, pluribus tamen commune; vel petit plura supposita habentia significatum termini. Hoc totum adest in termino Deus, significante Deitatem Trinitati communem; quare non significat tres Deos de quibus possit prædicari; hoc enim modo foret terminus *universalis*. Significat autem tres Personas habentes eandem Deitatem, ipsis communem sine multiplicatione; & hoc modo est terminus communis.

Ad primam confirmationem nego antecedens. Nam, ut diximus num. 20. Nomen *Persona* non est propriè terminus communis, immò nec universalis, sed quid simile utriusque. Quare ex eo quod non dentur tres dii, sicut dantur tres Personæ Divinæ potius sequitur oppositum, scilicet quod *Deus* sit terminus propriè communis, secus *Persona*. Ad secundam confirmationem concessio antecedenti, nego conse-

quentiam quæ non sequitur; nam diffinitio illa termini communis, confundit ipsam cum universali, & ideo illam rejicimus toto §. 1.

§. IV.

*Solvuntur argumenta contra alias conclusiones.*

28. **C**ONTRA secundam conclusionem argues. Ut *Deus* sit *universalis* ex modo significandi sufficit, quòd ex modo significandi concipiatur sine singularitate: at ita concipimus audito nomine *Deus*: ergo est universalis ex modo significandi. Probatur min. 1. Quia aliter ex modo significandi concipimus Deum dum dicitur *Deus*, ac dum dicitur *Hic Deus*: sed dum dicitur *Hic Deus*, tunc ex modo significandi explicatur singularitas per pronomen *hic*: ergo dum absolute dicitur *Deus* concipimus ipsum ex modo significandi sine singularitate. Secundò. Dato quòd possimus Deum concipere sine singularitate; sanè non aliter hoc modo posset explicari, nisi dicendo *Deus*: ergo quia *ly Deus* ex modo significandi non explicat singularitatem, nec etiam sic concipimus, Con

Confirmatur. Licet albedo sit accidens, & ex parte rei significatæ petat inhaerere subjecto; at ex modo significandi dum dicitur *albedo*, abtrahit à subjecto, & significatur per modum substantiæ: ergo licet terminus *Deus* ex parte rei significatæ habeat singularitatem, ex modo tamen significandi non explicat illam, sed præscindit; & consequenter erit ex modo significandi terminus universalis.

Confirmatur 2. Licet *Sol* sit unus, & non dentur plures soles, tamen vox *Sol* est terminus communis, & universalis ex modo significandi: ergo licet non dentur plures dii, sed unus, erit saltem ex modo significandi terminus universalis.

Confirmatur 3. Hæc vox *Deus* ex modo significandi est communis ad verum Deum, & falsos Gentilium deos: ergo licet ex parte rei significatæ non sit communis, & universalis, erit saltem ex modo significandi.

4. Psalmo 8. dicitur, *Ego dixi dii estis, & filij excelsi omnes*. Quo testimonio Christus Dominus obturavit ora calumniantium Phariseorum: ergo licet ex parte rei significatæ non sit universalis terminus *Deus*, erit ex modo significandi, cum non deter-

miat singularem verum Deum & possit supponere pro alijs participativè talibus.

Tandem. Eo modo *ly Deus* significat Deum, quo illum concipimus: at Deum concipimus sine singularitate saltem pro explicito: ergo hoc modo *Deus* significat, & consequenter erit universalis ex modo significandi. Probatur min. Deum pro hoc statu concipimus ad modum rerum materialium, & per species rerum materialium; sicuti Angelum spiritualem, & incorporeum concipimus ad modum juvenis alati &c. quia non possumus illum ut est in se concipere: at species rerum materialium repræsentat nobis res & objecta sine sua singularitate: ergo Deum &c.

30. Responderi potest 1. ad totum argumentum, quòd non sufficit ad rationem termini universalis, adhuc ex modo significandi quòd tali modo concipiatur sine singularitate; quia universalitas plus dicit quàm carentiam singularitatis; dicit enim multiplicationem, nam terminus universalis est qui significat rem pluribus communicabilem cum multiplicatione, ut latè probatum est §. 1. ergo si in argumento non probatur nobis, quòd terminus *Deus* dicit multiplicationem ex parte modi sig-

significandi, nil nobis probatur ut sit terminus universalis. Et confirmatur. Nam ut esset terminus universalis ex parte rei significatæ, oportebat quòd ex parte rei significaret realē multiplicationem rei communicabilis pluribus: ergo ut sit universalis ex modo significandi debet ex tali modo dicere rem communem pluribus cum multiplicatione: at hoc non suadet argumentum factum: ergo dato quòd ex modo significandi præscindat à singularitate, non probatur intentum.

Dices. Idem est concipere terminum sine singularitate, ac concipere cum multiplicatione: ergo si argumentū probat primum, convincit etiam secundum. Respondeo negando antecedens. Nam nō est idem concipere Deū præscindendo à justitia, ac concipere Deum injustum; nam in 1. non est falsitas, quia ut dicitur *Abstrahentium non est mendacium*: at in 2. est falsitas hæreticalis. Ergo non est idem concipere Deum sine singularitate, ac concipere cū multiplicatione. Et ratio utriusque est, quia in præcissione nihil tollimus nec ponimus in Deo quod ei repugnet: at attribuendo ei injustitiam, vel multiplicationem, concipimus eum cum prædicato sibi repugnanti.

31. Respondeo 2. negando quòd adhuc ex modo significandi concipiatur terminus *Deus* sine singularitate. Quare ad argumentum in forma neg. maj. Ad 1. ejus probationem nego antecedens. Non aliter significatur Deitas dicendo *Deus*, ac dicendo *Hic Deus*. Ratio est, nam pronomen *hic* demonstrativum solum determinat quando cadit supra terminum indifferentem ad plura. Sic quia *homo* est indiffens ad plures homines, dicitur *hic homo*, & ibi explicatur singularitas, quam non dicit homo. Ceterum quando terminus non est indifferens ad plura significata tunc pronomen *hic* nihil facit, sed superfluit. Sic perinde est dicere *sol*, ac dicere *hic sol*, quia vox *sol* non habet nisi unicum significatum. Cū ergo vox *Deus* non sit indifferens ad plures deos, sed determinatè unicum significet, non habet quid determinet pronomen *hic*.

Ad 2. probationem min. retorqueo illam. Dato quòd non possimus concipere Deum sine singularitate, non potest *Deus* hoc modo cum singularitate cognitus aliter explicari, quàm dicendo *Deus*: ergo quia de facto *Deus* dicit singularitatem, adhuc ex modo significandi. Ecce probatio ar-

gu

gumenti: ceterum nec illa, nec ista quid valent; quia voces explicant rem modo quo concipitur: unde si concipitur cū singularitate, vel sine illa, hoc modo explicabitur. In forma admissio antecedenti, & nego consequentiam, quia ideò nunc *Deus* adhuc ex modo significandi dicit singularitatem, quia non possumus ipsum concipere sine illa.

31. Ad 1. confirmationem concesso antecedenti nego consequentiam. Disparitas est, quòd albedo nec ad sui essentiam, nec ad sui existentiam, petit subjectum cui inhæreat. Patet in accidentibus eucharisticis, ubi vera albedo existit sine subjecto. At *Deus* nequit existere sine singularitate: immò nec ullo modo concipi, cū sit de ejus essentia.

Ad 2. concesso antecedenti, nego consequentiam. Disparitas sumitur ex D. Thoma ubi supra in 1. distinct. 19. art. 2. ad secundum ubi expressè dicit quòd *Sol* est terminus & natura universalis, & rationem assignat, quia ejus natura non obstat multiplicationi; quare possibiles sunt plures soles. At non sunt possibiles plures *dij*, cū *Deus* repugnet multiplicationi: ergo licet terminus *Sol* sit universalis ex modo significandi, immò adhuc nega-

tivè ex parte rei significatæ; secus terminus *Deus*.

32. Ad 3. nego antecedens. Apud Gentiles enim terminus *Deus* fuit communis & universalis ex parte rei significatæ, quia non cognoverunt benè significatum hujus termini. Significavit enim apud ipsos herocitatem in aliquo genere; & sic omnes eminentes vocarunt deos. Apud nos enim dicit Deitatem unicam & indivisibilem, & sic non est vox communis ad falsos deos. Considera vocem *Deus*, sicut istam *suprema causa*: sane ista vox complexa nec est communis ad alias causas secundas nec ad causas fictas: ergo nec ista *Deus* est communis ad fictos deos, & ad deos per participationem.

Ex quo ad quartam dico quòd in illo Psalmo vox *Deus* alienatur ut significet imagines Dei, vel tales per gratiam, ut justos; vel tales per regiam, aut infra regiam potestatem. Isti dicuntur *dij*, sed pro eis vox *Deus* non sumitur in suo significato, sed alienatur, veluti alienatur vox *leo* dum appropriatur Christo Leoni Juda vincenti. In stricta ergo significatione vocis *Deus*, necessariò ex modo significandi dicit singularitatem, & unitatem.

33. Ad ultimam confir-

fir-

firmationem concedo maj. & nego min. Ad probationem disting. maj. Pro hoc statu concipimus Deum ad modum rerum materialium, & ut rem materialem, nego, & ut immaterialem, concedo maj. & concessa min. nego consequentiam. Ob duplicem rationem concipimus res materiales sine singularitate, & per species, quæ præscindunt à singularitate. 1. quia singularitas non est de essentia rerum materialium. 2. quia species rerum materialium debent uni intellectui nostro spirituali, & cum species sint materiales, denudantur à materialitate, & conditionibus materialibus, iacter quas est singularitas, & individuatio rei materialis. Nulla ex his rationibus probat in Deo; non 1. quia singularitas est de ejus essentia. Non 2. quia singularitas Dei est æquæ spiritualis ac Deus, & sic non pugnat cum spiritualitate nostri intellectus. Ergo licet noster intellectus cognoscat res materiales per speciem præscindentem ab earum singularitate, non sic Deum.

Sed quæres: per quam speciem cognoscimus Deum ut singularem, si omnis species nostra est rerum materialium, & præscindit à singularitate? Respondeo quod tu, & omnes tenemur id ostendere, quia

omnes cognoscimus singularitatem Dei per speciem quidam rerum materialium. Præterea: Ipsas res materiales cognoscimus etiam quoad singularitatem; quis enim neget me cognoscere meam, aut tuam singularitatem? Ergo per aliquam speciem. Per hanc etiam cognoscere potero singularitatem Dei causantem meam naturam.

Conditiones materiales individuantes, & singularizantes speciem rei materialis, dum ab intellectu agente denudantur, manent in phantasia; & vocantur phantasmata. Ad hæc convertitur intellectus cum specie sibi unita, ut cognoscat singularitatem rei materialis. Sed quia nec est hujus loci hoc dilucidare, nec oportet tyronibus rem adeò obstrusam proponere: eis sufficiat scire, quod etiam per species rerum materialium cognoscitur earum singularitas: quare per eandem cognoscitur singularitas Dei.

34. Argues contra tertiam conclusionem. Ideò per nos terminus *Deus* nequit esse simul communis, & singularis prout singulare opponitur communi, quia nullus terminus potest habere rationes essentialiter oppositas: sed hæc ratio est falsa: ergo tertia conclusio non est vera. Probatur minor. Sicut terminus communis, &

singularis communi oppositus habent rationes oppositas penes communicabilitatem & incommunicabilitatem; ita terminus communis & universalis habet rationes oppositas pens multiplicationem, & non multiplicationem: & tamē vox *Persona* in Divinis potest simul esse terminus communis, & universalis juxta dicta num. 20. ergo terminus *Deus* poterit esse simul communis, & singularis ei oppositus.

Resp. concessa maj. nego min. ad probationem concedo maj. & nego min. Non enim diximus quod nomē *Persona* sit propriè

commune, nec propriè universale; sed partim utrumque. Nec inde valet consequentia ad terminum *Deus*, ut sit etiam partim utrumque. Ratio est quod *Persona* id habet, quia dicit duo scilicet essentiam, & relationem, quorum primum non multiplicatur, & multiplicatur secundum. At *Deus* dicit solum Deitatem, quæ non habet simul communicari, & non communicari, quare nequit ei simul convenire communicabilitas termini communis; & incommunicabilitas termini singularis ei oppositi.

## QUÆSTIO TERTIA.

[An definitio signi tradita à P. Augustino conveniat omni signo]

### §. I.

Quadam notantur, & ratio dubitandi proponitur.

1. **P**ARENS Augustinus lib. 2. de doctrina Christiana cap. 1. dedit duas definitiones signi, quas 1. parte explicavimus, videlicet, *Quod se ipsum sensui, & præter se aliquid aliud animo ostendit.* Vel signum est, *Res, quæ præter species quas ingerit sensibus, aliud ex se facit in cognitionem venire.* Utraque definitio in idem redit. Et se-

cūda est major explicatio primæ, in eis optimè explicantur signa sensibilia, ut fumus relatè ad ignem, cujus est signum, in vocibus patet etiam relatè ad sua significata; & generaliter de omni signo sensibili verum est, illud prius immittere suam speciem sensui nostro, & ducere nostrum intellectum

in cognitionem objecti distincti. Quare nullus dubitavit de resilitudine diffinitionis hujus relatè ad signa sensibilia, & materialia, quæ per sensus nostros externos percipiuntur.

2. Dubitatio est relatè ad signum in communi, an scilicet dicta diffinitio conveniat omni signo, ita ut nullum sit signum particulare, cui non conveniat diffinitio Augustiniana? Ratio dubitandi est, quia Angeli etiam utuntur signis, maximè dum loquuntur ad invicem, & suos mutuo manifestant conceptus; quare sicut nos homines confabulamur, & vocibus externis manifestamus secreta interna, ita illi signis quibusdam ea invicem manifestant. At signa illa Angelica, non sunt materialia, sensibilia, aut quæ materialibus sensibus percipiuntur cum Angeli sint adæquatè spirituales, & eorum locutio spiritualis sit: ergo diffinitio Augustiniana non comprehendit signa Angelica, sed humana, & consequenter non convenit omni signo.

3. Confirmatur hæc ratio dubitandi ex nostro Egidio quæst. 12. de cognitione Angelorum, ubi inquit, *An Angeli loquantur, & qualiter?* Et cum doceat Angelos loqui, sic arguit contra se in argumento 8. *Si unus Ange-*

*lus loqueretur alij, hoc esset per aliquod signum: sed Magister in 4. Sententiarum diffinit. 1. Diffiniens signum ait: Quòd signum est quod præter sensibilem speciem aliquid aliud ingerit: non ergo est sine sensibili specie. Sed sensibiles species non sunt in Angelo: ergo &c.* Et respondet sic: *Ad 8. dicendum quòd signum quod diffinit Magister in 4. Sententiarum non est signum univèrsaliter sumptum, sed est solum signum sensibile. Angeli autem, ut patet per habita, possunt loqui utroque modo, videlicet per signa sensibilia, & per intelligibilia.*

Ecce duo: primum est quòd teste Egidio illa diffinitio Magistri Sententiarum non est signi univèrsaliter sumpti, sed solum signi sensibilibus: at diffinitio Magistri est eadem, ac Parentis nostri, & ab eo desumpta: ergo diffinitio Augustiniana non est signi in communi, nec convenit omni signo. Secundum est, quòd Egidius ibi astruit in Angelis signa intelligibilia, & spiritualia: ergo ultra signa materialia sensibus percepta, datur signum spirituale, & intelligibile: at huic non convenit diffinitio nostra; cum hoc signum non percipiatur per sensus, sed per intellectum: ergo nostra diffinitio non convenit omni signo

no: quare de signis Angelicis non erit nostra diffinitio, sed de solis humanis.

4. Immo nec de his. Quia homines non solum utuntur signis externis & sensibilibus, sed etiam internis & spiritualibus: at illis non convenit diffinitio nostra, ut patet: ergo nec convenit omni signo humano. Probatur maj. Nam verbum mentis, in quo noster intellectus cognoscit objectum, est verè signum, non minus, quam verbum exterius voce prolatum: at verbum internum mentis est signum spirituale, quod non sensibus, sed solo intellectu percipitur: ergo &c. major præterquam quod recepta est inter Philosophos constat ex D. Thoma quæst. 4. de veritate art. 1. ad septimū ubi ait, *Ratio signi proprius dicitur de verbo mentis, quam de verbo vocali.* At verbum vocale apud omnes est propriè signum rei, significatæ per vocem: ergo & verbum mentis, immò proprius, & potiori jure, ut ait D. Thomas erit signum.

Et confirmatur. Nam juxta communem Philosophorum sententiam signum in communi dividitur in signum formale, & instrumentale: at signum formale est signum spirituale, cui non convenit diffinitio nostra quæ est solum signi mate-

rialis, & sensibilis: ergo non convenit omni signo. Major cum consequentia tenet, & minor est certa, quia signum formale juxta Philosophos est quòd *se ipso representat objectum, & non mediante alio*, sicut species expressa. At species expressa est intra intellectum, & sic est quid spirituale: ergo signum formale est quid spirituale.

5. Confirmatur. 2. Na Character, qui per Baptismum, confirmationem, & ordinem imprimitur, diffinitur, *Signum indelebile impressum in anima*: at character ille est purè spiritualis, cum in anima spirituali nihil possit imprimi; quod spirituale non sit: ergo dantur adhuc respectu nostri signa spiritualia, quibus nostra non convenit diffinitio.

Tertiò, cum Sacramentum diffiniatur *Signum rei sacræ sanctificantis nos*, contritio, quæ est pars, & materia proxima Sacramenti poenitentiae, signum propriè erit: at contritio non est quid materiale, sed spirituale, nam est internus actus nostræ voluntatis qua detestamur peccatum, & dolemus de ipso: ergo jam respectu nostri dantur signa spiritualia.

Tandem. Dum diffinitur Sacramentum dicitur: *Signum sensibile rei sacræ sanctificantis nos*:



unde non dicitur unice *signum*, sed additur à Magistro, & Theologis in 4. Sententiarum *ly sensibile* de mente P. Augustini. At si nullam esset signum nisi sensibile, superflueret in diffinitione illud additum, ut patet: ergo dum additur, denotatur, alia esse signa spiritualia ultra signum sensibile: at eis non convenit diffinitio nostra: ergo relatè ad omne signum bona non est: nec est signi in communi, sed signi particularis.

6. Propter hæc Authores, & DD. Moderni aliter diffiniunt signum in communi, sic: Est *Objectum quod potentia cognoscitiva aliquid aliud à se repræsentat*. Quæ diffinitio videtur desumpta ex D. Thoma 3. p. quæst. 60 art. 4. in corpore, ubi ait: *Signum autem est per quod aliquis devenit in cognitionem alterius*. Hæc diffinitio cum nullum ad sensus dicat ordinem, convenit omni signo Angelico, & humano, spirituali, & materiali, formali, & instrumentali. Quare sic debet diffiniri, non autem diffinitione Augustiniana.

Tandem videtur idem dicendum de mente Aristotelis. Nam lib. Priorum 1. docet quòd omnis effectus est signum suæ causæ: sed sicut sunt quidam effectus sensibiles; ita

etiam sunt quidam effectus intelligibiles, ut scientia quæ est effectus demonstrationis: ergo scientia, quæ est signum juxta Philosophum, non est signum sensibile, sed spirituale: at ei non convenit nostra diffinitio: ergo de mente Philosophi nostra diffinitio bona non est &c.

7. Per oppositum videtur, quòd diffinitio nostra bona sit; vel eo solùm quòd tradita à Parente Augustino, ultra quia expressè defenditur à Magistro Sententiarum in 4. distinct. 1. Et inde colligit Sacramentum debere esse quid sensibile, quia est signum proprium rei sacræ; quæ illatio non esset bona, si posset dari signum non sensibile, cui diffinitio Augustiniana non conveniret. Eandem sententiam sequitur D. Thomas, tum ibi, tum in summa 3. p. q. 60. art. 2. & 4. quibus adhærent Suarez, Bellarminus, & alij citati à Gonetto tom. 5. suæ Theologiæ disp. 1. de essentia Sacramenti art. 4.

Pergratum Augustinianis juvenibus futurum speramus, si dilucidè demonstremus diffinitionem Augustinianam optimam esse; omnique signo verè, & propriè tali convenire; & immeritò ab ea recedere eos præcipuè quorum doctrinam Angelici Magistri in

corde est, ut Thomistico glorientur nomine. Ex nostris RR. Magister Villanova nostram, etsi breviter, defendit sententiam lib. 1. Dialecticæ disp. 1. dub. 1. cap. 1.

## §. II.

*Varijs conclusionibus ostenditur rectam esse diffinitionem signi Augustinianam.*

VIDIMUS §. præcedenti fundamenta, quibus impetitur diffinitio Augustiniana; & licet manifestam pro eis habeamus solutionem, ratione, & autoritatibus D. Thomæ firmatam, quod sufficere videbatur pro tuenda P. nostri diffinitione; at efficacius propugnabimus, si directè probemus oppositum ejus, quod fundamenta illa conantur suadere. Ad duo capita reducuntur; primum est de signis Angelicis: secundum est de signis humanis spiritualibus, quibus diffinitio nostra non convenit. Contra utrumque duas proponemus conclusiones, unam contra signa Angelica, alteram contra humana spiritualia; fiet que consequens necessarium omnia signa debere esse sensibilia, ut docet P. N. in sua diffinitione. Pro qua sit.

8. Prima conclusio. In Angelis nulla dantur signa propria, sed translativè, & improprie: quare signa Angelica proprie non sunt. Probatur. Signa quæ dicuntur Angelica, ea sunt quibus Angeli loquuntur ad invicem, sicut nos verbis externis, & sensibilibus loquimur. At ea signa non sunt proprie signa: sed improprie, & translativè, nomine *signum* trāsumpto ex signis materialibus: ergo signa Angelica non sunt proprie signa, sed trāsumptivè. Probatur min. Primò ex D. Thoma in 4. Sententiarum distinct. 1. quæst. 1. art. 1. quæstioncula 3. ubi arguens contra nostram diffinitionem signi, dicit sic in 3. argumento: *Omnis locutio fit per aliqua signa: sed Angeli loquuntur non prolato aliquo sensibili sermone, ut in 2. lib. dist. 2. dictum est: ergo non omne signum est sensibile*. Cui argumento sic respondet: *Ad 3. dicendum similiter de locutione Angelorum, quòd fit per ea quæ sunt notiora simpliciter: unde non possunt proprie dici signa, sed transumptivè.*

Ecce duo habemus ex D. Thoma: Primum est quòd præcipuum fundamentum sententiæ contrariæ, vi cujus recessit à diffinitione Augustiniana, tactam est à Doctore Angelico; nec talis ponderis

id iudicavit, ut à diffinitione  
ta. i recederet. Secundum est,  
quòd signa Angelica, quæ spi-  
ritualia sunt, non cadunt sub  
diffinitione Augustiniana: at  
hoc ideo quia talia signa pro-  
priè non sunt signa, sed *tran-*  
*sumptivè*; sicut ritus prati non  
est propriè ritus, sed *transla-*  
*tivè*, nomine scilicet translato  
de ritu hominis ad expressan-  
dam hilaritatem, aut viridem  
prati ornatum.

9. 2. Probatur idem.  
Ex Angelico Magist. 3. parte  
quæst. 60. art. 2. in corpore u-  
bi ait; *Dicendum quòd signa*  
*propriè dantur hominibus,*  
*quorum est per nota ad ignota*  
*pervenire.* Ecce qui dixerat  
signa Angelica non esse propriè  
signa, dicit signa humana esse  
propriè signa; ergo quia tam  
in libris Sententiarum de mē-  
te Magistri, quam in summa  
Theologiæ ex mente propria,  
docet D. Thomas ubique si-  
bi, & veritati constans, quòd  
signa Angelica non sunt pro-  
priè signa, sed impropriè, &  
per translationem, aut *tran-*  
*sumptivè*, ut dicit Sanctus Do-  
ctor,

Utriusque rationem de-  
dit locis citatis. Signa Angeli-  
ca non sunt propria, quia An-  
gelorum cognitio *Fit per ea*  
*quæ sunt notiora simpliciter.* E-  
contra signa humana sunt pro-  
priè signa, quia *Proprium est*

*homini per nota ad ignota per-*  
*venire.* Sensus est, quòd An-  
gelorum cognitio procedit ex  
objectis spiritualibus, & inde  
descendit ad materialia obje-  
cta. Nostra autem cognitio è  
contra, incipit à materialibus,  
& sensibilibus, ut ascendat ad  
spiritualia cognoscenda. Spiri-  
tualia objecta sunt simpliciter  
notiora, quia minus habent de  
materialitate, quæ impedit cog-  
nitionem. Objecta autem ma-  
terialia sunt secundum se mi-  
nus nota, sed quoad nos sunt  
notiora, quia cum simus cor-  
porèi, nostra cognitio incipit  
à sensu, ut docet Philosophus;  
& ideo spiritualia sunt nobis  
ignota, & ut ad ea pervenia-  
mus, incipimus ab objectis ma-  
terialibus, quæ nobis nota  
sunt.

10. Ecce verba D. Tho-  
mæ in eodem 4. Sententiarum  
distinct. 1. quæst. 1. art. 1. quæ-  
siuncula 2. *Ad secundam quæ-*  
*sitionem dicendum, quòd sicut*  
*dictum est, signum importat*  
*aliquod notum quoad nos, quo*  
*manuducimur in alterius co-*  
*gnitionem. Res autem primò*  
*notæ nobis, sunt res cadentes*  
*sub sensu, à quo omnis cognitio*  
*nostra ortum habet: & ideo*  
*signum quantum ad primam*  
*sui institutionem signat ali-*  
*quam rem sensibilem prout per*  
*eam manuducimur in cognitio-*  
*nem alicujus occulti &c.* Ecce  
fig-

signum est aliquid notum, du-  
cens in cognitionem occulti.  
Ecce etiam quòd signum non  
est aliquid simpliciter & ab-  
solutè notum, sed quoad nos:  
nam res sensibiles sunt res ma-  
teriales, quæ simpliciter sunt  
ignotæ; at nobis sunt notæ,  
quia nostra cognitio incipit à  
sensibus, quibus magis propor-  
tionamur res sensibiles, quàm  
spirituales. E contra evenit in  
Angelis ob suam spiritualita-  
tem. Ex his ratio nostra for-  
matur sic.

11. Signum propriè ta-  
le est manuductivum intelle-  
ctus in cognitionem alicujus  
occulti: sed Angeli non pos-  
sunt propriè duci in cognitio-  
nem alicujus occulti: ergo  
Angeli non habent signa pro-  
pria, sed impropriæ, & tran-  
sumptivè talia. Probo minor.  
Res quæcumque cognoscibili-  
lis, vel est materialis, vel est  
spiritualis: at nulla est Angelis  
taliter occulta, ut egeant du-  
ctu proprio: ergo. Probo min.  
1. de materialibus. Res mate-  
riales sunt inferiores ad naturā  
spiritualem Angelorum: sed  
Angeli in sua natura spirituali  
nihil habent occultum; eum  
se plenè, & clarè cognoscant:  
ergo multò minus est eis ali-  
quid occultum in rebus mate-  
rialibus. De spiritualibus sic.  
Objecta spiritualia sunt notio-  
ra simpliciter, quàm materia-

lia, licèt non relatè ad homi-  
nes, absolutè, & relatè ad An-  
gelos, ut dictum est num. 8  
& 9. sed natura, cui nihil est  
occultum in objectis minus no-  
tis, nil habere potest occultū  
in objectis simpliciter ei no-  
tioribus: ergo Angeli non  
possunt propriè duci in cog-  
nitionem alicujus occulti.

12. Dices. Angeli in-  
feriores illuminantur à superio-  
ribus; & isti ab alijs, usque  
ad supremum, qui illuminatur  
à Deo: at illuminatio fit de  
objecto occulto: ergo falsum  
est quòd Angeli non possint  
manuduci in cognitionem ali-  
cujus occulti. 2. Secreta inter-  
na unius Angeli non cognos-  
cuntur ab alijs, nisi ipse reve-  
let eis per suam locutionem:  
ergo signa illa, quibus loqui-  
tur, revelans suum secretum,  
jam ducunt alios in cognitio-  
nem alicujus occulti, & con-  
sequenter sunt propriè signa.

Ad primum dicimus An-  
gelos illuminari à superioribus,  
aliter, ac discipuli à suis Magi-  
stris. Isti illuminantur de obje-  
cto ipsis penitus occulto, cu-  
jus nullam habent speciem,  
nec ad ejus cognitionem pos-  
sunt pervenire, nisi Magister  
sua doctrina generet in disci-  
pulis speciem objecti, & eo-  
rum confortet lumen intelle-  
ctuale. Angeli non sic, quia  
non accipiunt species à rebus,  
sed

sed habent à Creatore infusas. Quare nullam objectam materiale, aut spirituale, est eis occultam defectu speciei, & in hoc sensu procedit ratio probativa ex D. Thoma à nobis formata. At quoniam lumen intellectuale non est æquale in omnibus, ideò eget confortari à superioribus; & confortatur modo quo carbo minus ignitus, ex unione ad carbonem magis ignitum, confortatur. Quare Angelus non illuminatur de objecto simpliciter occulto, sed de simpliciter noto, occulto tamen secundum quid defectu luminis. Nec fit illuminatio hæc per signum ducens in cognitionem occulti, sed per confortationem luminis modo explicato. De quo ad Theologos recurre, nec metas Dialecticæ transgrediamur.

13. Ex his ad 2. Qui homini revelat secretum, per verba & signa generat in audiente speciem secreti revelati, quod ei erat penitus occultum: quare verba illa sunt propriè signa. In Angelis non sic: quia cum habeant species omnium objectorum, nihil est eis plenè occultum. Decrevit autem Deus, quòd nullus Angelus cognoscat secretum alterius, etiam si habeat speciem, nisi ille velit cujus est secretum, illud alijs manifestare.

Sed quomodo manifestat? Alii dicunt, quòd volendo intelligi quin aliquid in audiente producat. Alii dicunt, quòd manifestat dirigendo ad audientem suam cognitionem. Alii, quòd loquendo verbis, non quidem sensibilibus, sed spiritualibus. De hoc Theologi agentes de locutione Angelorum. Quidquid sit, sola ultima sententia nobis obest, quæ est nostri Agidij. Ceterum verba illa spiritualia signa non sunt propriè, ut vidisti ex D. Thoma in 1. autoritate. Et iterum in secunda conclusione probabimus. Quibus adde, signa illa non ducere in cognitionem occulti, sed vel permittere alios Angelos uti suis speciebus in ordine ad illud secretum; vel determinare species Angelorum, ut repræsentent actu secretum illud, quod antea non repræsentabant.

Sit nobis venialis aliqua digressio; inviti posuimus hanc conclusionem. Nec semel posita licet relinquere inexploratam. Scito quòd Deus creando Gabrielem v.g. ei indidit speciem impressam totius naturæ humanæ, qua cognosceret omnes homines. Tamen hæc species non repræsentat nisi existentes, unde de facto non repræsentat Antichristum, nec à Gabriele cognoscitur per illam. At semel posito An-

ti.

tichristo in re, incipit illa species Gabrielis repræsentare illum, & Gabriel illum cognoscit. Sic Gabriel habet speciem secretorum Michaëlis, sed nec cognoscit illa usque dum Michaël ponat verbum illud spirituale quo loquitur secretum. Sicut ergo existentia antichristi non est signum ducens Gabrielem in cognitionem alicujus occulti, sed est conditio requisita, ut species Gabrielis illum repræsentet: ita verbum spirituale Michaëlis, quo loquitur sua secreta.

14. Secunda conclusio: Signa spiritualia humana, non sunt propriè signa, sed vel trāsumptivè, vel denominativè, quatenus conjunguntur signis sensibilibus. Probat. 1. autoritate D. Thomæ citata num. 10. ex qua sic. *Signum importat aliquod notum quoad nos, quo manuducimur in alterius cognitionem: sed nihil spirituale est notum quoad nos: ergo nihil spirituale est signum propriè humanum.* Conclusio tenet, maj. est D. Thomæ ubi supra & min. probatur, ex eodem D. Thoma ibidem dicente: *Res autem primò nota nobis, sunt res cadentes sub sensu, à quo omnis nostra cognitio ortum habet.* Sed res spirituales non cadunt sub sensu, ut patet: ergo nihil spirituale est notum quoad nos.

Confirmatur. Res quæ cognoscitur per signum, cognoscitur per cognitionem, quæ incipit à signo: at nulla nostra cognitio potest incipere ab aliquo spirituali: ergo nullum est signum spirituale à quo incipiat cognitio humana. Minor probatur. Omnis cognitio nostra incipit à sensu, teste Philosopho: at nullum spirituale cadit sub sensu, nec est sensu perceptibile: ergo.

15. Confirmatur 2. ex D. Thoma in 4. distinct. 1. q. 1. art. 1. quæstionc. 3. qui arguens contra definitionem Sacramenti, dicit: *Character baptismalis est Sacramentum, & res, ut infra dicitur, & similiter corpus Christi verum existens in altari: sed neutrum horum est visibile: ergo definitio non est bene data.* Respondet: *Ad 3. dicendum, quòd character baptismalis, & corpus Christi verum, non dicuntur Sacramenta, nisi secundum quòd conjunguntur signis sensibilibus.* Ecce character non est Sacramentum, nec signum nisi ex conjunctione ad signa sensibilia: sed character est quid spirituale, impressum in anima: ergo ex D. Thoma signa spiritualia humana non sunt signa, nisi ad summum denominativè quatenus conjunguntur signis sensibilibus.

Confirmatur. 3. Id quod

Z

ex

ex se non potest ducere in cognitionem alterius, non potest esse ex se signum: sed res spiritualis nequit ex se ducere in cognitionem alterius: ergo res spiritualis nequit esse signum humanum ex se. Probatur min. ex D. Thoma 3. parte quæst. 60. art. 4. ad primum ducente: *Effectus autem intelligibiles non habent, quod possint ducere in cognitionem alterius, nisi in quantum sunt per aliud manifestati, id est per aliqua sensibilia, & per huc etiam modum quædam que non sunt sensibilia, dicuntur quodam modo sacramenta, in quantum sunt significata per aliqua sensibilia.* Ecce res intelligibiles nequeunt ex se ducere in cognitionem alterius, nisi ut conjuncta cum signis sensibilibus. Ecce signa non sensibilia, id est spiritualia, dicuntur non absolute signa, & sacramenta, sed quodam modo, hoc est aliqualiter, & non ratione sui, sed ratione signi sensibilis, à quo manifestatur. Sed quid immoramur? Res est expressissima in D. Thoma.

16. Secundò probatur à ratione conclusio nostra. Unum simile non est potens esse signum alterius perfectè simile: sed signum spirituale, quod ponitur à contrarijs, est perfectè simile objecto representato: ergo signum spiritua-

le nequit esse propriè signum. Maj. patet, primò, quia de ratione signi est quod sit inferius signato, ut docet P. Augustinus lib. de Magistro cap. 9. inter perfectè similia unum nõ est inferius alio. 2. Quia signum repræsentat aliud à se: quod enim est alij perfectè simile, non est aliud ab ipso, sed reputatur idem. 3. Quia juxta D. Thomam 3. p. quæst. 5. art. 1. ad tertiam. *Si secundum omnia esset similitudo, jam nõ esset signum.*

Min. probatur. Signa humana spiritualia, de quibus loquuntur AA. contrarij, sunt species expressa, aut verbum mentis, & juxta aliquos etiam species impressa objecti cogniti: sed hæc omnia sunt perfectè similia objecto representato: ergo signa spiritualia sunt perfectè similia objecto. Probatur min. Species tam impressa, quam expressa, est similitudo formalis objecti in actu primo, & in actu secundo, & non utrumque, sed quæ major dari non potest in esse representativo: quare in esse intelligibili non sunt diversa, species, & objectum, sed unum & idem: ergo sunt perfectè similia.

Hæc ratio nedum probat in hominibus, sed etiam in Angelis, quorum species sunt perfectè similes objectis. Probat

bat etiam de signis quibus loquuntur, si ea admittas cum Agudio nostro. Probat de signis, quibus inferiores illuminantur à superioribus de objecto occulto, si ea admittas. Nam hæc omnia sunt species quædam spirituales representantes objectum cum omnimoda similitudine in esse intelligibili: quare in esse intelligibili objectum non est aliud à specie, & signo; ergo signum illud non ducit in cognitionem alterius, sed sui ipsius, vel alicujus secum identificati in tali ordine: ergo non sunt signa propriè, de quorum essentia est ducere in cognitionem alterius à se distincti.

## §. III.

*Directè probatur bonitas diffinitionis nostræ.*

17. **D**IRECTE probatur nostra conclusio ex D. Thoma 3. p. quæst. 60. art. 4. ad primum ubi ait: *Ad primum ergo dicendum, quod unumquodque præcipuè diffinitur secundum id quod convenit ei primò, & per se; non autem secundum id quod convenit ei per aliud. Effectus autem sensibilis per se habet, quod ducat in cognitionem alterius, quasi primò, &*

*per se homini innotescens, quia omnis nostra cognitio à sensu oritur. Effectus autem intelligibiles non habent, quod possint ducere in cognitionem alterius, nisi in quantum sunt per aliud manifestati, id est per aliqua sensibilia. Et inde est, quod primò & principaliter dicuntur signa, quæ sensibus offeruntur, sicut Augustinus dicit in 2. l. b. de doctrina Christiana, ubi dicit quod signum est, quod præter speciem quam ingerit sensibus, facit aliqui aliud in cognitionem venire. Ecce directè manifestata bonitas diffinitionis Augustinianæ à Præceptore Angelico, cui nec verbum immutare auderemus, nisi pro incipientiam exercitio oporteret eam in forma eis proponere.*

Proponatur sic: Diffinitio ut sit bona, debet explicare in diffinito id quod convenit ei primò & per se: sed ducere in cognitionem alterius, (quod est essentia signi) primò & per se convenit signis sensibilibus, non autem spiritualibus, quibus non convenit per se, sed per aliud: ergo diffinitio nostra, quæ explicat essentiam signi relatè ad sensibilia, est optima, & ab omnibus acceptanda. Maj. est D. Thomæ, & infra ulterius ex eodem, & à ratione probabitur. Min. ex eodem probatur. Effectus sen-

sibilis per se habet, quod sit quoad nos magis notus, cum nostræ naturæ magis proportionetur, quæ in cognitione incipit à sensu: sed quod est ex se magis notum, habet per se ducere in cognitionem ignoti: ergo.

18. Dices. Hæc ratio probat solum de signis humanis, de quibus est verum, quod sensibilia per se primò sunt signa respectu nostri; & quod spiritualia respectu nostri non sunt per se nota. At respectu Angelorum ratio nihil probat, cum eis non sint materialia magis nota, quam spiritualia. Immo de Angelis probat oppositum; quia ratio D. Thomæ sumit pro medio, quod *Illud quod est magis notum, habet primò & per se ducere in cognitionem alterius.* Atqui respectu Angelorum sunt magis nota spiritualia; tum quia hæc sunt notiora simpliciter; tum quia spiritualia magis proportionantur Angelis, quam materialia: ergo de signis Angelicis probat oppositum.

Sed contra: quia signa Angelica non sunt propriè signa, ut probatum est ex D. Thoma, & à ratione toto §. antecedenti; unde ad summum sunt signa transumptivè, & impropiè: sed diffinitio debet dari per illud quod convenit diffinito propriè & per se: er-

go non debet dari per ordinem ad signa Angelica; & ratio D. Thomæ utrumque convincit. Urgetur. Ratio D. Thomæ excludit à diffinitione signa humana spiritualia, non quia eis non conveniat ratio signi, sed quia non convenit eis primò & per se, sed ratione signi materialis: at signis Angelicis non convenit ratio signi primò & per se, nec secundò, & ratione alterius, quod saltem habent signa spiritualia humana: ergo potiori titulo excluduntur Angelica.

19. Secundò probatur conclusio nostra. Ratio communis signi, ut comprehendit signa Angelica, & humana, sensibilia, & spiritualia, non est ratio communis univoca, sed analogica; cujus principale analogatum est signum sensibile: sed in diffinitione rationis communis analogæ non est inconveniens, quod intret principale analogatum, & quod propriè solum conveniat principali analogato: ergo diffinitio nostra, quæ propriè convenit signis sensibilibus, optima est, & revera diffinit signum in communi, non autem signum in particulari. Major est certa, nam ratio univoca est quæ convenit æqualiter omnibus, & æquè propriè & per se; à contrario ratio analogica est quæ non convenit propriè

propriè, alteri impropiè; uni per se, alij ratione alterius. Sed suprà probatum est, quod ratio signi propriè convenit signo humano, impropiè Angelico; per se signis sensibilibus, per aliud signis spiritualibus: ergo dato quod omnia sint signa, ratio communis signi non est univoca, sed analogica ad signa Angelica & humana, spiritualia & sensibilia.

Minor probatur primò à paritate diffinitionis Sacramenti in communi. Nam Magister Sententiarum in 4. distinct. 1. inter alias diffinitiones Sacramenti in communi ut comprehendit Sacramenta veteris, & novæ legis, ponit sequentem diffinitionem, sumptam ex Hugone: *Sacramentum est invisibilis gratiæ visibilis forma, ejusdem gratiæ similitudinem gerens, & causa existens.* Quæ diffinitio propriè solum convenit Sacramentis novæ legis, quæ sunt causa gratiæ, non autem Sacramentis veteris legis, quæ non causant gratiam, sed erant univocè signum ejus. Ex quo sic. Quia Sacramenta veteris, & novæ legis non conveniunt univocè in ratione Sacramenti, sed analogicè; ideò diffinitio conveniens propriè Sacramentis novæ legis, quæ sunt principale analogatum, est bona

diffinitio Sacramenti in communi: ergo quia in ratione signi non conveniunt univocè, sed analogicè spiritualia, & sensibilia, diffinitio conveniens propriè sensibilibus, quæ sunt principale analogatum, erit optima diffinitio, & signi in communi: consequentia constat eisdem terminis, ac antecedens.

20. Hanc paritatem dedit nobis D. Thomas loco citato in 4. Sententiarum ubi in quæstioncula 3. sic arguit contra diffinitionem Hugonis in 5. argumento. *In diffinitione generis non debet poni differentia constitutiva alicujus specierum, in quas dividitur genus: sed esse causam ejus quod figurat, est differentia Sacramentorum novæ legis: ergo non debet poni in diffinitione communi Sacramenti.* Subsume ad nostrum intentum sic: *Sed immittere speciem sensibus est differentia signi sensibilis: ergo non debet poni in diffinitione communi signi.* Ecce totum fundamentum sententiæ contrariæ. Audi nunc iterum D. Thomam.

*Ad 5. dicendum, quod Sacramentum non dividitur per Sacramenta veteris, & novæ legis, sicut genus per species, sed sicut analogum in suas partes; & ut sanum in habens sanitatem, & signatur eam. Sacramentum autem simpliciter est quod causat sanctitatem; quod*

quod autem signat tantum, non est Sacramentum, nisi secundum quid. Et ideo esse causam potest poni in diffinitione Sacramenti, sicut habens sanitatem in diffinitione sani. Hæc S. Doctor, ex quibus reponere pro nostra subsumpta sic. Signum non dividitur per signa spiritualia, & sensibilia, sicut genus per species, sed sicut analogum in suas partes. Signum sensibile est signum simpliciter, signum spirituale est signum secundum quid: & ideo immittere speciem sensibus, potest poni in diffinitione signi; sicut habere sanitatem in diffinitione sani; & esse causam in diffinitione Sacramenti.

21, Secundò probatur min. principalis à ratione. Eo modo debet inferioribus convenire diffinitio rationis communis, quo eis convenit ratio communis quæ diffinitur: sed ratio communis analogæ propriè solum convenit principali analogato, & impropiè alijs, & per similitudinem, aut analogiam ad principale analogatum: ergo non est inconveniens, quòd in diffinitione rationis communis analogæ intret principale analogatum, & ei propriè conveniat diffinitio, alijs impropiè. Major patet, quia diffinitio est oratio explicans essentiam rei, quare eo modo &c. Min. etiam est

certa, & patet ex immediatè dictis. Nunc sic. Sed ratio signi est analogæ, & propriè convenit signis sensibilibus, quæ sunt principale analogatum, & solum impropiè signis spiritualibus, quæ sunt signa secundum quid, transumptivè, & dependenter à signo sensibili per quòd manifestantur: ergo non inconvenit, quòd in diffinitione nostra intret signum sensibile, quòd est principale analogatum, ut diffinitio Augustiniana sit signi in communi, & optima.

Sed dices: licet ratio entis sit analogæ, hæc est mala diffinitio: *Ens est ens per se*: ergo licet ratio signi sit analogæ &c. Quòd si dicas, quòd ens non est analogum attributionis propriè; signum autè sicut sanum est analogum attributionis; & ratio nostra unicè procedit de analogis attributionis.

Replicabis contra: quia juxta nostrum Ægid. quæst. 1. de ente & essentia: ens est analogum attributionis; & tamen malè diffinitur dicendo: *Ens per se*, ut videtur concedi in solutione: ergo licet signum sit analogum attributionis ad sensibilia, & spiritualia malè diffinitur diffinitione Augustiniana.

Respond. dist. maj. ens est analogum attributionis propriè

priè, nego maj. impropiè, & eo modo, quo omne analogum est analogum attributionis, concedo maj. & concessa min. nego consequentiam. Analogum attributionis propriè tale est, cujus res significata reperitur formaliter solum in uno analogato. v.g. sanum est ita analogum ad animal, cibum, pulum, & urinam, quæ sanitas reperitur solum formaliter in animali. Hoc modo ens non est analogum ad substantiam, & accidens, quia non in sola substantia reperitur entitas formaliter, sed etià in accidentibus, ut quærit. citata docet N. Ægidius §. Sed dices. Dicitur tamen analogum attributionis ens relatè ad substantiam, & accidens propter duo. Primò, *Quia illa entitas est ita debilis, & ita propinqua non enti, ut propter illam non mereantur dici entia, sed propter entitatem, quæ est in substantia.* Sic itaque nostrum esse ad Divinum esse comparatum, est magis non esse; ipsum solum est ens per se, nos autem sumus entia propter esse ejus.

Secundò ens dicitur analogum attributionis, quia licet accidentia dicantur entia propter entitatem, quæ est in eis formaliter, Nunquam dicuntur entia propter entitatem illam in se, sed propter entita-

tem illam attributam alteri, ita quòd (preme rationem) semper unitas analogi, est unitas attributionis. Ita quòd nunquam analogum secundum quòd hujusmodi, dicatur de aliquibus duobus, quin unum attribuatur alteri, vel ambo attribuatur tertio: & qui hoc nescit, naturam analogiæ ignorat. En juxta Doct. N. omne analogum est analogum attributionis hoc modo, etiam si ratio significata per nomen, sit formaliter in omnibus analogatis, sicut est entitas in Deo, & creaturis; in substantia, & accidente. Hujusmodi analogia non est propria attributionis, ut cōtradistincta ab analogia puræ, & propriæ attributionis; nam hæc sic cōtradistincta, non convenit omni analogiæ; & illa, de qua hic Doctor noster, convenit omni analogiæ, & qui illam negat analogis, naturam analogiæ ignorat.

Ergo juxta Doctorem nostram duplex analogia attributionis distinguenda est: altera propria supra explicata in sanos; altera impropiæ quæ communis est omni analogiæ. Ratio nostra procedit de analogis attributionis propriè talibus; hujusmodi sunt sanum ad animal, cibum, & pulum; signum ad sensibile, & spirituale; & de his diffinitio analogati principalis, convenit analogo in communi



muni. Ratio ex nostro Doct. ibidem est. Quia in talibus ratio significata per nomen est una realiter in omnibus analogatis, & sic est major unitas, quàm unitas univocorum, quæ non est realiter talis, sed per rationem. Atqui diffiniendo analogatum magis principale, diffinitur ratio significata per nomen: ergo diffinitio talis convenit omnibus analogatis, & sic est diffinitio omnium in communi.

Analogia attributionis impropria datur, quoties res significata per nomen est intrinsecè, & formaliter in omnibus; ceterùm vel in aliquibus est debilitè, & quasi non esset; vel est in eis per attributionem ad principale analogatum. Ita ens est analogum ad Deum, & creaturas; ad substantiam, & accidens. Immo nullum est analogum quod ad minus non sit ita attributum. Qui diffinit tale in communi, & dat diffinitionem solius principalis; malè diffinit. Ratio ex dictis est: quia res significata per nomen *ens*, scilicet *entitas*, non est una realiter in Deo, & creatura; in substantia, & accidente; sed est realiter multiplex, sicut est in univocis, cum solo discrimine inæqualitatis, & attributionis. Ergo sicut diffiniendo animalitatem hominis, non diffinimus animalita-

tem in communi; ita diffiniendo entitatem substantialem, non diffinimus ens in communi; nec diffiniendo entitatem Dei, dato quòd posset diffiniri, illa diffinitio conveniret enti in communi, Deo & creaturis.

22. Dices. Signa spiritualia saltem improprie sunt signa: ergo eis saltem improprie debet convenire diffinitio signi: at diffinitio nostra nec improprie convenit signis spiritualibus: ergo non est diffinitio signi in communi. Probatür min. subsumpta. Nam *Immittere speciem sensibilem, vel ostendere se sensui*, nec improprie convenit signis spiritualibus: ergo diffinitio nostra &c.

Sed contra: nam signa spiritualia eo modo, quo sunt signa, immittunt speciem sensibus: ergo eo modo quo sunt signa, eis convenit diffinitio Augustiniana. Probo anteced. primò de signis Angelicis. Nã signa Angelica solum sunt signa *transumptivè*, hoc est improprie, & translative, nomine signi translato, & transumpto de signis sensibilibus ad spiritualia, ut dictum est num. 8. ergo si pariter transferas nomen *sensus* ad spiritualia, invenies quòd intellectus Angeli potest *transumptivè* dici sensus. Huic sensui *transumptivè* tali,

immittit speciem signum spirituale, ut inde ducatur in cognitionem alterius. Quare *transumptivè* etiam de signo Angelico est verum, *Quod se ipsum sensui, & præter se aliquid aliud &c.*

23. De signis spiritualibus humanis clariùs constat, signa humana spiritualia solum sunt signa ratione signi materialis cui conjunguntur; hoc est *Secundùm quòd conjunguntur signis sensibilibus. Vel inquantum sunt significata per aliqua sensibilia*, ut ostendimus ex D. Thoma num. 15. Sed modo quo significantur per sensibilia quibus conjunguntur, immittunt etiam sui speciem sensibilem per sensibilia: ut patet: ergo eo modo quo sunt signa, immittunt speciem sensibilem.

Explico hoc in caractere, qui est signum spirituale humanum. Character baptismalis est signum in anima impressum, non ratione sui, sed ratione aquæ abluentis corpus, quæ dum nostris sensibus immittit speciem sensibilem Sacramenti, facit quòd character habeat rationem signi, ut dictum est num. 15. Ecce character est signum ratione aquæ, & ablutionis cui conjungitur: ergo per aquam, & ablutionem; quæ sunt signa sensibilia, immittit speciem sensibus. Exem-

plum D. Thomæ 3. p. quæst. 63. art. 1. ad secundum ubi ait: *Character animæ impressus, habet rationem signi, inquantum per sensibile sacramentum exprimitur: per hoc enim scitur aliquis esse baptismali caractere insignitus; quòd est ablutus aqua sensibili.* Hinc est, quòd character est signum, & signatum: quare sicut signatur per aquam v.g. vel per oleum in confirmatione; per illud oleum, & unctionem sensibilem immittit sensui speciem. Quare sicut per se non est signum, sed ratione signi sensibilis, cui conjungitur; per se non immittit speciem sensui, sed ratione alterius; & hoc sensu convenit ei diffinitio Augustiniana.

Colliges ex tota doctrina data optimam esse diffinitionem signi datam à Patre N. cujus bonitas dupliciter defendi potest ex dictis. Primò concedendo nostram diffinitionem solum convenire signis sensibilibus: & negando consequentiam, scilicet quòd non conveniat omni signo. Quia signa Angelica, & humana spiritualia, signa non sunt; & ideo eis non convenit diffinitio nostra. Pro hoc faciunt dicta toto § 2.

Secundò potest dici nostram diffinitionem esse optimam, etiam si conveniat fo-



lis signis sensibilibus. Quia ratio signi est analogica, & soli principali analogato debet propriè convenire. Pro hoc faciunt dicta à num. 17. usque ad 21. Tandem potest dici, quòd nostra diffinitio convenit omni signo, eo modo quo est signum: quòd satis claret ex dictis num. 22. & 23.

## §. IV.

*Solvuntur argumenta.*

34. **E**X dictis facilè solvuntur fundamenta contraria. Ad primum positum num. 2. de signis Angelicis, quibus loquuntur dist. maj. Ita Angeli signis quibusdam secreta invicem manifestant; signis propriè talibus, nego maj. signis transumptivè, & per translationem talibus, concedo maj. Et minori concessa, nego consequentiam: signa Angelica solum transumptivè sunt talia, ut probatum est à num. 8. usque ad 14. quam doctrinam hic applica. Quare licèt eis non conveniat diffinitio nostra, nil contra nos, quia solis veris signis debet convenire. Vel dic quòd eis etià convenit; quare disting. min. Signa Angelica non sunt sensibilia, nec quæ sensibus perci-

piantur. *Sensibus transumptivè talibus*, nego min. *Sensibus propriè talibus*, concedo min. & nego consequentiam, eo modo quo signa Angelica sunt signa, eis convenit percipi sensibus. Vide dicta num. 22. & ea applica hic.

Ad confirmationem ex nostro Ægidio positam num. 3. Dic primò nostrum Doctorem non scripsisse supra 4. Sententiarum, vel ejus scripta non extare supra 4. ubi debebat ex professo suam explicare mentem circa diffinitionem Augustinianam. Et licèt Magister Arpe Genuensis ex scriptis nostri Doct. compilaverit quarti summam, nihil speciale adducit circa hoc in locis citatis ab ipso. Loca sunt *In 1. Sententiarum dist. 16. princ. 1. quest. 1. Ad Roman. lect. 32. in 2. Sententiarum dist. 41. dub. 6. lit. in 3. dist. 3. p. 1. quest. 1. art. 2. dub. 1. laterali. In caput cum Marthe parte 1. de renuntiatione Papæ cap. 25.* Nullibi disputat de diffinitione signi. Quare quæ sit ex professo ejus mens, non potest liquido demonstrari.

Potest tamen ad nostrum sensum trahi, dicendo, quòd diffinitio nostra non est signi *universaliter*, si non intelligitur cum distributione accommodata. Quare si *ly præter sensibilem speciem*, intelligitur de ri-

go

gorosa specie sensibili, non convenit signis Angelicis, & sic non est signi universaliter. Ceterum si intelligitur de specie sensibili *transumptivè*; bene convenit signis Angelicis, & est signi *universaliter* juxta dicta num. 22. & 23. & hic applicanda.

25. Ad aliud de signis spiritualibus humanis, positum num. 4. dic 1. ea non esse propriè signa, sed impropiè, ut ostensum est à num. 14. usque ad 17. quam doctrinam hic applica. In forma ad argumentum nego major. ad ejus probationem nego maj. scilicet quòd verbum mentis sit æquè signum ac verbum vocis. Ad ejus probationem nega auctoritatem D. Thomæ ibi vicinatam; non enim dicit D. Thomas, quòd ratio signi *proprius* convenit verbo mentis, quam verbo vocali; sed quòd *per prius* dicitur de verbo mentis; unde perperam citatur auctoritas illa D. Thomæ à Magistro Lerma in suis disputatis Summulis. Et nota, quòd in illa questione disputat D. Thomas, utrum in Divinis verbum propriè dicatur? Et respondet affirmativè: quare intendit, quòd verbum mentis est verbum propriè tale; ad quod non requiritur, quòd sit signum propriè tale, sed quòd sit aliquo qualiter signum, ut probatum

est. Ergo licèt ratio signi per prius conveniat verbo mentis, quam vocali, nil contra nos, quia vocali convenit propriè, sed mentali impropiè.

Quod patet ex eodem S. Doctore: nam propter duo dicit, quòd verbum mentis est signum, & per prius quam vocale. Primò, quia sicut per vocale quis loquitur alteri, ei manifestans secretum; per mentale quis loquitur sibi ipsi in corde suo. Ita docet ibi in solutione ad quintum. 2. Quia verbum mentis est causa verbi vocalis: unde si hoc est signum, etiam verbum vocale, & *per prius*, quia omnis causa est prior suo effectu. Ecce tota doctrina D. Thomæ. Sed jam vides quòd non loquitur de signo proprio. Nam signum proprium est quo ducimur in cognitionem alicujus occulti. Sed dum quis sibi loquitur per verbum mentis, non ducitur in cognitionem alicujus occulti, quia bene scit quis de quo loquitur, dum sibi ipsi loquitur: ergo non loquitur de signo proprio, sed impropio.

26. Vel dic 2. ad argumentum, quòd signis illis convenit diffinitio nostra, eo modo quo sunt signa juxta dicta num. 23. unde in forma disting. min. Signis internis humanis non convenit diffinitio nostra: eo modo quo sunt signa, nego

Aaz

mna

min. modo quo non sunt signa, concedo min. & nego consequentiam. Signa humana spiritualia solum sunt signa quatenus conjunguntur cum signis sensibilibus per quæ manifestantur, ut probatum est num. 15. quam doctrinam hic applica: ergo ut sint signa fat est, quod eis conveniat nostra diffinitio hoc modo. At sic eis convenit, quia licet ex se non immittant speciem sensibus, immittunt per signa sensibilia quibus conjunguntur; & sic de eis verificatur nostra diffinitio, modo quo de eis verificatur esse signum.

Ad primam confirmationem ejusdem num. 4. disting. maj. juxta Philosophos signum in communi dividitur in formale, & instrumentale, ut ratio analogica in suas partes, concedo: ut ratio univoca, & generica in suas species, nego maj. & disting. min. Signum formale est signum spirituale, & est propriè signum, nego min. & impropiè transumptivè, & per aliud, signum, concedo min. & disting. consequens: ergo nostra diffinitio non convenit omni signo, propriè tali, nego consequentiam; impropiè tali, subdisting. non convenit propriè, concedo consequentiam, impropiè, nego consequentiam. Toto num. 19. & 20. probatum est divisionem

signi in spirituale, & materiale esse analogam, non univocam. Item à num. 14. usque ad 17. probatum est signa humana spiritualia, vel formalia, non esse propriè signa. Ergo eis nostra diffinitio non debet convenire propriè, sed impropiè, eo modo quo sunt signa. Hoc modo certè illis convenit, ut dictum est.

Fateor Thomistas modernos velle, quod signum formale sit propriè signum, & quod divisio signi in formalem, & instrumentalem, sit generis in species. Hoc volunt, & hoc propugnant specialibus conclusionibus Lerma, Bajona, & alij. Immo hinc moventur dicere diffinitionem Augustini P. non esse signi in communi. At nobis pro P. Augustino majorem fidem facit D. Thomas, quàm rationes eorum: unde in hoc non admittimus eorum sententiam.

27. Ad secundam confirmationem num. 5. positam, dic illam esse argumentum quod contra se objecit D. Thomas, & illud solvit modo, & verbis positus num. 15. Immo hinc confirmatur nostra sententia de mente D. Thomæ: siquidem nobis opponatur ea argumenta, quæ contra se posuit Angelicus Magister. Ex eo disting. maj. Character est signum spirituale, est signum ratio

tionem signi sensibilis, cui conjungitur, concedo; est signum ratione sui, nego maj. & disting. min. ei non convenit diffinitio nostra, ei ratione sui, concedo, sed hoc modo non est signum; ei ratione signi sensibilis cui conjungitur, nego min. nam character hoc modo immittit speciem sensibus juxta dicta num. 23.

Ad tertiam confirmationem dic, quod contritio quæ est materia proxima Sacramenti penitentiae non est signum ratione sui, sed ut manifestata per signa externa doloris, & exteriorem actum confitentis peccata sua. Ita docuit D. Thomas 3. p. quæst. 84. art. 1. ad primum, & ad tertium. Quare licet ex se sit actus spiritualis non immittens speciem sensibus, & ex se ideò non sit signum; est tamen signum ut conjuncta cum signis externis, & hoc modo immittit speciem sensibilem, eique convenit diffinitio nostra. Ex quo in forma distingue ut supra.

Ad ultimam confirmationem num. 5. dic primo, quod in diffinitione Sacramenti non omnes addunt *sensibile*, sed dicunt solum esse *Signum rei sacrae sanctificantis nos*. Dic 2. quod additur *ly sensibile* ad denotandum, quod Sacramentum est signum proprium, & non improprium. Inde solum col-

ligitur, quod ultra signum proprium, dantur impropria, & transumptivè talia, quod non est contra nos. Nam eis, vel non convenit diffinitio nostra, quæ est de solis proprijs, vel convenit eis modo quo sunt signa, scilicet impropiè, & per aliud, ut dictum est.

28. Ad id quod opponitur num. 6. fateor RR. diffinire signum in communi per hoc quod sit *Objectum, quod potentia cognoscitiva aliquid aliud à se representat*. At hæc diffinitio peccat in duobus: 1. quia non diffinitur signum secundum id quod convenit ei primò & per se, cujus contrarium habet diffinitio Augustiniana, ut ostensum est ex D. Thoma num. 17. 2. quia *ly representat*, non dicit essentiam signi, sed similis perfectè similis, quod non est signum, ut probatum est num. 16. De essentia signi est signare, vel significare, non autem representare. Ratio est, nam representare est *Rem presentem facere*: at unum simile perfectum representat, aut præsens facit aliud simile, cui est perfectè simile: ergo representare non est de essentia signi sed alterius quod signum non est.

Præterea: Vel illa diffinitio solum accipitur de signis sensibilibus; aut de eis, & simul spiritualibus, seu formalibus

bus? Si primum: ergo non explicat id quod primò & per se convenit signo sensibili, scilicet se ipsum sensui ostendere, ut dictum est num. 17. Si secundum: ergo eis non convenit diffinitio illa. Probo hanc consequentiam. Quia signum formale non distinguitur in esse intelligibili, & representativo ab objecto quod representat, ut probatum est num. 16. ergo de signo formali non verificatur quòd representet *aliud à se*, sed quòd representet se, vel aliquid cum quo est idem in esse representativo. Quare dum RR. renunt ponere pro signo in communi diffinitione nostram, incidunt in eandem foveam: nam ponunt diffinitionem, quæ non convenit signis spiritualibus ob defectum distinctionis inter signum & signatum.


Et nota, quòd non possunt effugere hanc difficultatem recurrendo ad distinctionem entitativam verbi, & objecti representati. Fatemur, quòd species expressa representans lignum distinguitur ab eo entitativè, quia hoc est substantia, illa accidens. At distinctio hæc entitativa nil facit ad propositum, quia signum petit distingui à signato in ea linea in qua est signum: at est signum in linea cognoscitiva,

& non in linea entitativa; nec est signum per suam entitatem, sed per suam significationem, aut cognoscibilitatem: ergo cum species in esse cognoscibili non sit distincta ab objecto representato, non representat *aliud à se*, sed se ipsum intelligibiliter.

Ad ultimum positum numer. 6. de mente Philosophi, dic. 1. illud esse argumentum quod contra se objicit S. Thomas in 3. p. quæst. 60. art. 4. in 1. argumento. Quare Bajona hoc modo arguens contra nos probat conclusionem suam eo argumento quod Angelicus Præceptor opponit contra ipsam, & nostram sententiam. Respondet S. Doctor verbis datis numeri. 7. post quæ immediate subjungit: *Effectus autem intelligibiles non habent rationem signi, nisi secundum quod sunt manifestati per aliqua signa*: intellige externa & sensibilia. Hinc colliges, quòd licet scientia sit effectus demonstrationis, & omnis effectus sit signum suæ causæ: at scientia, quæ effectus est spiritualis, non est signum ratione sui, sed ratione alterius, scilicet ratione signi sensibilis cui conjungitur, & per quod manifestatur. Manifestatur scientia acquisita in locutionibus nostris scientificis, item scriptis &c. *Quare*

re de hoc signo dicendum est quod de alijs spiritualibus supra diximus, nec ullum ex

Philosopho colligitur argumentum contra nos.



## QUÆSTIO QVARTA.

*Quibus conveniat ratio signi, & per quid constituentur?*

§. 1.

*Breviter explicatur, quibus conveniat propriè ratio signi.*

1. **P**RO dubij decisione, nota quòd signum propriè tale petit tres condiciones indispensabiliter. Prima est quòd sit imperfectius signato. Secunda est quòd sit distinctum à signato. Tertia quòd dicat relationem ad signatum. Omnes has condiciones expressit nobis P. Augustinus lib. de Magistro cap. 9. sed antequam demus auctoritatis verba, oportet explicare has condiciones.

Circa primum nota, quòd non requiritur quòd entitas signi sit imperfectior signato. Nam vox *nihil* est signum, & ens reale, tamen signatum vel significatum non est ens, sed carentia entis. P. noster ponit exemplum in vocibus *vitium*,

& *cœnum*. Sanè voces sunt signa vitij & cœni; cum tamen entitas vocis non sit imperfectior, nec cognitio cœni, quæ ordinatur ad cœnum cognoscendum, sit imperfectior cœno, & vitio. Quare prima conditio est de signo in esse objecti cogniti, ita ut sicut signum est objectum ordinatum ad cognitionem signati, hoc modo est imperfectius signato.

2. Circa secundum, nota quòd nihil potest esse signum sui ipsius, idque patet tum ex nostra, tum ex aliorum diffinitione. Omnes enim tenemus quòd signum ducit in cognitionem alterius: ergo alterius distincti, non autem sui ipsius, quia nemo est alter à se

se ipso. Et hinc explosimus signa formalia quæ non ducunt in cognitionem alterius, sed sui ipsius. Et observa, quod sicut prima conditio signi non est de signo considerato in esse entis, sed in esse objecti; ita secunda conditio de distinctione signi à signato. Quare licet species expressa quoad entitatem differat ab objecto representato; nil inde: quia debet differre in esse objecti, & in esse representativo, quod non habet; sicut debet esse inferior in esse objecti, quod nec etiã verificatur de specie relatè ad objectum; & idèò signum non est, & confirmantur dicta q. præcedenti num. 16.

Circa tertium nota, quod non decidimus nunc, an ratio signi ad signatum, sit realis, vel rationis? Hoc enim habet specialem difficultatem infrà discutiendam. Præcisivè ab hoc dicimus, quod signum constituitur per aliquam relationem ad signatum. Ratio est quia signum habet per suam essentiam ducere in cognitionem signati: ergo signum est propter signatum: sed id quod est propter aliud, est de genere relativorum. Quarum essentia diffinitur sic: Relatio est *Causa totum suum esse est in ordine ad aliud*, vel propter aliud: ergo signum est propter signatum, & dicit ordinem ad illud.

3. Ecce nunc auctoritatem P. Augustini loco citato, ubi statuit hanc regulam. *Omne quod propter aliud est, inferius est quàm id propter quod est.* Et cum contra eam objecisset voces *Cœnum*, & *Vitium*, quæ signa sunt ordinata ad significandum aliquid vilius vocibus; respondet sic: *In illa igitur sententia nostra, quamquam sit falsam, res omnes signis suis præponi oportere; non tamen est falsam, omne quod propter aliud est, vilius esse quàm id propter quod est: cognitio quippe cœni propter quam hoc nomen est institutum, pluris habenda est ipso nomine, quod eidem cœno præponendum esse comperimus; non enim ob aliud ista cognitio signo, de quo agimus, antelata est, nisi quia illud propter hanc, non hæc propter illud esse convincitur.* Hæc P. N.

Ubi vides primò, quod in esse entis signum non petit esse inferius signato; nam concedit quod vox *cœnum*, & infrà etiã vox *vitium* non est postponenda suo signato; immò signatum est quid vilius signo. Vides secundò, quod signum in esse objecti est vilius, & inferius signato; nam nomen quod est signum, est inferius cognitione signati. Hoc idèò: quia vox *cœnum* ordina-

natur ad cognitionem cœni, & cognitio ordinata est ad cognoscibilitatem objecti. Quare licet entitas cœni viliior sit cognitione, & voce ipsam significante; at in esse objecti vox est inferior cognitione, & cognitio suo modo inferior ad objectum cognitum ex vi illius regulæ, *Omne quod propter aliud est* &c.

Hinc ex vi ejusdem regulæ approbat reprehensionem Epicureorum, quam habet Apostolus ad Rom. 16. dicentium se vivere, ut vescerentur; cum deberent dicere se vesci ut viverent. Nam in primo pluris habent vesci, quàm vivere, & pluris æstimant escam, quàm vitam; in alio, ut æquam est, significatur pluris habenda vita, quàm esca: ergo cum signum sit propter signatum, saltem in esse objecti debet esse inferius illo.

4. Vides etiã in verbis P. nostri, insinuatam distinctionem signi à signato; tū quia cum nemo sit se ipso inferior, demonstrans signum esse inferius signato, astruit distinctionem inter utrumque. Tum etiã qui docet signum esse propter aliud, & ei applicat regulam datam *Omne quod propter aliud est*: si ergo signatum est aliud à signo; ergo distinctum. Tandem in ipsa regula vides relationem signi ad

signatum, quæ non est mutua, siquidem signum est propter signatum, sed non è contra: non enim signatum est propter signum.

His positis restat videre; quibus propriè competat ratio signi; & licet præcedenti quæstione satis discussum sit de signis Angelicis, immò & de humanis spiritualibus; apponemus tamen de eis hic determinatas conclusiones pro commoditate studentium, quibus astruemus nostram sententiam & loca dabimus, ubi inveniant probationes. Sit ergo

5. Prima conclusio: in Angelis non dantur vera & propria signa, dum loquuntur inter se; benè verò quando loquuntur cum hominibus; vel forsan inter se signis externis. Prima pars conclusionis intelligitur de signis spiritualibus; hoc est de verbis mentalibus; sed satis probata est quæst. 3. à num. 8. usque ad 14. & quæ in contrarium adsunt, soluta sunt num. 24. ibidem.

At quia juxta nostrum Ægidium in 2. Sententiarum distinct. 10. quæst. 3. in resolutione dubij 5. Angelus potest hominibus loqui signis externis, scilicet visibilibus, immutando aërem, ut fiant characteres & figuræ, quæ sint signa objectorum & rerum, quas vult loqui; vel frangendo.

& verberando aërem, ita ut fiant soni, quasi articulatae vocis; quæ omnia signa percipiuntur ab homine, & etiam superiori modo ab alijs Angelis. De illis signis non est dubium, quin sint propria signa, non minus, quam alia humana sensibilia, quibus utimur nos: nec est cur inmoremur in probatione conclusionis quoad hanc partem.

6. Secunda conclusio. Signum quod vocatur formale, non est propriè signum. Hæc conclusio est contra recentiores; & probata est quæst. 3. num. 16. Eam amplius confirmo. De ratione signi est quod differat à signato non solum in esse entis, sed etiam in esse intelligibili; immò distinctio in esse entis de materiali se habet: sed signum formale non distinguitur in esse objecti à signato: ergo non est propriè signum. Maj. constat ex dictis in hac quæstione num. 2. Min. probatur. Species expressa, vel impressa repræsentans intellectui nostro hominem, est signum formale juxta AA. quos impugnamus: at species illa in esse objecti non distinguitur ab homine repræsentato: ergo. Probo min. Qui cognoscit speciem illam repræsentantem hominem, nō cognoscit objectum distinctum ab homine: at cognoscit spe-

ciem illam in esse objecti: ergo quia species illa in esse objecti non distinguitur ab homine.

Confirmatur. Licet entitas speciei sit accidens, & differat ab entitate hominis, quæ est substantia, distinctio hæc de materiali se habet, ut species repræsentet hominem: ergo distinctio ista entitativa de materiali se habet ut sit signum hominis. Patet consequentia, quia eo modo est signum, quod repræsentat: ergo quod de materiali se habet ad repræsentandum, de materiali se habet ad signandum. Nunc sic. Ergo dum cognoscitur species hominis, non cognoscitur entitas accidentalis, sed id quod repræsentat: at id quod repræsentat, non est distinctum ab homine repræsentato: ergo species illa ut ponitur signum, non distinguitur à signato, & consequenter non est propriè signum.

7. Dices. Illa non sunt idem in esse intelligibili, quæ habent intelligibilitates diversas: at species hominis, & homo, habent intelligibilitates diversas: ergo non sunt idem in esse objecti, & intelligibilis. Min. probatur. Intelligibilitas sequitur entitatem: sed species, & homo habent entitates diversas; cum species sit accidens, & homo substantia: ergo.

Sed contra. Nam intelli-

gi-

gibilitas propria entitatis speciei de materiali se habet ut sit signum formale: ergo quod sit distincta ab objecto signato, se habet de materiali etiã, nec sufficit ad rationem signi, ut supra probatum est. Probo antecedens. Signum formale non debet prius cognosci, ut ducat in cognitionem objecti repræsentati: ergo intelligibilitas propria &c. Probatur antecedens ex definitione signi formalis data à contrarijs, dicunt enim quod est *Quod se ipso, & non mediante alio repræsentat*. Ad differentiam signi instrumentalis, quod est *Quod præexistente cognitione sui aliquid repræsentat*: ergo &c.

Explicatur exemplo. Fumus est signum instrumentale ignis, quia debet fumus prius cognosci, & ex hac cognitione ducit in aliam cognitionem ignis. Hic benè noscimus, quod cognoscibilitas fumi se habet de formali, ut sit signum, quia nisi prius cognoscatur fumus, non ducit in cognitionem ignis: unde vocatur signum instrumentale: quia ante cognitionem signati præcedit cognitio signi. At in signis formalibus non sic, sed è contra, prima & unica cognitio est signati, & si attingitur per eam signum, non est quoad intelligibilitatem suæ entitatis materia-

lis, sed objecti per illam repræsentati: ergo signum formale, ut tale non habet cognoscibilitatem distinctam ab objecto signato: & consequenter in ratione signi non distinguitur à signato. Vide sequentem conclusionem.

8. Tertia conclusio. Idem non potest esse signum sui ipsius. Contrarium sentierunt aliqui maximè de intellectuone, dum reflectitur supra se, & est cognitio sui ipsius. At hoc est sequela admittentium signum formale. Nos tamen, qui illud negamus, non est cur in probatione hujus conclusionis inmoremur. Vide probationem supra num. 2. Immò hinc confirmatur quod signum formale non est signum, cum non differat à signato.

9. Dices. Vox *leo* sine dubio est signum: & tamen sub ratione signi non distinguitur à signato: ergo signum ut tale poterit esse signum sui ipsius. Probatur min. Vox *leo* non est signum materialiter sumpta, hoc est sumpta pro entitate vocis, quia hoc est commune vocibus nil significantibus, quæ sunt entitas quædam: unde est signum ratione sui significati: at significatum vocis *leo* non distinguitur à signato; quia signatum est animal rugibile, significatum per vocem *leo*: ergo vox ista ut si-

Est

gnum

gnum formaliter, non distinguitur &c.

Confirmatur. Sicut in specie expressa distinguimus entitatem speciei, & intelligibilitatem objecti representati; ita in voce *leo* debemus distinguere entitatem vocis, & suum significatum: ergo sicut entitas speciei est quid materiale, ut sit signum; ita entitas vocis *Leo*: Ergo sicut in specie se habet de formali sola representatio objecti; ita in voce significatio. Nunc sic. Sed quia representatum per speciem non distinguitur à signato, negamus esse signum: ergo cum significatum per vocem, non distinguatur à signato; vox *leo* non erit signum. Hoc est contra nos, & communem sententiam; ergo vel idem poterit esse signum sui ipsius; vel malè impugnavimus signum formale.

Solutionem hujus plenè intelliges, dum calieas doctrinam sequentis §. ibi videbis voces non esse signa objecti significati, nisi quatenus sunt signa verbi imaginati, quod qualiter inter se differant, & ab objecto signato, ibi dicetur. Interim nota, quòd *Animal rugibile* aliter est in suo signo, aliter in se ipso: in voce *leo* quæ est ejus signum, est obscure, & abstractivè; in se ipso, vel in specie expressa ejus,

est clarè, & quidditivè. Quæ obrem dum ex cognitione vocis *leo* pergis ad cognitionem signati, transis de cognitione obscura ad claram; de abstractiva in intuitivam, vel saltem quidditivam. Unde licet in re idem *leo* sit significatus, & signatus: aliter est in signo vocali, aliter in signo mentali: & alietas hæc est distinctio in esse objecti.

Ad confirmationem concedo primas consequentias, & disting. min. subsumptam. Sed quia representatum per speciem non distinguitur à signato, negamus esse signum; quia non distinguitur à signato materialiter, nego min. formaliter in esse objecti intelligibilis, concedo min. & disting. consequens: ergo cum significatum per vocem non distinguatur à signato, si loquaris de distinctione formali, nego suppositum, supponis enim non distinguere in esse objecti, quod esse falsum nuper probavimus: si loquaris de distinctione materiali; nego consequentiam, & paritatem. Negavimus speciem esse signum non præcisè, quia signatum, & representatum sunt idem; sed quia sunt idem formaliter in esse objecti. Hoc non apparet in significato vocis, & signato; quia aliam habet cognoscibilitatem objectum in se ipso, & in in-

ter.

tellectu, ac habet in signo vocis: unde in esse objecti non sunt idem, sed distincta.

10. Argues secundò contra eandem conclusionem ex P. Augustino lib. de Magistro cap. 4. in fine, ubi querit Magister, *An sint signa, quæ inter alia quæ significant, se ipsa significant?* Et respondet, *sunt.* Ergo de mente P. N. idem potest esse signum sui ipsius. Et urgetur exemplis. *Ens* est signum omnis entis: ergo est signum sui ipsius, cum vox *ens* sit aliqua entitas. Idem dic in hoc signo *vox*, nam est signum omnium vocum: ergo etiam sui ipsius. Rursus sanguis Christi in altari est signum sanguinis, quem fudit in cruce: at non est distinctus, sed idem sanguis: ergo est signum sui ipsius.

Respondeo explicando authoritatem P. nostri ex ipsis exemplis, à nobis inductis. *Ly vox* est signum omnium sub ratione communi, in qua conveniunt omnes voces; non autem sub ratione particulari, quæ una differt ab alia. Ecce quomodo non est signum sui ipsius, quia est signum sub ratione particulari quæ ei convenit, & non alijs: est autem signatum sub ratione communi, quæ ei, & alijs vocibus convenit. Quare inadæquatè est signum sui ipsius, quia signat

rationem communem; quæ est conceptus inadæquatus, & veluti genericus: sed non est signum sui ipsius adæquatè, sed alicujus distincti. Idem dic de voce *ens*, quæ solum signat rationem communem; non verò rationem sui particularè, quæ differt ab alijs entibus.

Ad aliud de sanguine Christi supra quæst. 3. num. 15. diximus ex D. Thoma. Nunc addimus, quòd non sanguis Christi in Altari, sed accidentia vini, quibus sanguis occultatur, sunt signum sanguinis Christi fusi in cruce. Si tamen contendas ipsum sanguinem esse signum; dicimus esse diversa sub ratione objecti, quia est signum ut existit sub aliena specie, & est signatum ut existit, vel existebat sub propria. Quo confirmatur solutio data num. 9.

11. Quarta conclusio. Unum simile non est signum alterius perfectè similis. Hæc conclusio probata est quæst. 3. num. 16. & confirmatur. Nã de ratione signi est, quòd in esse objecti distinguatur à signato: sed in esse objecti unum simile non differt ab alio perfectè simili: ergo non est signum ejus. Min. patet, quia si differret in esse objecti, non esset perfectè similis.

Sed dices. Similia debent esse extrema distincta, quia ne-



mo est similis sibi ipsi, sed alteri: ergo habent sufficientem distinctionem, ut unum sit signum alterius. Secundò, imago Cæsaris eò est melius signum, quò est ipsi similior: ergo similitudo non impedit, sed juvat rationem signi. Tertiò, effectus causæ univocæ est ei perfectè similis; & tamen est signum suæ causæ; ergo &c. Min. patet in filio, qui sicut dicitur imago patris, ita est signum ejus.

Ad primum respondeo, quòd distinctio similium est enitativa, quæ de materiali se habet ad rationem signi. Quando verò datur perfecta similitudo, tunc non datur distinctio in esse objecti; & ideò nec ratio signi, ut probatum est. Ad secundum, concessio antecedenti, disting. consequens: ergo similitudo non impedit; similitudo infra perfectam, concedo; similitudo perfecta, nego consequentiam. Requiritur enim ad rationem signi distinctio in esse objecti à signato; cumque similitudo, quando est perfecta, tollat hanc distinctionem in esse objecti, tunc impedit rationem signi, unde tunc non dicitur unum signum alterius, sed idem cum ipso, ut dictum est de signo formali. Servata tamen aliqua dissimilitudine, & distinctione in esse objecti, tunc quò major fuerit

similitudo, eò erit signum perfectius. Et nota, quòd imagines pictæ, & aliæ similes, nunquam accedunt ad similitudinem perfectam: tum quia solum assimilantur prothotypo in coloribus, aut lineamentis, non autem in actibus vitæ, quos repræsentant; tum quia adhuc in coloribus est dissimilitudo; cum picturæ colores sint ab arte, typi autem à natura.

Ad tertium negant aliqui, quòd signa sint effectus causæ univocæ. Hoc negant, quia tales effectus licet pendeant à suis causis in fieri, non tamen in esse, & conservari; quam dependentiam dicunt habere signum à signato. Vellem ab istis scire, quàm dependentiam habeat imago Cæsaris à Cæsare, ut signum illius, & eandem puto posse nos concedere in effectu causæ univocæ. Filius enim dicitur, & est imago patris; viso filio ducimur in cognitionem patris: quoties visis filijs venimus in cognitionem parentum? Ergo quid quid sit de dependentia (de quo infra) signa sunt. Iam verò inde nil contra nos, quia non est perfecta similitudo inter filium, & patrem quoad conditiones individuantes, sed quoad prædicata essentialia. Quare filius non erit signum patris quoad essentialia *animalis rationalis*, benè tamen quoad reliqua. Quin-

12. Quinta conclusio. Nihil insensibile potest esse propriè signum. Hæc conclusio probata est ferè in tota quæstione præcedenti præcipuè à num. 10. usque ad 16. ubi actum est contra signa spiritualia, & probatum, quòd omne signum debet esse sensibile. Ex ibi dictis suadetur breviter. Quia signum est quod ducit nos in cognitionem alterius: ergo cognitio alterius oritur ex cognitione signi: ergo incipimus à cognitione signi. Sed juxta Philosophum omnis cognitio nostra incipit à sensu: ergo incipiens à signo, incipit à sensibili: ergo nullum insensibile est signum.

Sed quæres. An de ratione signi sit quòd sit sensibile per sensus externos? An verò sufficiat esse sensibile per sensus internos, v.g. per sensum communem? Nota, quòd dicitur sensus communis ille, quo sæpè utimur dum dormimus. Tunc enim quiescunt externi sensus; & tamen putas te videre, gustare, tangere, olfacere, & audire. Hæc omnia facit sensus unus, qui dicitur communis, utens speciebus aliorum sensuū. De hoc sensu, & de speciebus sensatis, quibus utitur, quærimus, an species illæ sint propriè signa?

13. Videtur dicendum esse propriè signa, etiam si nò

tam propria, quàm externa. Ratio primi est, quia eis convenit propriè definitio signi data à P. Augustino, scilicet *Quod se ipsum sensui, præter se aliquid animo ostendit*. Species enim illæ se ostendunt sensui communi; & ducunt in cognitionem alterius. v.g. dum dormiens per sensum communem vides aut olfacis fumum, certè ducis in cognitionem ignis; immò aliquando ita vehementer ducis in ignis cognitionem, ut præ afflictione, & timore expergefactus, surgas à lecto fugiens periculum incendij. Hæc certa esse experientia docemur. Ultra, his signis conveniunt omnes conditiones, quas supra memoravimus num. 1. ergo signa propriè sunt.

At non tam propria, quàm externa. Nam signa hæc interna desumpta sunt ab externis. Sit indicium in cæco à natiuitate, qui nunquam per visum accepit species colorum. Iste nunquam per sensum communem percipiet signa colorata; alioquin poneret cæcum judicare de coloribus, quòd veluti ridiculum opponitur ignorantibus. Quare signa illa interna sunt simul signum, & signatum, quòd signant; signatum, quatenus dependent ab externis signis modo, quò dictum est de cha-



charactere quæstione præcedenti num. 27. Et propter hoc non sunt tam propriè signa interna, quàm externa, quæ à nullo dependent.

14. Sexta conclusio. Quando causa adhuc principalis, univoca, vel æquivoca, est quoad nos notior suo effectu, est signum proprium illius. Et è contra, quando effectus est notior sua causa quoad nos, est signum suæ causæ. Utramque conclusionem docuit D. Thomas 1. parte quæst. 70. art. 2. ad secundum dicens: *Per causam sensibilem quandoque ducimur in cognitionem effectus occulti, sicut è converso: unde nihil prohibet causam sensibilem esse signum sui effectus.* Quod autem sit hoc verum solum quando est notior quoad nos, docetur à Præceptore Angelico in 4. Sententiarum dist. 1. q. 1. art. 1. quæstiuncula 1. ad quintum dicens: *Ad quintum dicendum, quod signum quantum est in se importat aliquid manifestum quoad nos, quo manuducimur in cognitionem alicujus occulti: & quia ut frequentius effectus sunt nobis manifestiores causis; ideò signum quandoque contra causam diditur. Quandoque autem causa est manifesta quoad nos, utpote cadens sub sensu, effectus autem occultus, ut si ex-*

*pectatur in futurum; & tunc nihil prohibet causam signum sui effectus dici.*

Præterea: Astronomi ex cognitione corporum celestium rationabiliter cognoscunt effectus futuros, ut pluviam, ventum, grandinem &c. ergo quia causa horum effectuum est quoad nos magis nota, quàm ipsi effectus quando sunt futuri; ideò est signum proprium talium effectuum. Et colligitur ex 1. Genesis, ubi dicitur *Fiant luminaria in firmamento Cæli, & dividant diem ac noctem, & sint in signa &c.*

15. Objicies autoritatem D. Thomæ 3. par. quæst. 62. art. 1. ad primum, ubi ait: *Causa principalis non propriè dicitur signum effectus licet occulti, etiam si ipsa sit sensibilis, & manifesta.* Unde, quia Sacramenta sunt signa gratiæ, negat esse causam principalem ejus, & concedit esse instrumentalem, de qua non est inconveniens, quod sit signum. Ergo juxta D. Thomam causa principalis signum propriè non est, etiam si notior sit quoad nos. Et confirmatur. Signum saltem in esse objecti debet esse imperfectius signato: sed causa principalis nec in esse rei, nec in esse objecti est imperfectior suo effectu: ergo nequit esse signum illius.

Respondeo conciliando hanc

hanc autoritatem cum præcedentibus. Causa quoad suam substantiam est perfectior suo effectu, & hoc modo negat D. Thomas causam esse signum effectus. At causa quoad sua accidentia non est perfectior, sed imperfectior effectu, & hoc modo est signum ejus. Quod patet exemplo dato Cælorum, & stellarum. Sunt enim signa effectuum futurorum: non quidem sumptis stellis quoad suam substantiam, quia sic nihil significant, sed sumptis quoad sua accidentia scilicet lucis, distantia, propinquitatis, aspectus, & hoc modo corpora celestia signa sunt effectus occulti, & futuri. Per quod patet ad confirmationem, cui respondeo concessa majori, disting. min. distinctione data, quoad substantiam concedo: quoad accidentia, nego minor. & consequentiam.

16. Septima conclusio. Voces nihil significantes non sunt propriè signa. Hæc conclusio est expressa in P. Augustino lib. de Magistro cap. 1. ubi inquit: *Quid signum, nisi aliquid significet potest esse signum.* Et respondet: *Non potest.* Et infra cap. 7. in principio recolens jam disputata in præcedentibus dicit nomine sui filij Adeodati: *Deinde cum satis constitisset verba nihil aliud esse, quam signa; ea verò quæ*

*non aliquid significant, signa esse non posse.* Et confirmatur. De ratione signi est quod ducat in cognitionem alterius à se distincti: sed vox, quæ non significat aliquid, non potest ducere in cognitionem alterius à se distincti: ergo nequit esse signum.

Objicies. Vox nihil apud omnes est signum: & tamen non significat aliquid; nec ducit nos in cognitionem alicujus distincti: ergo licet vox non significativa non significet aliquid, nec ducat &c. poterit esse signum. Præterea: Signum debet esse imperfectius signato. At vox nihil non est imperfectior suo signato, cum infra nihilum quod signatur, non datur quid vilius: ergo idem. Hoc argumentum sibi objecit P. N. dicto libro cap. 2. & respondet quod vox nihil significat affectionem quamdam animi cum rem non videt, & non invenisse se putat. Ecce jam vox nihil ducit nos in cognitionem alicujus distincti; per quod patet ad argumentum, & est inferior ad illam affectionem animi signatam: per quod patet ad confirmationem. Vide infra num. 35.



## §. II.

*Discutitur per quid constituatur signum in ratione signi.*

17. **S**IGNA alia sunt naturalia, alia ad placitum. Et licet his tertium signum addatur, scilicet, ex consuetudine; at reducitur ad illa duo, nam vel consuetudo fundatur in natura, & tunc est signum naturale; vel fundatur in placito hominum, & tunc est signum ad placitum. De signo naturali ferè nulla est controversia per quid constituatur; enim verò cum naturaliter, & per se habeat ducere in cognitionem signati; ex se naturaliter ordinatur ad signatum; quare ut signum est, formaliter constituitur per relationem realem ad signatum. Et nota, quòd signum dicit duas relationes, unam ad potentiam cognoscentem, cujus est objectum; alteram ad signatum, cujus est signum. Prima relatio non est propria signi, sed communis ad omnia objecta potentiarum. De qua nihil speciale dicendum est hic, sed ex communibus principijs supponenda.

Videtur tamen juxta principia Nostri Ægidij, & D. Thomæ, dicendum, omne objectum dicere ad potentiam

lam relationem rationis. Ratio universalissima est, quia objectum scientiæ, vel potentiæ est mensura ejus: at juxta Philophum, & nostros Doctores, licet mensuratum dicat relationem realē ad mensuram; mensura tamen non dicit relationem realem ad mensuratum, sed solā relationem rationis: quare est relatio tertij generis, quæ non est mutua: ergo objectum nō dicit ad potentiam relationem realē, sed rationis. De hoc alibi.

Propria ergo relatio signi, ut distincti ab alijs objectis, quæ signa non sunt, est relatio ad signatum: quare per istam constituitur signum, saltem ut per rationem differentialem, videtur innegabile. Nec dubium est aliquod circa signa naturalia; cum eorum relatio ad signatum realis sit, ut probatum est. Quare dubitatio procedit de signis ad placitum; an constituentur per relationem realē, an per relationem rationis; an per extrinsecam denominationem, vel per aliud quid? Et præcipuè tractatur quæstio de vocibus significativis: inquirendo unde habet vox *leo*, quòd significet potius leonem, quam canem?

18. Et quidem nullā esset controversia, si vera esset sententia quorundam docentium voces esse signa naturalia objectorum, quæ significant.

Ita

Ita referuntur tenuisse Socrates, & Cratylus teste Platone in Cratylō. Consensere Pythagorici, & Heraclytus, ut refert Ammonius. Hoc suadebāt ex lenitate, & asperitate spirituum vocalium, quibus objecta designantur, & quasi describuntur. Ex sacra Scriptura posset aliquantulum hæc opinio suaderi, nam Genes. 1. dicitur, quòd Deus adduxit animalia ad Adamum, ut eis nomina imponeret, quo facto, laudatur ejus scientia in nomine adaptatione: *Omne enim quod vocavit Adam animæ viventis, ipsam est nomen ejus.* Sæpe nullam inde laudem mereretur, nisi nomina naturis propria imposuisset, quæ ex se significarent eorum naturas: ergo dum laudatur, ideò quia nomina illa sunt taliter expressiva objectorum; ut sint signū naturale independens ab hominum placito.

Sententiam istam explodit Aristoteles lib. 1. Perihierm. cap. 1. & 2. ubi etiam D. Thomas, N. Ægidius, & omnes interpretes. Ratio qua utitur Plus contra dictum errorem, est, quòd id quod est naturale signum, est idem apud omnes gentes. Patet hoc in fumo naturaliter representante ignem; unde apud omnes, etiam Barbaros, signum ignis est: at vox *leo* non significat apud omnes

leonem, ut patet in Arabibus, Indijs, Afris &c. ergo non est signum naturale, sed ad placitum.

Nec fundamenta opposita alicujus momenti sunt. Quam enim asperitatem invenis in voce *leo* ut naturaliter representet immanis bestiæ ferocitatem? Certè nullam. Immo vox *leo* est suavis, cum ejus significatum sit nimis ferox. Restat, ut unanimiter cum Aristotele fateamur voces esse signa ad placitum ex institutione hominum. Et quidem dum Adam imposuit nomina animalibus, laudatur ejus sapientia, non quia nominibus expresserit naturaliter eorum naturam; sed quia impositis nominibus docuit genus humanum eis uti; veluti proprijs, aut appropriatis eorum naturis. Et quidem cum nomina imposita ab Adam sint linguæ Hebrææ; si forent signa naturalia, omnes nos sine studio calleremus linguam Hebræam; sicuti sine studio scimus fumum esse signum ignis. Quod ex se patet esse sine fundamento.

19. Statuto ergo, quòd verba sunt signa ad placitum, circa dubium principale sunt variæ sententiæ. Prima aliquorum antiquorum dicit, voces constitui signa per relationem realem ad significatum; quæ quidem resultat ex ipsa hominum

C2 num

num prisca voluntate, qua voluerunt significare leonem per vocem *leo*, & non per vocem *lapis*. Hæc sententia jam ferè à Scholis exulavit, & meritò. Primò, quia relatio illa nequit nunc existere quando non existit ejus causa: at homines prisca Authores, & institutores linguæ latinæ (v.g.) jam evanuerunt: ergo implicat, quòd de facto voces habeant relationē istam realem. Præterea: Relatio ista debet habere aliquod fundamentum. At nihil reperitur in vocibus, quòd sit fundamentum hujus relationis: ergo non datur talis relatio. Probatur min. Voces ipsæ, secluso quolibet addito, non sunt fundamentum. Quale enim majus fundamentum invenis in voce *leo*, quàm in voce *lapis*, ut significet animal rugibile? Certè nullum, ut patet ex numero præcedenti. Rursus primus institutor linguæ nihil intrinsecum posuit in voce *leo*, sed solum pro libito voluit apud omnes significare leonem; voluntas hæc nil ponit intrinsecum in voce, ut patet: ergo restat quòd nullum sit in vocibus fundamentum ad talem realem relationem.

20. Propter hæc, & alia cuique obvia, secunda sententia docet voces esse signa rerum per relationem rationis, quam dicunt ad signatum. Hæc

est communis inter Thomistas; & suadetur, quia de ratione signi est relatio ad signatum, sed signum ad placitum non dicit relationem realem: ergo rationis. Hæc relatio est cum fundamento, quia libera hominum impositio, vi cujus vox *leo* significat leonem, est fundamentum quo noster intellectus concipit vocem illam ut relatam ad significatum. Et quidè sicut fumus refertur ad ignem, sic vox *leo* ad leonem; cum hoc discrimine quòd primum est naturale, & independens ab hominum placito, secundum dependet. Ergo invenit intellectus fundamentum ut concipiat voces cum relatione ad signatum.

Contra hanc sententiam invehuntur Arriaga, & alij RR. eo præcipuè, quia relatio rationis est quid fictum; & voces non egent fictione aliqua, ut significant conceptus, aut res conceptas. Secundò, quia relatio rationis non existit, nisi, dum actualiter concipitur, ut patet ex diffinitione entis rationis: at dum utimur vocibus nihil cogitamus de relatione rationis; idque maximè patet in rusticis, quibus in mentem nunquam venit formare talem relationem rationis: ergo voces per illam non constituuntur signa.

21. Sed hæc parum urgent

gent, ut notavit Pater Vazquez, qui docet sententiam Thomistarum. Non primum, quia forsam relatio illa rationis non est quid fictum, ut dicemus in 2. libro Logicæ, Deo dante. Sed admissò cum Thomistis esse quid fictum, fingitur cum fundamento necessitante, ut ibidem ex Ægidio nostro docuimus. Fundamentum necessitans jam explicatum est in expositione sententiæ Thomisticæ. Quare licet non egeamus fictionibus sine fundamento adhibitis, ut voces significant; egeamus fictionibus cum fundamento necessitante; immò ipsum fundamentum necessitans est iudicium indigentia. Sanè, qui ob debilitatem visus utitur perspicillis, utitur quadam fictione, nam instrumenti illius chrysellus facit litteras majores, quàm sunt; & tamen fictio hæc non est inutilis, sed necessaria: ergo pariter de intellectu nostro, qui sine fictione relationum rationis nequit cognoscere signa ad placitum, divinas idæas, & alia quàm plura.

Nec secundum fundamentum urget. Primò, quia mille exemplis instatur. Rusticus enim scit se esse dominum suæ domus, cum tamen nihil cogitet de constitutivo domini, nec sciat in quo consistit. Scit etiam se contraxisse matrimo-

nium, cum nesciat, nec cogitet de mutuo consensu contrahentium per quem constituitur: ergo poterit uti vocibus; quin cogitet de relatione rationis per quam constituuntur in ratione signi. Adde, quòd tertia sententia, quam docet Arriaga cum alijs utentibus contra Thomistas hoc argumento, etiam eo ipso premitur. Nam rustici utentes vocibus, non cogitant de voluntate primi institutoris: ergo per eam non constituetur vox in ratione signi.

Dicendum. Tales relationes rationis, quæ fiunt ab intellectu cum fundamento necessitante, non liberè, sed necessariò ab intellectu fieri; nec fieri per artem, sed per naturalem usum intellectus, qui non potest aliter voces concipere; ut signa rerum, & duci in eorum cognitionem, nisi exercitè (etiam si non advertat) intellectus concipiat voces cum ordine illo ad signatum. Quare relatio illa dum existit, cognoscitur; sed rarò advertimus illam. Sic citharedus insignis, dum pulsat citharam, juxta regulas pulsat, sed non advertit sæpius, quoniam ex nimio usu pulsandi habet quasi naturalem conformitatem cum regulis pulsandi. Hoc modo dum didicimus linguam, nobis nutibus, aut verbis demonstratum est, vocem *leo* significare leonem;

& ad ipsum ordinari: concipimus tunc vocem cum tali ordine; & concipimus nunc; sed ob continuum usum loquēdi, nec advertimus ad talem ordinem, nec opus est advertentia, dum intellectus propter fundamentum necessitans cogitat sine advertentia de tali ordine.

22. Tertia sententia docet voces esse signa rerum constituta per extrinsecam denominationem resultantem in vocibus ex voluntate primi institutoris. Hinc vox *leo* significat leonē, quia sic voluit primus latinę linguę institutor. Ex hac voluntate nihil intrinsecum manet, aut ponitur in voce; sicut ex quo paries videatur, nihil intrinsecum ponitur in pariete, & denominatur extrinsecē visus à visione, quę non est intra parietem, sed intra oculum videntem. Addunt quòd non sufficit prima voluntas institutoris, quia hæc nunc non existit; cum tamen nunc signa signa sint. Sed requiritur, quòd voluntas illa non sit retractata apud homines, sed quòd mora iter perseveret. Hoc probant, tum impugnatione aliarum sententiarum, ut vidimus, tum exemplis.

Primum exemplum est in peccatore, cui dicitur peccator adhuc transacto peccato; quia peccatum censetur moraliter

perseverare usque dum retractetur per voluntatem nostram. Sic dum non sit retractata prima voluntas institutoris, moraliter perseverat, & ab ea sic perseverante sumitur actualis denominatio extrinseca, qua voces constituuntur signa rerum. Secundum exemplum in tritico, qui tantum valet, quantum rex vult per suam taxam; ita ut valor sit extrinseca denominatio sumpta à voluntate regis, quę existit moraliter usque dum retractetur.

23. Negare non possumus voces esse signa per voluntatem institutoris non retractatam; idè enim sunt signa ad placitum, quia pro hominū libito instituta sunt ad significandum. At exempla non videntur oportuna. Non primū, quia licet actio peccaminosa transacta sit, manet tamen macula in anima, vi cuius homo dicitur peccator intrinsecē: unde denominatio peccatoris non est extrinseca, sed intrinseca. Non etiam secundum, quia Rex, aut Princeps potest leges ferre circa valorem tritici, & monetę; quam auctoritatem circa institutorem vocum nemo habet, nec habuit nisi solus Protoparens, datam à Deo, dum attulit ad ipsum animantia, ut eis nomen imponeret. Quidquid sit de exemplis, sententia non videtur suffi

ficiens, nam dat non formam pro forma constitutiva signi ad placitum.

Quod probo sic. Signum dicit ordinem ad signatum, ut patet in signo naturali: ergo signum ad placitum dicit relationem ad significatum. Ergo vel realem, vel rationis: non realem, ut ipsi concedunt contra antiquos AA. primę sententię: ergo rationis, ut docent AA. secundę. Quare illa extrinseca denominatio non est forma constitutiva signi, sed fundamentum ejus. Rursus illa extrinseca denominatio nihil ponit intrinsecum in vocibus: ergo post illam manent voces, ut antea. Sed ante illam per voces non ducebatur intellectus in cognitionem significati: ergo nec post illam, nisi aliud addas.

Præterea: Natura, & ars dum instituunt signa, aliquid ponunt intrinsecum in eis: ergo voluntas hominum dum signa instituit, aliquid debet intrinsecum ponere, & non solum extrinsecam denominationem. Antecedens patet in fumo, qui est signum naturale ignis, habet à natura relationem realem ad ignem signatum, & dependentiam ab eo, ut à causa. Imago Cęsarıs facta ab arte, ab ea recipit relationem realem similitudinis ad prototypum secundum exterior-

ra lineamenta: ergo signa instituta à voluntate nostra, aliquid intrinsecum oportet habere. Quod cum nihil reale sit juxta dicta num. 19. restat esse relationem rationis.

24. Dices. Dum canis audit *Ad catenam*, statim recedit, & vadit ad locum catenę: at voces illę non sunt signa constituta per relationem rationis, cum bruta non habeant intellectum, quo solo formatur ens rationis: ergo voces non constituuntur signa per aliquid rationis. Respondeo primò instando. Canis non cognoscit voluntatem primi institutoris, cum sit animal irrationale: & tamen percipit signum illud ad placitum: ergo non constituitur per voluntatē illam, & sic premeris eodem argumento.

Extra controversiam est, quòd bruta habent etiam sua signa, quibus inter se communicant, ut mutuò se juvent fugiendo malum, & insequendo bonum. At signa ista naturalia sunt, ut probatur ratione data ex Philosopho num. 18. Illa enim sunt signa naturalia, quę apud omnes ubique eadem semper sunt: at bruta eodem modo ubique, & semper, emittunt signa; non enim aliter asinus clamat Matriti, ac Parisijs: ergo signa naturalia sunt.

Ultra hæc, videmus quædam esse animalia docibilia, quæ nutibus externis edocentur, ut Pſittacus sæpè audiens voces nostras, eas reddit, sed non sunt signa respectu ejus, quia non proferuntur cum intentione significandi, nec ipse novit quid significant: quare nec propriè loquitur, sed dici debet ipsum sonos emittere similes vocibus nostris. Canis & alia animalia docibilia edocentur de significato vocum, ut in exemplo dato, & alijs cuique obvijs, ut dum cani præcipis *quære*, sanè discurret hinc inde, ut quærat quod amissum est.

De his dicendum, quòd nutibus edocentur, sæpius enim ostendendo catenam, & simul nominando eam, addiscit voce *catena* significari rem illam, & timore poenæ ad eam etiam invitatus currit, dum audit *ad catenam*. Quid? Vidimus aliquando muricipes, Hispanicè *gatos*, qui dum audiebant vocem latinam *accipe*, concurrerant omnes celeriter, sperantes se aliquid accepturos. Dicemus ne latinos muricipes hos? Non certè. Solebat dominus domus dare ipsis cibum, & simul dicere eis *accipe*: quare dum similem audiebant vocem, excitabantur species tibi, & hilares circuibant Dominum. Ita dum canis audit

*ad catenam*, excitantur species quas habet catenæ, & assuetus puniri, si non vadit ad catenam; obediens licet invitatus accedit.

### §. III.

*Ostenditur voces esse signa naturalia, & ad placitum.*

25. **P**Utabitur forsitan nos scire ex antiquatum errorem docentium, voces esse signa naturalia rerum, quas significant; dum ponimus in titulo voces esse etiam signa naturalia. Impugnativimus jam num. 18. sententiã illam, merito oblivioni datam à qua longissimè distat ea, quam explicandam suscipimus. Vox enim, ut videbitis, signum est vocis imaginariæ, quam intus formamus, & est signum naturale illius; rem autem significatam repræsentat ad placitum; fitque, quòd voces sint signa naturalia, & ad placitum respectu diversorum. Huic sententiæ primus affulsit P. Augustinus lib. 15. de Trinit. cap. 10. & 11. quem sequutus est Angelicus Præceptor, & post ipsum noster Ægidius: est tamè doctrina parum versata in Scholis, sed subtilissima, & scitu digna; quare illam aggredimur hic

hic breviter explicandam.

Igitur locutio est formatio verbi cum intentione significandi. Hinc Pſittacus formans verba, sed non intendens significare, propriè non loquitur, sed unicè emittit sonos, similes vocibus nostris. Ergo tot sunt modi loquendi, quot sunt differentie verborum. At juxta P. Augustinum ubi suprà, datur triplex verbum, scilicet intelligibile, imaginarium, & sensibile: ergo datur triplex locutio, scilicet intelligibilis, imaginaria, & sensibilis.

Ecce totus discursus est N. Ægidij quæst. 13. de locutione Angelorum, quæ est 13. inter quæstiones de cognitione, ubi intendens explicare quot modis loquantur Angeli, tractat de modis quibus homines loquantur, & circa medium dicit hæc: *Sed cum loqui idem sit, quòd formare verbum: quot modis verba formamus, tot modis & loquimur. Unde Augustinus 15. de Trinitate cap. 10. vult, quòd non solum loquamur exterius ore per verba sensibilia, sed quòd loquamur interius corde, sive in intellectu per verba intelligibilia. Et sicut formatio verbi intelligibilis dicitur locutio, & formatio verbi sensibilis locutio vocatur: sic & formatio verbi imaginabilis locutio dici potest. Loquitur ergo intellectualiter,*

*imaginabiliter, & sensibilibiter.*

26. Eandem doctrinam habet D. Thomas in qq. de veritate quæst. 4. quæ est de verbo, ubi in corpore articuli hæc habet: *Sicut in artificeria consideramus, scilicet finem artificis, exemplar ipsius, & ipsum artificium jam productum; ita etiam in loquente triplex verbum invenitur, scilicet id quod per intellectum concipitur, ad quod significandum verbum exterius proferatur, & hoc est verbum cordis sine voce prolatum; item exemplar exterioris verbi; & hoc dicitur verbum interius quod habet imaginem vocis, & verbum exterius expressum, quod dicitur verbum vocis: & sicut in artifice præcedit intentio finis, deinde sequitur excogitatio formæ artificiatæ, & ultimò artificiatum in esse producitur; ita verbum cordis in loquente est prius verbo, quod habet imaginem vocis, & posterum est verbum vocis.*

Ecce ex D. Thoma triplex illud verbum altè explicatum, & ratione confirmatū. Nam locutio est quoddam artificiatum; etenim licet à natura sit quòd homo loquatur, etenim est animal sociale; nec posset societatem rationalem habere sine locutione manifestativa suorum conceptuum; at modus loquendi ar-

te discitur, & arte formatur. Quare sicut in artifice præcedit intentio finis, exemplar postea sequitur artificiati; actandem ponitur in re extrâ artificiatum: sic contingit in locutione. Primò concipit mente homo quæ vult explanare: postea in imaginatione interna format verbum: ac tandem ad instar verbi imaginati producit externam vocem.

27. Hanc triplicem locutionem probat P. N. ubi supra sigillatim. Prima quæ est locutio intelligibilis, per verbum intelligibile, quæ dicitur locutio in corde; probatur à P. nostro ex illo Matthæi 9. ubi Paralytico dixit Iesus: *Dimittantur tibi peccata tua*, quod audientes Scribæ murmurabant *Dicentes intra se: Hic blasphemat.* Supra quæ P. N. *Quid est enim dixerunt intra se: Nisi cogitando.* Denique sequitur: *Et cum vidisset Iesus cogitationes eorum dixit, ut quid cogitatis mala in cordibus vestris: Quale est in libro Sapientie cap. 2. Dixerunt impij apud semetipsos cogitantes; tale est hic cogitaverunt dicentes. Et illic enim, & hic ostenditur intra se, atque in corde suo dicere, id est cogitando dicere. Dixerunt quippe intra se: & dictum est eis, quid cogitatis?*

Ecce locutio in corde est cogitatio: cumque solus Deus

cognoscat secreta cordis, solus Deus audit locutionem illam. Unde Christus Dominus, quem Scribæ negabant Deum, & putarunt blasphemum, quia dimisit peccata, quod est proprium soli Deo; non solum ostendit suam Deitatem donando Paralytico salutem eternam; verum & ostendit detegendo cogitationes eorum, quod soli Deo reservatum est. Loquentes cogitarunt, cogitaverunt intra se dicentes: auditi sunt à Christo Domino vero Deo, qui solus audit verba illa interna intelligibilia.

28. Dices: Locutio ista solum est metaphorica & impropria: ergo ex illa nihil utile educitur pro Scholis. Probatur antecedens. Locutio debet esse ad alterum: sed locutio ista intellectualis non est ad alterum, cum sit plenè occulta: ergo. Rursus loqui est manifestare alijs nostros conceptus, sed per locutionem intelligibilem nulli manifestamus nostros conceptus: ergo. Hæc levia sunt. Immò oppositum ex professo probat D. Thomas num. 26. prælaudatus. Nam cum locutio sit formatio verbi, eò prior est locutio, quò proprius est verbum quod formatur: at verbum proprius dicitur de verbo intelligibili, quàm de externo, & sensibili; ergo locutio prius

prius dicitur de intellectuali, quàm de vocali.

Ecce verba D. Thomæ. *Ad 5. dicendum, quòd quamvis apud nos manifestatio quæ est ad alterum, non fiat nisi per verbum vocale; tamen manifestatio ad se ipsam fit etiam per verbum cordis; & hæc manifestatio aliam præcedit: & ideo etiam verbum interius dicitur verbum per prius. Similiter etiam per Verbum incarnatum Pater omnibus manifestatus est, sed per Verbum ab æterno genitum, eum manifestavit sibi ipsi.*

Ecce Pater æternus sibi ipsi loquens ab æterno, sibi ipsi manifestavit quæ dixit in Verbo: de quo Isaia 4. dicitur: *Quod os tantum Patris locutum est.* Per idem Verbum, sensibili carne vestitum, Pater loquutus est nobis in tempore manifestans nobis secreta cœlestia juxta Apostol. ad Hebræos 1. *Novissimè diebus illis locutus est nobis in Filio.* Quare cum juxta D. Thomam locutio per mentem sit prior locutione externa; locutio primò & per se dicitur de intelligibili; & de externa consequitivè, & participativè ab interna. Accedit P. Augustinus 15. de Trinitate cap. 11. dicens: *Verbum quòd foris sonat, signum est verbi, quòd intus lucet, cui magis verbi competit nomen:* ergo locutio

exterior est signum locutionis internæ, cui magis competit nomen locutionis.

29. Ex his patet solutio ad utramque replicam. Ad primam nego antecedens. Ad probationem nego maj. nam locutio potest esse ad se, ut patet in Patre æterno ab æterno loquente; & in nobis dum intra nos cogitamus. Sed admissa maj. nego min. Nam licet locutio interna sit occulta creaturis alijs, non est occulta Deo, qui novit abscondita cordis, ut dicitur in Scriptura, & vidimus in Christo Domino Matthæi 9. Quare Deo loquimur, & melius loquimur, dum mentis cogitatione loquimur. Ad secundum nego maj. Nam non solum alijs, sed nobis met ipsis possumus nostros conceptus manifestare, ut visum est ex D. Thoma: sed admissa maj. nego minorem, quia saltem Deo possumus abscondita cordis nostri cogitando manifestare.

Sanè dum de insipiente dicitur apud Regium vatem, *Dixit insipiens in corde suo: Non est Deus:* Insipiens locutus est. Item dum Lucifer in corde suo dicebat: *In Cœlum conscendam; super astra Dei exaltabo solium meum* &c. loquebatur: at purè in corde; quia neuter ausus esset tam execrandam exterius proferre blasphemiam



phemiam : ergo datur locutio in corde , & intelligibilis sicut datur verum verbum intelligibile.

30. Dices ; locutio fit per signa : sed verbum intelligibile non est propriè signum , ut diximus quæstione præcedenti , & in præsentî §. 1. ergo locutio intelligibilis non est propria locutio. Respondeo dist. maj. locutio fit per signa , vel per aliquid quod sit perfectius signo , concedo , præcisè per signa , nego major. & concessa minor. nego consequentiam. Locutio utitur signis ad manifestandum quod concipitur. Hoc potest manifestari per duplex medium , scilicet vel per signum , & hoc representat impropiè signatum , ducens in cognitionem ejus : vel per perfectam objecti similitudinè , & tale est verbum mentis. Quare cum verbum perfectius representet , & manifestet objectum , quàm signum ; locutio per verbum perfectior est , quàm per signum propriè tale.

Explicatur hoc in cognitione. Beati vident Deum in se ipso , & effectus creatos in Verbo : nos viatores videmus Deum in creaturis ut in signo , vel remotissimo , quale est vestigium Dei , repertum in creaturis insensibilibus , & irrationalibus ; vel proximo , ut est in creaturis rationalibus , quæ sunt

Imago Dei. Quis melius videt ; & cognoscit ? Certè Beatus. Ergo Deus melius loquitur se ipsum , & dicit se , & manifestat se Beatis per verbum intelligibile quod non est signum ; quàm nobis , quibus manifestat se per creaturas , quæ sunt signa Dei imperfectissima , ut irrationales , vel imperfecta , ut rationales. Continet ergo verbum intelligibile majorem perfectionem representandi objectum , quàm signum : quare locutio per signa non est ita propria , sicut locutio interna per verbum , & si hoc non sit propriè signum.

31. De secunda locutione , quam vocamus imaginariam , audi P. Nostri cap. 11. libri prælaudati : *Omnia namque sonantium verba linguarum , etiam in silentio cogitantur , & carmina percurrunt animo , tacente ore corporis. Nec solum numeri syllabarum , verum etiam modi cantilenarum cum sint corporales , & ad eam , qui vocatur auditus , sensum corporis pertinentes , per incorporeas quasdam imagines suas , præstò sunt cogitantibus , & tacite cuncta ista volventibus.* Ecce juxta P. nostrum voces externæ habent imagines incorporeas intra nos , vi quarum tacente ore volvuntur. Istæ imagines verborum vocalium dicuntur à P. nostro , à D. Tho-

ma,

ma , & Ægidio verba imaginaria.

Ea probat P. Augustinus non autoritate aliqua Scripturæ , vel Philosophi , sed ipsa experientia , communi quidem præcipuè apud scholares. Quoties enim dum silente ore memoriter addiscis carmina Virgilij , aut verba aliqua , legis in codice , & postea revolvis in mente ? Tunc enim habes in imaginatione imagines illas verborum exteriorum , & eas recolis , quasi intus legeres. Immo non solas voces sensibiles , sed cantilenas. Quoties enim postquam audivimus cantilenam , manet in cogitatione , & imaginativa concentus sonorus præauditus ? Sanè sæpissimè : hæc indicia sunt hujus verbi imaginarij , quòd imaginativa nostra format , & per illud imaginariè loquitur.

32. Nota ex Ægidio ubi supra , quòd *Verbum imaginabile ipsius leonis v. g. non appellamus ipsum phantasma leonis , vel ipsum idolum formatum in phantasia : sed verbum imaginarium ipsius leonis possumus appellare hanc vocem imaginatam , quæ est leo.* Et rationem hujus dat infra , *Quia nulla est vox extrà prolata , nisi sit prius in imagine concepta. Quod si contingerent ex ore emittere aliquem strepitum sine conceptione imagina-*

*tivæ , ille strepitus non esset vox , sed sonus tantum. Unde in 2. de Anima , cap. de voce , dicitur , quòd tussis non est vox , nam strepitum illum , quem cum tussimus , facimus , sine imaginatione prævia profertur : ideo talis strepitus non habet rationem vocis.* Hæc Doctor noster.

Pro quibus advertet , quòd juxta Philosophum omnis cognitio nostra incipit à sensu. Ponamus exemplum in visu. Vides leonem pictum , aut verum. Per oculos recipis speciem leonis cum conditionibus materialibus , quæ sunt color , magnitudo , figura. Istæ conditiones dicuntur phantasmata ; & species illa per oculos recepta cum his conditionibus , intrat quasi vestita his phantasmatibus , & intrat in phantasia , quæ est sensus internus. Venit intellectus agens in phantasia , & invenit illam speciem phantasiatam , quæ dicitur vel *phantasma* , vel *idolum* , quia est veluti imago objecti , vestita phantasmatibus materialibus : & cum species hæc sic materialis non possit unci intellectui passibili , qui est pure spiritualis ; ideo intellectus agens denudat speciem illam à phantasmatibus , hoc est à vestibus materialibus coloris , quantitatis , figuræ &c. & sic spiritualizata specie , illam unit in-

tel-



tellectui possibili, quo facto intellectus possibilis intelligit leonem, & per suam intelligentiam producit verbum, hoc est, speciem expressam, quæ est imago spiritualis leonis, quam videt, intelligit, & cogitat in verbo illo.

Nunc intelliges authoritatem Ægidij: dicit quod verbum imaginabile, de quo est nostra conclusio, non est *Phantasma leonis, vel ipsum idolum formatum in phantasia*. Vult dicere, quod verbum imaginarium non est species illa leonis recepta per sensus, & vestita illis conditionibus materialibus coloris, quantitatis, & figuræ. De hac enim specie nulla est controversia, & ab omnibus est concedenda. Sed quod vocamus verbum imaginarium, est imago quædam non naturæ leonis, sed hujus vocis *leo*. Jam vides differentiã utriusque imaginis. Phantasma leonis, vel idolum formatum in phantasia, est imago naturæ leoninæ: verbum quod dicimus imaginarium, est imago quædam hujus vocis *leo*: sed vox *leo* distinguitur realiter à natura leonis significata per vocem: ergo & imagines utriusque, repertæ in phantasia, sunt realiter distinctæ.

33. Nunc sic. Sed pro externa locutione corporali est necessarium quod præcedat in

phantasia imago hæc vocis externæ: ergo necessariò debet concedi verbum imaginarium, & locutio imaginaria. Consequentia tenet, & minor probatur ex P. Augustino; ex D. Thoma, & ex Ægidio. Ex P. Augustino sic. Tacente ore corporis, internè percurrimus carmina, syllabas, dictiones, & quidquid antea vel legimus, vel audivimus, ut patet experientia: at intra nos non sunt voces, carmina, syllabæ, &c. nisi in quadam imagine: ergo habemus intus imagines illas syllabarum, & verborum vocalium.

Ex D. Thoma sic. Iuxta ipsum num. 26. prælaudatum, ita se habet homo exterius loquens, ac se habet artifex exterius faciens artefactum: sed artifex antequam exterius faciat artefactum, prius format intra se imaginem exterioris artefacti, ad cujus exemplar format exterius artefactum: ergo loquens antequam exterius formet verbum vocale, debet interiùs formare imaginem vocis, & hæc est verbum imaginarium.

Ex N. Ægidio sic. Iuxta ipsū vox exterius prolata sine præcedente imaginatione, hoc est sine præcedente imagine sui in phantasia, non est vox, sed sonus: ergo ad locutionem externam, quæ fit per voces, requi-

quiruntur verba imaginaria, hoc est imagines verborum vocalium in imaginativa præcedentes. Probatur antecedens juxta Philosophum 2. de Anima cap. de voce, idè tusis est sonus, & non est vox, quia dum tusimus, proferimus strepitum illum sine præcedente imaginatione, hoc est sine prævia imagine illius vocis: ergo &c. Hinc vides rationem cur Psittacus, & aliæ aves, non loquuntur, sed emittunt sonos, ut supra dictum est.

34. Jam verò, quod per ista verba imaginaria loquamur, probatur facillimè. Primò, quia locutio nihil est aliud quàm formatio verbi: sed internè nostra phantasia format verbum imaginarium, ut probatum est: ergo per illud loquitur imaginariè. Secundò locutio propria est manifestatio quædam conceptus interni; sed sicut per verba vocalia manifestamus conceptus internos, ita per verba imaginaria: ergo per illa propriè loquimur. Probatur min. Idè per verba vocalia manifestamus conceptus internos, quia hæc sunt signa conceptus interni: sed etiam verba imaginaria sunt signa conceptus interni: & solum differunt, quia verba vocalia sunt signa externa; verba imaginaria sunt interna: ergo. Tertiò, locutio per verbum mentis est

vera locutio, ut probatum est: ergo & per verbum imaginarium. Probo consequentiam. Idè primum est verum, quia datur formatio verbi per quod manifestamus conceptus nostros nobis, & Deo, qui novit abscondita cordis: at in secunda locutione etiam formamus verbum, per quod manifestamus conceptus nostros nobis, Deo, & etiam Angelis, qui vident clarè imagines nostræ phantasiæ: ergo si prima locutio est propria, etiam locutio imaginaria.

35. De tertia locutione, quæ fit per exteriores voces, patet ad sensum quod sic locutio propria; immò hanc solam agnoscunt communiter homines, quare non est cur eam suadeamus. Unicè hic notandum est cum P. Augustino loco laudato, quod *Verbum quod foris sonat, signum est verbi, quod intus lucet*, alij legunt, *verbi quod intus latet*. Et cum intus lateant duo verba, scilicet imaginarium, & intelligibile; verbum exterius est signum verbi imaginarij, & verbi intelligibilis.

Sed quæres: an vox nihil significans, v.g. *BliBiri*, habeat interiùs verbum imaginarium? Et videtur quod non; nam si haberet intra nos verbum imaginarium, tunc vox *BliBiri* esset signum illius verbi ima-

imaginarij: sed in hac quaestione num. 16. probatum est ex P. Augustino voces nihil significantes non esse signa: ergo voces non significantes non habent intra nos verbum imaginarium. Secundò, omnis vox quæ est signum alicujus interni, est significativa: sed vox nihil significans, non est significativa: ergo nequit esse signum conceptus, aut alicujus interni. Atqui si haberet interius verbum imaginarium, foret signum illius: ergo non habet verbum imaginarium.

36. Nihilominus dicendum est cum nostro Ægidio, quod voces non significantes habent intra nos verbum imaginarium. Probatur ex eodem, loco prælaudato, ubi dicit: *Vox potest esse dupliciter significativa; uno quidem modo prout significat verbum mentale, vel conceptionem intellectus, & sic non omnis vox est significativa, quia non omnis vox est instituta ad significandum. Alio modo dicitur vox significativa, quia vox prolata se ipsam significat in imaginatione conceptam; & sic omnis vox est significativa; quia nulla est vox extra prolata, nisi sit prius in imaginatione concepta. Ecce conclusionem nostram.*

Quam probo primò ex Philosopho 2. de Anima, ubi diffiniens vocem, illam diffinit

per esse quid significativum: sed non potest intelligi de significatione verbi mentalis, & conceptus interni: ergo debet cum nostro Ægidio intelligi de significatione verbi imaginarij, quod habet interius. Patet consequentia. Quia si omnis vox est significativa, debet esse alicujus interni, cum ad hoc instituta sint voces: quare si non verbi mentalis, saltem verbi imaginarij. Probatur min. ex eodem Philosopho 1. Perhier. cap. 1. & 2. ubi dividit voces in significantes, & non significantes; & de illis dicit significare conceptum mentis, quod negat de istis: ergo dum vocem in communi diffinit per esse significativam, non potest intelligi de significatione verbi mentalis, sed de illa, aut verbi imaginarij.

Secundò probatur ratione Ægidij posita num. 33. in fine. Verbum exterius prolatur sine imaginatione sui, non est vox, sed sonus: sed juxta Philosophum 1. Perhierm. voces non significantes sunt voces: ergo proferuntur cum imaginatione sui, & sic habent intra nos verbum imaginarium. Probatur min. Vox est divisum quod dividitur à Philosopho in significativum, & non significativum: sed de ratione bonæ divisionis est, quod membra dividenda participant

rationem divisi: ergo.

Præterea: Rationes, quibus ex P. Augustino, & D. Thoma supra num. 33. probavimus dari verba imaginaria, probant etiam de vocibus non significantibus. Sicut enim quis silente ore potest memoriter percurrere voces significantes, sic potest voces non significantes, ut patet: sed propter primum dantur internæ imagines vocum exteriorum: ergo & dantur pro vocibus non significantibus. Rursus sicut vox significativa artificiosè proferitur, ita vox non significativa: sed propter primum datur juxta D. Thomam verbum imaginarium, quod est imago vocis significantis: ergo & juxta eundem dabitur imago interna vocis non significantis.

37. Nec objecta in contrarium nimis surgunt. Ad primum disting. maj. Vox *Blictri* esset signum verbi imaginarij, signum purè naturale, concedo signum naturale, & ad placitum, nego maj. & distin. min. Ex P. Augustino probatè est voces non significantes non esse signa, non esse signa naturalia vocis imaginariæ, nego; non esse signa ad placitum alicujus verbi mentalis, concedo min. & in hoc sensu procedebat assertio nostra num. 16. unde nego consequentiam. Ut videbis voces significantes sunt signa natura-

lia verbi imaginarij, & signa ad placitum verbi mentalis. Hoc modo non sunt signa voces nihil significantes: quia licet habeant verbum imaginarium, cujus sunt signa naturalia; non habent verbum mentis, cujus sint signa ad placitum: & hoc modo negatum est esse signa.

Ad secundum distin. maj. Omnis vox, quæ est signum alicujus interni, est significativa, si sit signum verbi mentalis, concedo maj. si sit signum solius verbi imaginarij, subdist. est significativa propriè, nego major. impropriè, quo sensu juxta Philosophum omnis vox est significativa, concedo major. & distin. min. sed vox nihil significans, non est significativa propriè, concedo min. impropriè nego min. & consequentiam. Solutio, & distinctio constant ex verbis datis nostri Ægidij.

38. Dices. Nos quæst. 1. §. 6. à num. 38. diximus voces non significantes substitui re impropriè pro conceptibus, & idè esse terminos syllogisticos: ergo voces non significantes habent non solum verbum imaginarium, sed etiam verbum mentale: ergo sunt signa utriusque verbi: ergo nullum est discrimen datum inter voces significantes, & non significantes.

Respondeo nos ibi locutos de vocibus, ut res quædam sunt; hic autem loqui de eis ut signa rerum & conceptuum sunt. Sit exemplam in voce *homo*, hæc vox est entitas quædam, & res, sumpta voce materialiter pro se ipsa: & insuper est signum rei significatæ scilicet naturæ hominis. Primo modo sumpta habet suum verbum imaginarium, & etiam verbum mentale, quia benè potest intellectus cogitare de illa voce materialiter sumpta. Unde vox *homo* erit signum naturale sui verbi imaginarij & sui verbi mentalis: vel potius erit signatum, cum verbum mentale, & imaginarium, sint signa objecti cogniti; tunc autem objectum cognitum est ipsa vox *homo*. Quare sicut dū cognoscis humanitatem, vel aliam rem, tunc res non est signum verbi mentalis & conceptus interni, sed è contra, verbum est signum rei cognitæ. Sic dum vox *homo* est res cognita, tunc vox *homo* non est signum verbi interni, sed potius verbum est signum vocis *homo* cognitæ: vel si admittas esse signum, erit signum merè naturale, ut dictum est de *Bliciri*.

Hoc modo vox *Bliciri* potest cognosci, ut res quædam & tunc habet verbum mentis, & etiam imaginarium. Cete-

rùm vox *Bliciri* non est signum illius verbi mentalis, sed è contra verbum mentale est signum vocis *Bliciri*, sicut quodlibet aliud verbum mentale est signum sui objecti. Et dato quod *Bliciri* sit signum sui conceptus interni, est signum ejus naturale, non ad placitum.

At verò vox *homo* sumpta formaliter pro humana natura, quam significat, hoc modo habet verbum imaginariū, ut patet: & etiam verbum mentis; cum ex ea ducatur intellectus in cognitionem naturæ humanæ significatæ. Ecce vox *homo* in hac secunda acceptione est signum tum vocis imaginariæ, tum verbi exprimentis rem significatam per vocem. Hoc est proprium vocibus propriè significativis; sed hoc non reperitur in *Bliciri*; quia cum nihil à se distinctum significet, non ducit in cognitionem alicujus distincti: ergo non format intellectus verbum de aliquo objecto distincto, cujus vox *Bliciri* sit signum ad placitum. Ecce discrimen inter voces significativas, & non significativas.

39. Ex his respondeo in forma ad replicam factam. Dist. major. Diximus voces non significativas substituere propriè pro conceptibus, pro conceptibus sui ipsarum, ut res quædam sunt cognoscibiles,

CON

concedo: pro conceptibus objecti distincti per ipsas significati, implitas in terminis, quia implicat nil significare, & habere objectum distinctum ab eis significatum: & dist. consequens: ergo voces non significativæ habent verbum mentale, verbum mentale sui, ut quælibet alia res, concedo: verbum mentale objecti distincti, per ipsas significati, nego consequentiam primam, & distinguo secundam consequens: ergo sunt signa utriusque verbi, verbi mentalis objecti distincti, nego consequentiam. verbi mentalis indistincti à vocibus, subdivid. sunt signa naturalia ejus, concedo consequentiam. Signa ad placitum, nego consequentiam. Solutio & discrimen patent ex dictis.

40. Habes ex hucusque dictis sequentes conclusiones, scilicet, quod datur triplex locutio, *Mentalis, imaginaria, & vocalis*. Insuper quod datur triplex verbum, scilicet *Mentale, imaginarium, & vocale*. Per locutionem, & verbum mentale, potest homo loqui sibi, & Deo tantum: per imaginarium potest loqui sibi, Deo, & Angelis; per vocale potest sibi, Deo, Angelis, & alijs hominibus loqui. Parce prolixitati, oportebat enim doctrinam ferè inveteratam, fusius

pertractare.

Hinc colliges sequentes assertiones. Cum omne verbum sit manifestativum objecti cogniti sibi, aut alijs, modo quo fuerit locutio: & manifestatio fiat per signa propria, vel impropria; posito triplici verbo, necessario debemus ponere triplex signum objecti cogniti, & manifestati. Quare verbum mentale signum est manifestativum objecti cogniti, nec non verbum imaginarium, & vocale. Sed ex dictis habes probatas sequentes conclusiones: Prima *Verbum mentale est signum improprium objecti cogniti*. Patet, quia est signum formale, de quo probatum est non esse propriè signum supra §. 1. num. 6. Secunda conclusio *Signum imaginarium est propriè signum objecti, vel ratione sui, vel ratione signi, & verbi vocalis*. Quoad primam partem probata est ibidem num. 13. Quoad secundam probata est quæst. 3. num. 15. quia sicut character est signum: quia conjungitur signis visibilibus; ita verbum imaginarium signum erit ex conjunctione ad verbum vocale sensibile. Tertia conclusio *Verbum vocale est verè, & propriè signum*. Hæc patet apud omnes, & constat ex dictis tota quaestione ista, & precedenti. Quarta conclusio *Voces non significatæ*

Ec2

ca2

*cativæ sunt aliquomodo significativæ.* Probata est à num. 36. usque ad 40. Quinta conclusio: *Voces non significativæ non sunt signa ad placitum, sunt tamen signa naturalia.* Ibidem probata est, & fortassis infra confirmabitur.

41. Restat nunc ponere conclusiones directè responsivas ad titulum positum in fronte hujus §. Sit ergo prima conclusio: *Voces significativæ ad placitum relatè ad verbum imaginarium, sunt signa naturalia.* Est expressa in Ægidio in loco citato, ubi ait: *Locutio ergo extrà prolata, licèt per comparationem ad verbum intelligibile sit simpliciter ad placitum, per comparationem tamen ad vocem imaginatam est non ad placitum.* Rationem dedit suprà dicens: *Nam leo, ut est vox prolata, nullam aliam vocem imaginatam repræsenterat, sed solam repræsenterat se ipsam in imaginatione conceptam: & hoc est idem apud omnes.* Hanc enim vocem, quæ est leo imaginatam, nullus potest sensibiliter extrà proferre, nisi formando hanc, quæ est leo. Ecce conclusionem nostram, & simul rationem probativam.

Ratio formatur sic. Juxta Philosophum 1. Perhærm. Illud est signum naturale alterius, quod est idem apud omnes gentes: sed vox leo (idem

de qualibet) est signum vocis leo imaginatæ, & hoc apud omnes gentes: ergo est signum naturale vocis, & verbi imaginati. Major patet etiam exemplis, in fumo qui est signum ignis, & naturale, quia apud omnes gentes signum tale est. Min. probatur. Nulla est gens, quæ si concipiat in imaginatione vocem leo, possit illam extrà pronuntiare nisi dicendo leo: ergo vox leo ita est signum vocis leo imaginatæ, ut apud omnes gentes signum sit, & indispensabiliter sit.

Et confirmatur. Illud est signum naturale, quod habet à natura similitudinem cum signato: sed vox leo exterius prolata, habet à natura similitudinem cum voce leo imaginata: ergo est ejus signum naturale: Min. probatur. Similitudo vocis leo cum voce leo imaginata, non pendet ex placito hominum: ergo est à natura. Probo antecedens, Quod est tale ob placitum hominum, potest mutari volentibus hominibus: sed velint, nolint homines, semper vox leo est similis voci leo imaginatæ: ergo non est similitudo ad placitum, sed naturalis.

42. Secunda conclusio *Voces significativæ sunt signa ad placitum relatè ad verbum intelligibile.* Conclusio est Ægidij in ultima autoritate ubi dicit:

*dicat: Locutio extrà prolata, licèt per comparationem ad verbum intelligibile sit simpliciter ad placitum, &c.* Rationem dedit suprà quam sic efformo. Illud est signum plenè ad placitum, quod non est signum apud omnes, sed vox leo non est apud omnes gentes signum verbi intelligibilis leonis: ergo voces significativæ sunt signa ad placitum relatè ad verbum intelligibile. Minor. probo. Licèt omnes gentes dum concipiunt leonem, forment idem verbum intelligibile repræsenterans naturam leonis; non tamè omnes explicant exterius suum conceptum per eandem vocem, nam Hispani dicimus *leon*, Latini *leo*, Itali *leone*, & apud Arabes, Græcos, Germanos, Gallos, & alias gentes, varias invenies voces expressivas pro libito illius verbi mentalis: ergo vox leo &c.

Confirmatur: Quod vox leo explicet apud Latinos naturam leonis præconceptam, pendet non ex similitudine aliqua, sed merè ex hominum placito: ergo est merè signum ad placitum. Antecedens probatur. Vox leo nullam habet similitudinem cum natura leonis, cum vox sit suavis, natura verò leonis ferox. Rursus sicut voluerunt homines explicare naturam leonis per vocem leo potuerunt per hanc *Solgotam, sextertius,*

*&c.* ergo &c.

43. Tertia conclusio. *Voces significativæ, dum supponunt materialiter, sunt signa naturalia verbi imaginati, & verbi intelligibilis.* Patet ex dictis num. 38. Prob. Nam dum concipitur materialiter vox homo, nec cogitat intellectus de suo significato, sed de sola voce homo; tunc format verbum intelligibile quod naturaliter repræsenterat vocem homo; rursus in imaginativa format vocem homo pariformiter necessariò: at vox homo exterius prolata est signum naturale vocis homo imaginatæ, ut probatum est num. 41. Rursus est indistincta objectivè à verbo mentis, in quo vox homo cogitatur: ergo est plenè signum naturale utriusque. Major quoad primam partem patet, quia ut dicemus verbum mentis est signum naturale objecti cogniti. Quoad secundam etiam est certa, quia nulla est natio quæ possit aliter explicare vocem homo, nisi dicendo homo, & habendo in imaginativa vocem homo.

44. Sit quarta conclusio. *Voces non significativæ sunt signa naturalia vocis non significativæ imaginariæ.* Hæc conclusio probata est num. 41. Nā æquè probant rationes illæ ex voce significativa, ac de non significativa. Quinta conclusio.

*Voces non significantivæ, dum concipiuntur ab intellectu tunc sunt signum naturale sui verbi imaginati, & sui verbi mentalis.* Hæc conclusio probatur ex num. 43. Nam, ut diximus q. 1. §. 6. voces non significantivæ faciunt in propositione id quod voces significantivæ dum supponunt materialiter: ergo sunt. Idem quoad concipi, & eodem modo habent verbum imaginatum, & mentale, sibi naturaliter simile.

45. Sexta conclusio. *Verbum imaginatū, & comparativè ad verbum mentis est signum plenè ad placitum.* Hæc probatur ex dictis num. 42. Nam eodem modo vox *leo* imaginata est signum verbi mentalis representantis naturam leonis, quò est signum ejusdem vox *leo* extrà prolata: sed vox *leo* extrà prolata, est signum merè naturale verbi mentalis representantis naturam leonis: ergo vox *leo* imaginata est signum merè ad placitum verbi mentalis. Major patet, quia vox *leo* prolata, & vox *leo* imaginata, sunt perfectè similis, & una est naturalis similitudo alterius.

Septima conclusio. *Verbum imaginatum comparative ad verbum vocale, non est signū sed signatum.* Si tamen accipitur, ut signum est signum naturale. Prima pars est certa, quia signū manifestat signatum, &

ducit nos in cognitionem signati: sed verbum imaginatum non manifestat nobis vocale, sed potius è contra, verbum vocale exterius sonans, est signum verbi imaginati quod intus latet, ut vidimus ex P. Augustino: ergo verbum imaginatum non est propriè signum verbi vocalis, sed signatum per verbum vocale. Quoad secundam partem probatur ex dictis num. 41.

Octava conclusio. *Verbum mentale est signum naturale objecti cogniti ab intellectu.* Probatur. Quia verbum mentale representat objectum cognitum ratione similitudinis cum illo: at similitudo illa non pendet ex placito hominum, sed ex natura cognitionis: ergo verbum mentale &c. Major cum consequentia tenet, & minor est certa, quia, ut docet noster Ægidius, licet Gentes aliter, & aliter pro suo libito explicent naturam leonis per voces diversas; omnes tamen conveniunt in cognoscendo naturam leonis per verbum mentale, quod est idem cum objecto in esse representativo: ergo &c.



## §. IV.

*Nostra sententia circa constitutum signi.*

47. SUPRA notavimus num. 17. signa naturalia constitui per relationem realem ad signatum; quæ conclusio est communis apud DD. eamque cum eis amplectimur, ob rationes ibi insinuat. Certè fumus ut signum ignis dicit relationem ad ignē; sed sicut non pendet à voluntate hominum quòd sit signum ignis, sed à natura id habet, sic nec ab intellectu humano pendet relatio quam dicit ad ignem, sed est indita à natura. Quam ob rem nobiscum communi sententia fixum maneat, signa naturalia constitui per relationem realem ad signatum. Quòd si signum ut objectum est potentia, aut sensus, dicit ad potentiam relationem rationis, ut ibi etiam cum communi Thomistarum, & nostrorū insinuavimus: signum adæquatè constituetur per illam duplicem relationem realem, & rationis. Nec hoc inconvenit, quia non sunt constitutiva ex æquo signi sub eadem ratione, sed sub diversa. Quare sicut signum est signum, & entitas, & sub ratione entis constituitur per

quid reale, sub ratione signi per aliquid rationis: ita signum est objectum potentia, & simul est signum signati sub primo constituitur per quid rationis; sub secundo per relationem realem. Hoc exemplo dilues plura argumenta quibus impugnatur hæc constitutio signi per relationem rationis, ut objectum est, & per relationem realem ut signum naturale est. Ab eis præscindimus, ut ad alia properemus.

Præcipua difficultas est in assignando constitutivo signi ad placitum & contrahitur ad voces significantivas quæ signa ad placitum sunt; de quibus variæ sunt sententiæ, quas cum suis fundamentis retulimus, & expendimus §. 2. per totum. Eis dimissis in sua probabilitate; nos debemus aliter incedere juxta principia nostri Ægidij data §. 3. à num. 41. juxta quæ dicendum est, quòd vox *leo* v.g. idè est signum ducens nos in cognitionem naturæ leonis, per ipsum significantæ, quia est signum naturale vocis *leo* imaginatæ, quæ vox imaginata est signum ad placitum verbi mentalis in quo cogitamus naturam leonis. Quare vox *leo* immediate solum est signum verbi imaginati; & mediante verbo imaginato ducit in cognitionem verbi mentalis, & objecti signati. Quare si vox *leo* non

duce-

duceret immediatè in cognitionem verbi imaginati; rursus si hoc verbum imaginatum non haberet ex se esse signum verbi mentalis; vox *leo* non esset signum naturæ leonis. Res fiet clarior sequentibus conclusionibus.

48. Prima conclusio. Vox *leo* ut signum vocis *leo* imaginatæ, constituitur per relationem realem ad signatum. Probat. Nam verbum vocale est signum naturale verbi imaginati, ut vidimus ex Ægidio num. 41. sed signum naturale constituitur per relationem realem ad signatum, ut notatum est num. præcedenti, & probatum est supra: ergo vox *leo*, & omne signum vocale, ut signum verbi imaginati, constituitur per relationem realem.

Secunda conclusio. Verbum imaginatum constituitur signum verbi mentalis per relationem rationis. Probat. Quia omne signum constituitur per aliquam relationem ad signatum: sed verbum imaginatum non dicit relationem realem ad verbum mentale: ergo solam relationem rationis dicit, per quam constituitur. Major patet, quia signum est veluti medium ad signatum, & propter ipsum signatum, ut supra num. 3. ostensum est ex P. Augustino; ergo est de ge-

nere relativorum, & sic constituitur per aliquam relationem. Min. probatur. Nam verbum imaginatum non est signum naturale verbi mentalis, sed ad placitum; nec habet à natura esse signum, & ordinari ad signatum; sed id habet ab intellectu, & voluntate humana: ergo non dicit relationem realem datam à natura, sed rationis datam ab intellectu nostro.

49. Tertia conclusio. Ut verbum vocale sit signum verbi mentalis, nulla est necessaria relatio rationis, sed sufficit relatio realis. Probat. Per hoc præcisè, quod verbum vocale sit signum verbi imaginati, habet quod ducat in cognitionem verbi mentalis: sed ut verbum vocale sit signum verbi imaginati, non est necessaria relatio rationis verbi vocalis ad imaginatum, sed sufficit relatio realis, quam dicit ad ipsum: ergo ut verbum vocale &c. Minor constat ex prima conclusione. Major probatur exemplo verbi scripti, quod est signum verbi vocalis. Nam per hoc præcisè, quod vox scripta sit signum verbi vocalis, ducit nos in cognitionem non solum verbi vocalis, sed etiam signati per verbum vocale. Rursus si voces nostræ ducerent nos in cognitionem verbi Angelici, duceret etià in cognitionem signi-

ficati per verbum Angelicum.

A ratione probatur eadem maj. Verbum imaginatum nequit cognosci, nisi cognoscatur ut signum verbi mentalis: ergo per hoc præcisè quod verbum vocale sit signum verbi imaginati, ducit nos in cognitionem verbi mentalis significati per imaginatum. Probat. Antecedens. Verbum imaginatum nihil est aliud, quam signum in imaginatione productum ad expressionem verbi mentalis, ut supra probatum est: ergo nequit cognosci &c. Secundò probatur idem antecedens. Verbum vocale nequit cognosci, ut verbum vocale, nisi cognoscatur ut signum verbi interni: ergo nec verbum imaginatum potest cognosci, nisi cognoscatur ut signum verbi mentalis.

50. Confirmatur. Sicut quod est causa causæ est causa causati; ita quod est signum signi est signum signati: sed ut verbum vocale sit signum verbi imaginati, non est necessaria relatio rationis, sed sufficit relatio realis, ut probatum est: ergo ut verbum vocale sit signum verbi mentalis, nulla est necessaria relatio rationis, sed sufficit relatio realis, terminata ad verbum imaginatum.

Confirmatur secundò. Verbum vocale non habet ex se

quod sit signum, aut quod significet, sed id habet à signo imaginato: ergo licet verbum vocale dicatur signum ad placitum verbi mentalis, hoc non habet ex se immediatè, sed mediante signo imaginato. Totus discursus patet ex dictis, nam voces nihil significantes, nullo modo sunt signa ad placitum alicujus verbi mentalis, quia sua verba imaginata non sunt signa ad placitum alicujus verbi mentalis. Rursus ut num. 33. probatum est, nequit produci verbum vocale nisi ad exemplar verbi imaginati, & sine illo verbum vocale non esset vox, sed sonus. Ergo à verbo imaginato habet verbum vocale quod sit vox; & ab eodem, ut à signo verbi mentalis, habet quod sit signum verbi mentalis.

Nunc sic: sed quidquid habet verbum vocale ab imaginato, id habet præcisè per relationem realem ad imaginatum: ergo per solam relationem realem ad imaginatum habet quod sit signum ad placitum verbi mentalis. Probat. hæc minor. Quiddam habet verbum vocale ab imaginato, habet quatenus vocale est signum imaginati: sed est signum ejus naturale per relationem realem ad illud, ut probatum est conclusione prima: ergo.



Confirmatur tertio. Verbum vocalesolum est signum ad placitum verbi mentalis, quatenus vox est expressio externa verbi imaginati, quod est proprie signum verbi mentalis, sed ut vox sit expressio externa verbi imaginati, sufficit sola relatio realis ad verbum imaginatum, ut probatum est conclusione prima: ergo illa sufficit, ut verbum vocale sit signum ad placitum verbi mentalis. Minor cum consequentia tenet, & major probatur. Ideo vox *homo* est signum ad placitum verbi mentalis representantis naturam humanam, secus vox *Blicliri*; quia licet utraque vox sit signum sui verbi imaginati; at verbum *homo* imaginatum est signum ad placitum verbi mentalis representantis naturam humanam, secus verbum *Blicliri* imaginatum: ergo verbum vocale &c.

## §. V.

*Solvuntur argumenta contra nostram sententiam.*

31. ARGUES primò. Verbum vocale per nos habet quod sit signum naturale, & quod sit signum ad placitum, sed per relationem realem ad verbum imaginatum solum potest ha-

bere rationem signi naturalis: ergo ut sit signum ad placitum necessaria est aliqua relatio rationis. Major constat ex dictis §. 3. Minor probatur, Relatio realis est data à natura, sed signum ad placitum nequit constitui per aliquid datum à natura: ergo.

Confirmatur. 1. Verbum vocale nequit esse signum ad placitum verbi mentalis, nisi dicat relationem ad verbum mentale: sed ad verbum mentale non dicit relationem realem, ut patet, cum non sit signum naturale ejus, sed ad placitum: ergo ut sit signum ad placitum verbi mentalis, debet dicere relationem rationis ad illud. Probatur major. Primò à paritate. Quia verbum vocale nequit esse signum verbi imaginati, nisi constituatur per relationem ad illud: ergo nec potest esse signum verbi mentalis, nisi dicat relationem ad illud. Secundò à ratione. Nam signum est propter signatum, & sic est de genere relativorum: sed quod est de genere tali, debet constitui per relationem ad terminum: ergo &c.

Confirmatur secundò. Verbum vocale nequit esse signum verbi mentalis mediata, vel immediata, nisi dicat ordinem ad verbum mentale mediata, vel immediata: sed nec mediata, nec immediata potest dicere

ordinem realem ad verbum mentale: ergo per relationem realem non potest constitui signum verbi mentalis. Major patet, quia de ratione signi est referri ad signatum, eo modo quo fuerit signum; ita ut si sit signum immediatum, referatur immediatè, si mediatum mediata. Minor etiam constat, nam per relationem realem solum constituuntur signa naturalia, non autem signa ad placitum: sed verbum vocale nec mediata, nec immediata est signum naturale verbi mentalis, sed purè ad placitum; ergo.

32. Duplici via possumus incedere in solutione hujus argumenti. Prima est dicendo, quod verbum vocale refertur ad mentale, non per relationem rationis, quæ sit in verbo vocali, sed per relationem rationis, quæ est in verbo imaginato. Quod sufficere patet, quia verbum vocale non est signum immediatè verbi mentalis, sed mediata scilicet medio signo imaginato: ergo sufficit quod dicatur relatum per relationem non existentem in se, sed in verbo imaginato, sicut quia juxta communioem sententiam Thomistarum actus imperatus non est liber immediata, sed mediata, mediante scilicet actu voluntatis imperantis; ideo non est liber libertate quæ sit in ipso actu

imperato, sed quæ est in imperante; nec refertur ad potentiam liberam per relationem, quæ est in ipso actu imperato, sed per relationem, quæ est in imperante: ergo pariter &c.

Appono exemplum practice in deambulatione, quæ est actus potentie obedientis voluntati nostræ. Potentia deambulativa non est libera, quia non est rationalis, & deliberativa; at quia nata est obedire voluntati, quæ est potentia libera; ideo ut imperata à voluntate, est mediata libera. Item deambulatio non est actus liber ob eandem rationem: ceterum ut imperatus à voluntate, est liber mediata. Et nota, quod etiam si imperium sit efficax, deambulatio infallibiliter secuta, adhuc dicitur libera. Non immediata, quia immediata nascitur à potentia deambulativa, quæ non est libera: sed mediata, quia nascitur ab imperio voluntatis, quod est formaliter liberum. Ecce nunc argumentum. Omnis actus liber mediata, vel immediata, debet mediata, vel immediata dicere relationem ad potentiam liberam, cujus est effectus; sed deambulatio non est effectus immediata liber, sed mediata: ergo dicit mediata relationem ad potentiam liberam. At non dicit relationem, quæ



fit in deambulatione, quia non est libera ratione sui, & immediatè, sed refertur per relationem quæ est in actu voluntatis imperante, medio quo dicitur deambulatio effectus liber: ergo cum verbum vocale non sit immediatè signum verbi mentalis, sed mediatè, scilicet ratione verbi imaginati; non debet referri ad mentale per relationem rationis, quæ sit in verbo vocali, sed in verbo imaginato.

53. Secunda via, negando quòd ullo modo debeat referri verbum vocale ad mentale. Ratio est, quia signum talem petit relationem, ut ducat intellectum in cognitionem signati: sed verbum vocale nō ducit in cognitionem verbi mentalis, sed in cognitionem verbi imaginati, quòd est signum mentalis: ergo nullo modo dicit relationem ad mentale. Ultrà verbum vocale eo modo debet referri quo est signum: at non est signum verbi mentalis nisi quia est signum verbi imaginati: ergo unice petit referri ad verbum imaginatum. Juxta utramque viam possunt solvi ferè omnia argumenta.

54. Juxta primam respondeo ad argumentum dist. majorem: verbum vocale per nos est signum ad placitum; immediatè, nego major, me-

diatè, concedo major. & concessa minori disting. consequens: ergo ut sit signum ad placitum est necessaria aliqua relatio rationis, relatio quæ sit in verbo vocali, nego; quæ sit in verbo imaginato, concedo consequentiam. Distinctio, & solutio constant ex immediatè dictis.

Ad confirmationem primam disting. major. nequit esse signum ad placitum nisi dicat relationem rationis; nequit esse signum ad placitum immediatè, concedo; mediatè, subdisting. sine relatione rationis quæ sit in se ipso, nego quæ sit in verbo imaginato, concedo major. & concessa minor. disting. consequens: ergo ut sit signum ad placitum verbi mentalis debet dicere relationem rationis; ut sit signum immediatum, concedo consequentiam, sed non est tale, ut probatum est. Ut sit signum mediatum, subdisting. debet dicere relationem rationis in se ipso, nego consequentiam, in verbo imaginato, concedo conseq.

Ad secundam confirmationem concedo totum discursum cum suis probationibus; nam juxta primam viam explicatam non potest esse signum ad placitum mediatè, aut immediatè, nisi per relationem rationis referatur mediatè, vel

immediatè. Ceterum nil contra nos, quia ponentes verba vocalia ut signa mediata mentis, dicimus referri ad mentale per relationem rationis existentem in verbo imaginato, unde nunquam vincitur in verbo vocali aliud præter relationem realem ad verbum imaginatum.

55. Juxta secundam viam respondeo aliter ad argumentum disting. major. verbum vocale per nos est signum ad placitum immediatè, nego major. mediatè, subdisting. præcisè, quia est signum naturale signi ad placitum, concedo major. aliter, nego major. & disting. min. sed per relationem realem solum habet quòd sit signum naturale, signum naturale utcumque, nego min. signum naturale signi ad placitum, concedo mino. & nego consequentiam. Non aliter juxta hanc secundam viam verbum vocale est signum ad placitum verbi mentalis, nisi essendo signum naturale verbi imaginati, quod est signum ad placitum verbi mentalis: sed ut verbum vocale sit signum verbi imaginati, sufficit relatio realis, ut probatum est: ergo eadem sufficit, ut sit mediatè signum ad placitum verbi mentalis.

Ad primam confirmationem juxta hanc viam, nego

major. vel illam disting. nequit esse signum ad placitum verbi mentalis, nisi dicat relationem ad verbum mentale; nequit esse signum immediatum, concedo major. mediatum, nego major. & concessa min. nego consequentiam sub distinctione data. Ad primam probationem major. concessa antecedenti, nego consequentiam, disparitas est, quia verbum vocale est signum immediatum verbi imaginati, & sic debet dicere relationem ad illud: at non est signum immediatum verbi mentalis, sed mediatum; & hoc non petit relationem ad signatum mediatum. Ad secundam probationem major. disting. major. signum est propter signatum, signum immediatum, concedo, signum mediatum subdisting. est propter signatum immediatum concedo, propter signatum mediatum iterum subdisting. est mediatè concedo major. immediatè, nego maj. & distinguo min. debet constitui per relationem ad terminum immediatum concedo mino. ad terminum mediatum, nego min. & consequentiam.

Tota confirmatio tenet de signo immediato, & verificatur in verbo vocali, quod est immediatum signum verbi imaginati; nam est propter illud, & est de genere relativorum,

& constituitur per relationem ad illud, ut diximus in prima conclusione. Ceterum relatè ad signum mediatum, non est vera doctrina confirmationis: quia signum mediatum non est propter signatum mediatum, quare non debet ad illud referri, sed ad immediatum. Et dato quòd sit etiam propter signatum mediatum, quia tam verbum vocale, quàm imaginatum, sunt propter manifestationem mentalem; at vocale non est immediatè propter mentale, sed mediatè scilicet medio verbo imaginato: ergo solum debet constitui verbum vocale relativum per relationem ad imaginatum; & hæc est realis, ut probatum est conclusione prima.

Ad secundam confirmationem, quæ juxta hanc secundam viam est difficilior, & est replica solutionis datæ, respondeo negando major. quia ut mediatè sit signum verbi mentalis, non requiritur, quòd verbum vocale mediatè referatur ad mentale; sed satis est quòd immediatè referatur ad imaginatum, quod est signum mentalis. Ad probationem maj. disting. major. De ratione signi est referri ad signatum, de ratione signi immediati, concedo; de ratione signi mediatu, subdisting. est referri ad signatum immediatum, conce-

do; ad signatum mediatum; nego maj.

Sed dices. Quia de ratione causæ est referri ad effectum, causa immediata refertur immediatè, & causa mediata refertur mediatè ad effectum mediatum, ut patet in Adamo, qui non solum refertur immediatè ad filios suos, sed mediatè ad nepotes: ergo quia de ratione signi est referri ad signatum, non solum signum immediatum referretur immediatè, sed & signum mediatum mediatè. Propter hanc replicam, & argumentum infra ponendum videtur prima via solidior pro solutione. Nihilominus.

Respondeo concessio antecedenti, nego consequentiã, vel distinguo antecedens, quia præcisè, nego antecedens; quia, & quoniam causa immediata recipit à mediata virtutem agendi effectum, concedo antecedens, & disting. consequens. Si signum immediatum reciperet à mediato vim significandi, concedo consequentiam, si nõ recipiat, nego consequentiam. Adamus refertur mediantibus filiis, quorum est causa immediata, ad nepotes, quorum est causa solum mediata. Hoc ideò, quia filij qui sunt, causa immediata nepotum, recipiant ab Adamo virtutem generandi, & causandi nepotes. Et quòd hæc

hæc sit ratio potissima, & non præcisè ratio causæ mediata, suadetur ab opposito. Nam licet corpus sit causa immediata animæ: & anima sit causa intellectionis, & volitionis; corpus non refertur ad intellectionem, & volitionem, quarum est causa mediata; hoc ideò, quia anima non recipit à corpore virtutem intelligendi, & volendi, quam habet ex se. Ergo in causis valet, quòd immediata refertur immediatè, & mediata mediatè, si causa immediata recipit à mediata vim causandi.

Pariter dicendum est de signis. Quando signum mediatum dat signo immediato vim significandi, tunc signum mediatum refertur mediatè ad signatum. Sic quoniam vox scripta est signum verbi vocalis; & habet quòd sit signum à litteris, ex quibus formatur; ideò litteræ non solum immediatè referuntur ad vocem scriptam, sed mediatè etiam ad verbum vocale. At quando signum immediatum non recipit à mediato vim significandi, tunc signum mediatum non debet referri ad signatum mediatum. Ita contingit in nostro caso; nam verbum imaginatum, quod est signum immediatum verbi mentalis, non recipit à verbo vocali vim significandi mentale, sed recipit hanc vim à volun-

tate, & placito hominum, & ideò constituitur per relationem rationis ad verbum mentale, ut probatum est.

57. Argues secundo. Ideò per nos voces constituuntur signa per relationem realem ad verbum imaginatum, quia sunt signa naturalia verbi imaginati: sed hæc ratio non tenet: ergo nec tenet quòd voces sint signa constituta per relationem realem sine relatione rationis. Probatur minor. Primò. Verbum vocale, & verbum imaginatum non sunt similia per naturam: ergo falsa est ratio &c. Probatur antecedens. Verbum imaginatum per nos est signum ad placitum, & verbum vocale est signum naturale; sed signum naturale nequit esse simile signo ad placitum: cum constituantur per rationes formaliter oppositas intra rationem communè signi: ergo &c.

Secundo probatur minor. ut verbum vocale esset per naturam signum verbi imaginati, debebat esse simile verbo imaginato, in ea ratione, qua verbum imaginatum est signum verbi mentalis: sed juxta nostram doctrinam patet, quòd in ea ratione non possunt assimilari: ergo. Probatur hæc minor. Verbum imaginatum habet, quòd sit signum ex vi relationis rationis ad suum signatum,

tum: sed nos non ponimus in verbo vocali relationem rationis, sed solam relationem realem; & inter relationem realem, & relationem rationis nulla est similitudo naturalis, imò nec proportio: ergo juxta nostram doctrinam &c.

Tertio. Probatur eadem min. principalis. Ut verbum vocale sit signum ad placitum verbi mentalis, debet vel dicere ordinem ad verbum mentale; vel saltem esse signum naturale verbi imaginati, eo modo, & in ea ratione, qua verbum imaginatum est signum verbi mentalis: sed verbum imaginatum est signum verbi mentalis per solam relationem rationis, in qua non est simile ei verbum vocale per relationem realem, ut probatum est: ergo restat ponere in verbo vocali relationem rationis, qua vel referatur ad verbum mentale, vel sit perfecte simile verbo imaginato: & consequenter non tenet ratio nostra probativa.

58. Confirmatur. Vel verbum vocale est perfecte simile verbo imaginato, vel non est perfecte simile: sed quidquid respondeamus est contra nos: ergo perperam assignamus constitutum signi in vocibus. Probatur minor per partes. Quoad primam sic. Si verbum imaginatum est per-

fectè simile verbo vocali, hoc non poterit esse proprie signum illius; nam unum simile non potest esse signum alterius perfecte similis, ut diximus num. 11. conclusione 4. sed si non est proprie signum, non erit signum naturale verbi imaginati; & sic ruit tota doctrina nostra: ergo ad salvandam nostram doctrinam non possumus dicere, quod verbum vocale sit perfecte simile verbo imaginato.

Quoad secundam partem probatur minor, scilicet, quod nec possumus dicere, quod non est perfecte simile. Si non est perfecte simile, jam in aliquo disconveniunt: sed id, in quo disconveniunt, tollit à vocibus, quod sint signa verbi mentalis per solam relationem realem: ergo si concedimus non esse perfecte simile, est contra nostram doctrinam. Probatur minor. Id, in quo disconveniunt juxta nostra principia, est quod signum imaginatum dicit relationem rationis; secus verbum vocale: at per solam relationem rationis potest signum ducere in cognitionem verbi mentalis: ergo &c.

Confirmatur secundo. Sicut vox *homo* potest sumi materialiter pro se, vel formaliter pro suo significato; ita verbum imaginatum *homo* potest sumi materialiter pro se, & for-

formaliter pro suo significato: sed per relationem realem verbum vocale solum est signum naturale verbi imaginati, sumpti pro se, & materialiter: ergo per solam relationem realem non habet verbum vocale esse signum imaginati, ut imaginatum est signum verbi mentalis. Consequentia tenet; major est certa, & minor probatur. Verbum imaginatum sumptum pro se, distinguitur à se ipso sumpto formaliter, per hoc præcisè, quod sumptum formaliter dicit relationem rationis ad signatum; sumptum pro se non dicit relationem rationis ad signatum, sed verbum vocale per solam relationem realem non assimilatur verbo imaginato, ut dicenti relationem rationis, sed ei, ut non dicenti relationem rationis ad signatum: ergo per solam relationem realem solum habet esse signum verbi imaginati sumpti materialiter.

59. Pro solutione nota, quod verbum vocale habet esse signum verbi imaginati dupliciter; vel quia verbum imaginatum est causa exemplaris verbi vocalis; vel quia verbum vocale est imago verbi imaginati. Prima ratio est D. Thomæ; secunda nostri Ægidij, & de utroque egimus numero 33. Pro utraque requiritur similitudo, nam exempla-

tum debet esse simile exemplari suo; & imago suo prototipo. At hæc similitudo debet esse perfecta, quia aliàs tolleretur rationem signi, ut vidimus num. 11. similitudo tunc dicitur perfecta, quando duo conveniunt in eadem forma eodem modo habita, ut videre est apud D. Thomam 3. p. q. 4. art. 3. Quare ut detur ratio propria signi, oportet quod detur similitudo cum aliqua dissimilitudine, saltem in modo habendi formam.

Hinc dicimus, quod verbum vocale est signum proprie verbi imaginati, & est signum naturale. Naturale, quia est tale apud omnes, ut vidimus ex Ægidio num. 41. est signum proprie, quia non est perfecte simile. Dissimilantur enim in modo habendi formam; nam verbum vocale habet formam vocis sensibilem per sensus externos; verbum imaginatum non est audibile, nec visibile, quare non habet formam sensibilem per sensus externos; sed per internos. Et cum sensus interni sint minus materiales, quam externi; forma verbi imaginati est minus materialis, quam verbi vocalis. Ecce quomodo non sunt perfecte similia, & sic unum est proprie signum alterius.

Nota secundo. Quod ut verbum vocale sit signum ima-

ginati, non solum sumpti materialiter, sed sumpti formaliter, non requiritur quod assimiletur ei in relatione rationis, per quam constituitur signum verbi mentalis; sed satis est, quod ei assimiletur in eis, quae habet materialiter sumptum. Ostenditur exemplis. Imago Caesaris equitantis est vere signum ducens nos non solum in cognitionem Caesaris materialiter sumpti, sed etiam formaliter ut spiritus bellatores &c. & tamen pictura solum assimilatur in materialibus lineamentis, non autem in spiritualibus viribus spiritus, valoris, & animositatis. Id ipsum patet in reliquis signis materialibus, quae sunt signa ex vi similitudinis cum signato.

Signa autem alia, quae non dicunt similitudinem cum signato, ut fumus cum igne, cuius est signum; sunt signa quatenus effectus sui signati. Et cum voces sint effectus verbi imaginati, quod est causa tum finalis verbi vocalis, nam ideo hoc datur, ut imaginatum exprimat, & extra pateat; tum exemplaris, quia ad instar imaginati formatur vocale; ideo verbum vocale qua parte non assimilatur imaginato, erit signum ejus, ut effectus suae causae; & sic ob utramque rationem ducit in cognitionem verbi imaginati formaliter.

60. His notatis, respondeo in forma ad argumentum negando minor. ad primam probationem nego antecedens, ad ejus probationem concessa majori, disting. mino. signum naturale nequit esse simile signo ad placitum, similitudine perfecta, & in omnibus, concedo minor. similitudine imperfecta, & in sufficientibus, nego minor. & consequentiam. Ad probationem minoris inclusam dic, quod rationes formales oppositae obstant perfectae similitudini, non autem imperfectae, ut patet in homine, & equo constitutis per differentias oppositas, & tamen sunt similes imperfecte. Admittimus verbum vocale non esse simile imaginato perfecte, & in omnibus; immo hoc est necessarium ad rationem signi proprii. Est tamen simile in eis quae sufficiunt, ut naturaliter verbum vocale ducat nos in cognitionem verbi imaginati, ut patet, & infra dicitur.

Ad secundam probationem minoris, disting. major. ut verbum vocale esset signum naturale &c. debebat assimilari in ea ratione, qua imaginatum est signum mentalis; assimilari perfecte, & quoad omnia, nego major. imperfecte, & quoad sufficientia, concedo major. & disting. minor. juxta nostra principia non assimilan-

tur

tur perfecte, & quoad omnia, concedo, imperfecte, & quoad aliqua, nego minor. & consequentiam. Ad probationem minor. disting. major. verbum imaginatum habet quod sit signum ex vi relationis rationis, nego major. ex vi relationis fundatae supra vocem imaginatam formatam ex intentione expressandi verbum mentale, concedo maj. & concessa minor. nego conseq.

Ratio signi in verbo imaginato non est sola ratio rationis, nec sola vox imaginata, sed utrumque: sicut in fumo, ratio signi non est sola ratio ad ignem, nec fumus solus, sed utrumque, scilicet fumus ut relatus ad ignem. Jam vero verbum vocale non est perfecte, & in omnibus simile imaginato, ut concedimus; est tamen imperfecte simile, & in sufficientibus: quia utrumque verbum assimilatur in forma vocis, & in intentione, qua formata est, quia utraque formatur ad manifestationem verbi mentalis; aliter & aliter, quia imaginata, est signum parum ad placitum verbi mentalis, & immediatè signat verbum mentale; vocalis autem non est signum mentalis immediatè, sed medio imaginato, cujus est naturale signum, non signum in omnibus simile, sed in expressatis, quae suffi-

ciunt, ut dictum est, & constat ex dictis de imagine Caesaris.

Ad tertiam probationem minor. constat ex dictis, pro secunda respondeo disting. major. quoad secundam partem, concedendo de similitudine imperfecta, & in sufficientibus; negando de similitudine perfecta, & in omnibus. Et disting. minor. ut supra; verbum imaginatum est signum mentalis per solam relationem rationis, *ly per solam* excludente relationem realem, concedo; excludente rationem vocis imaginatae ex intentione expressandi verbum mentale, nego minor. & inclusum in minori, quia in hoc ultimo jam assimilatur verbum vocale, & imaginatum, quod sufficit ut dictum est.

Ad primam confirmationem dic verbum vocale non esse perfecte simile imaginato; unde nego minor. quoad secundam partem. Ad probationem ejus, concedo major. scilicet quod utrumque verbum disconvenit; & nego minor. Ad ejus probationem, concedo major. scilicet quod disconveniunt in eo, quod verbum vocale non dicit relationem rationis. Et disting. minor. sed per solam relationem rationis potest signum ducere in cognitionem verbi mentalis, signum imaginatum quod est immediatum, concede-

Gg2

do

do; signum vocale, quod est mediatum, nego min. & consequentiam. Nam voces non sunt signa verbi mentalis immediate; sed mediate, scilicet quatenus ducunt in cognitionem verbi imaginati. Sed ad ducendum in cognitionem verbi imaginati non est necessaria relatio rationis, sed realis, ut probatum est num. 49. ergo disconvenientia utriusque signi penes relationem rationis, non tollit à signo vocali, quod ducat mediate in cognitionem verbi mentalis.

Ad secundam confirmationem concessa majori, nego min. Ad probationem nego maj. semper enim verbum *homo* imaginatum dicit relationem rationis ad signatum, etiã quando sumitur materialiter. Ratio est, quia semper verbũ *homo* est vox formata ex intentione explicandi verbum mentale. Quod si aliquando, & non semper sumitur materialiter, hoc est ratione prædicati ei adjuncti, ut quando imaginarius sic *homo est vox*: tunc enim prædicatum non convenit signato vocis *homo*, sed ei materialiter sumptæ; ceterum retinet relationem ad signatum, vi cuius potest additione huius verbi *significativa*, verificari, dicendo *homo est vox significativa*. Ecce hic supponit *homo* materialiter pro se, &

tamen *homo* dicit relationem rationis ad verbum mentale, quia solùm ratione ejus est significativa ad placitum. Idem est si dicas *Homo est vox bisyllaba significativa*; *ly homo* sumitur materialiter, & tamen dicit relationem rationis ad signatum.

Imò hinc confirmatur solutio data: quia vox significativa imaginata, sive sumatur materialiter, sive sumatur formaliter, semper dicit relationem rationis ad signatũ mentale: ergo quod ducit in cognitionem verbi imaginati, ducit in cognitionem illius, ut dicentis relationem rationis ad verbum mentale: at verbum vocale per solam relationem realem ducit in cognitionem verbi imaginati, cujus est signum naturale: ergo non est necessaria relatio rationis in verbo vocali, ut ducat mediate in cognitionem mentalem. Tota solutio huius argumenti est juxta secundam viam, in qua est difficilior.

Juxta primam viam breviter, & dilucidè solvitur, dicendo verbum vocale esse signum ad placitum verbi mentalis, sicut verbum imaginatũ; cum solo discrimine quòd vocale est mediatum; aliud immediatum. Jam verò duo signa ad placitum possunt esse naturaliter similia; per quod cessat prima probatio argumēti. Secunda & tertia cessant, quia licet non ponamus in verbo vocali relationem rationis, ponimus, quòd vocale refertur ad mentale per relationem rationis existentem in imaginato: ergo ponimus utrumque verbum vocale, & imaginatum, relatum ad mentale per relationem rationis. Ecce similitudo in eo quòd constituit imaginatum signum mentalis. Prima confirmatio cessat, quia discrimen est, quòd imaginatũ immediate refertur ad mentale per relationem rationis, quæ est in ipso; vocale mediate, & per relationem rationis in alio. Hoc non tollit, quòd sit signũ mentalis, sed quòd sit immediatum, quod non est contra nos. Cessat etiam secunda confirmatio. Quia dum vocale sumitur materialiter, nullo modo refertur per relationem rationis ad verbum mentale; secus quando sumitur formaliter. Idem contingit in verbo imaginato; quare est ei simile sufficienter. Ex dictis solves alia argumenta minoris notæ.

Colliges primò ex dictis voces non significativas esse signa sui verbi imaginati per relationem realem ad illud. Probatur. Quia signum naturale constituitur per relationem realem, ut dictum est; sed vox non significativa est signum na-

turale sui verbi imaginati, ut probatum est num. 44. ergo constituitur tale per relationem realem.

Colliges secundò. Quòd dum voces non significantur concipiuntur ab intellectu, tunc sunt signum sui verbi mentalis, per relationem realem. Probatur. Quia signum naturale constituitur per relationem realem: sed voces sunt signa naturalia sui verbi mentalis, dum ipsæ concipiuntur: ergo &c. min. probata est numero 44. Plura alia poteris ex dictis colligere, à quibus superedemus, ne multis reflexionibus in re nullius ferè momenti implicemur.

Observandum tamen, quòd in loquente, & audiente est ordo inversus verborum. Loquens enim prius concipit objectum, & facit verbum mentale; postea intendit exprimere, & manifestare suum verbum mentale, & facit verbum imaginatum. Sed cum vi huius verbi non sit exterius expressatum suum verbum mentale, ideò ad instar verbi imaginati format verbum vocale. Quare loquens incipit à verbo mentali, sequitur verbum imaginatum, ac tandem vocale ad præsentem. Quòd si absentibus id velit manifestare, format verbum scriptum. Hic est ordo loquentis.

Audiens à contrario, incipit à verbo vocali, transit ad imaginatum, & finit in mentali. Et nota, quòd quicquamque ignarus linguæ audit verbum, naturaliter ducitur in cognitionem verbi imaginati. Ceterùm sicut ibi usque dum sciens significationem, cognoscit terminum relationis rationis verbi imaginati ad mentale. Sit exemplum in hoc verbo græco *usia*; hoc verbum vocale à quocumque audiat, ducit eum in cognitionem verbi *usia* imaginati. At volens inde transire ad significatum, non potest, quia scit quidem aliquid significare, sed nescit quid sit; unde non cognoscit relationem rationis, quam dicit *usia* ad suum significatum. Postea tamen ac audit Græcos voluisse significare substantiam eo verbo, cognoscit relationem rationis, quam verbum *usia* imaginatum dicit ad verbum mentale substantiæ.

Hinc colliges, quòd prima via solvendi argumenta est clarior, & verior: nam juxta eam possumus respondere, non verò juxta secundam huic difficili quæsito: si vox *usia* est signum naturale verbi imaginati, & medio illo verbi mentalis, cur nesciens significatum audiendo verbum *usia*, non ducitur in verbum mentale; benè verò, qui scit significa-

tum? Respondetur facile juxta primam viam. Quia verbum vocale debet referri per rationem ad mentale, relatione existente in verbo imaginato: qui autem nescit significatum, non cognoscit relationem verbi imaginati ad signatum; & idè non refertur ad illud in nesciente: benè verò in sciente.

Juxta hanc viam, & solutionem vides, quòd nisi loquens, & audiens actu considerent relationem rationis verbi imaginati ad mentale imaginatum non est signum, nec significat aliquid determinatè; aut saltem non cognoscitur, ut signum significans. Et sic cessant quæ contra sententiam Thomistarum objecimus de mente RR.

Juxta secundam viam difficulter respondetur quæsito. Dicendum tamen, quòd ignorans significatum vocis *usia* dum illam audit, cognoscit naturaliter verbum imaginatum, & simul relationem rationis, quæ dicit ad significatum, non clarè, & determinatè, sed confusè: scit enim aliquid significare, & ad illud dicere relationem rationis; nescit tamen clarè, & determinatè quid illud sit, usque dum proficiens disciplina Grammaticæ, id clarè noscit. Sic licet fumus sit signum ignis, & ignis habeat sua

suà essentialia constitutiva; fumus ducens intellectum ignari, non ducit clarè in cognitionem constitutorum ignis, benè verò ducit intellectum sapientis, & Philosophi. Quare ignarus ducitur in cognitionem confusam, scit enim quòd ignis habet sua constitutiva, sed nescit quæ? Isti defectus non sunt ex parte signi, sed ex parte subjecti, qui in exemplo nescit de-

terminata constitutiva ignis, & in casu nostro nescit determinatum terminum relationis verbi imaginati. Ceterùm si non obstaret defectus scientiæ in subjecto, utrumque signum naturaliter duceret in cognitionem claram, & determinatam termini, & relationis rationis verbi imaginati ad signatum; & fumi ad constitutiva ignis.



## QUÆSTIO QUINTA.

*Utrum dentur propositiones æternæ veritatis?*

### §. I.

*Exponitur ratio dubitandi, & fundamenta apponuntur sententiæ affirmantis.*

**S**UB hoc titulo excitatur quæstio ista à Magistro Lerma in summulis disputatis, ubi disp. 14. quæst. 5. respondet affirmativè; citat per se Magistrum Soto lib. 2. summul. cap. 9. lect. 3. & posset citare communem Thomistarum sententiam, maxime eorum, qui inquirunt, an verbum in eis propositionibus absolvetur à tempore? De quo quæst. sequenti. Omnes enim supponunt dari tales proposi-

tiones æternæ veritatis. Ceterùm cum pro sequenti quæst. non parum conducatur scire quænam sint tales propositiones, & quomodo dicuntur æternæ veritatis; idè eum Soto, & Lerma præsentem instituumus quæstionem. Nec putanda est levis momenti, ut discursu illius patebit; immò cum sit ferè Theologica, difficulter elucidari potest intra limites Dialecticæ.

Omnes illæ propositiones,



in quibus de subiecto prædicatur vel diffinitio, vel pars aliqua diffinitionis, dicuntur propositiones æternæ veritatis, ut istæ, *Homo est animal rationale. Homo est animal. Homo est rationalis.* Ratio hujus dicti communis est eadem ac alterius communiter dicti, scilicet *Quod essentia rerum sunt ab æterno.* Sic licet homo non sit ab æterno, quia productus est in tempore; at ejus essentia ab æterno est. Et si petas quomodo est ab æterno hæc essentia? Respondent variè DD. Aliqui dicunt quod est ab æterno quoad connexionem; & verificationem prædicatorum essentialium; nam licet ab æterno non existat homo, verum est tamen ab æterno quod *Homo sit animal rationale.* Ecce qualiter respondent isti dādo propositionem æternæ veritatis, hoc est dādo propositionem ab æterno veram. Alij dicunt dari ab æterno essentialias rerum non extra Deum, sed in Deo. Ceterum, ut docet P. Augustin. creatura in Deo non est creatura, sed *Est ipsa creatrix essentia*, hoc est ipse Deus potens creare. Alij recurrunt ad esse objectivum quod habent creaturæ ex vi quod ab æterno cognoscantur ab intellectu Divino. De omnibus his egimus tractatu de æternitate Dei: nec ad præ-

sens spectat eorum discussio.

Nobis autem scire sufficit in præsentī, dubium non procedere de propositionibus quæ formantur de Deo. Nam cum Deus sit ab æterno, & quidquid de Deo verè affirmatur ut perfectio ejus, ei conveniat ab æterno; ideo omnes tales propositiones sunt ab æterno veræ, & sic sunt æternæ veritatis in sensu infra explicando. v.g. *Deus est ens. Deus est justus. Deus est sapiens &c.* Sed notandum aliquas adhuc de Deo esse propositiones, quæ ab æterno non sunt veræ, v.g. istæ *Deus est Dominus. Deus est Creator.* Ratio est, quia ratio Creatoris constituitur per relationem realem quam creatura dicit ad Deum; item constituitur Dominus per relationem servitutis creaturæ ad Deum: & cum creatura non sit ab æterno, sed in tempore; solum in tempore est Deus Creator, & Dominus: quare propositiones illæ non sunt ab æterno veræ, nec æternæ veritatis. Reliquæ verò quæ affirmant perfectionem absolutam Dei, sunt ab æterno veræ, & æternæ veritatis sine controversia.

Dubium ergo reducitur ad propositiones, cujus objectum est aliquid creatum, ut sunt datæ numero 1. Et ratio dubitandi sumitur ex Aristotele sapientius docente *Quod ab eo quod*

*quod res est, vel non est, propositio dicitur vera vel falsa.* Sed ab æterno nulla est creatura, nec aliquid creatum, cum de fide sit omnia creata esse in tempore: ergo ab æterno nulla propositio de objecto creato est vera; & sic nulla est æternæ veritatis.

3. Nihilominus Lerma, Soto, & communiter DD. admittunt propositiones æternæ veritatis. Directè eas probat Lerma ubi supra primò ex D. Thoma 1. part. quæst. 10. art. 3. ad tertium. At de mente Divi Thomæ infra §. sequenti.

Secundò probat à ratione. Veritas hujus propositionis *Homo est animal* non dependet ab existentia subiecti, & prædicati: ergo illa propositio est æternæ veritatis; & consequenter dantur tales propositiones &c. Probatur antecedens, veritas illius propositionis est necessaria, & immutabilis: ergo non dependet ab existentia &c. Antecedens patet, & consequentia probatur. Necessitas, & immutabilitas non potest dependere ab aliquo mutabili, & contingenti: sed existentia rei creatæ est mutabilis, & contingens: ergo si veritas illius propositionis est immutabilis, & necessaria, non potest dependere ab existentia subiecti, & prædicati: & consequenter

vel negandæ sunt propositiones necessariæ, vel concedendæ sunt æternæ veritatis

Confirmatur. Ut hæc propositio *Homo est animal* sit æternæ veritatis, nil requiritur, nisi quod homo in sua ratione ab æterno includat animal: sed homo ita includit animal ab æterno: ergo talis propositio est æternæ veritatis. Maj. patet, & min. probatur. Essentialitas rerum sunt ab æterno: sed hominem includere animal, est essentia hominis: ergo homo ab æterno includit animal.

Prosequitur Lerma num. 2. dicens, quod omnes propositiones, in quibus prædicatum est diffinitio, vel pars diffinitionis subiecti, vel proprietatis ejus, si sint affirmativæ, sunt æternæ veritatis. Similiter propositiones in quibus prædicatum repugnat subiecto essentialiter, si sint negativæ, sunt æternæ veritatis. Horum ratio data est supra. Quia scilicet sunt propositiones necessariæ, quarum veritas non pendet ab aliquo contingenti, ut est existentia creata, quæ potest deficere.

Ex hac conclusione doctrinali colliges, quod istæ propositiones *Homo est existens. Homo est quantus. Homo est coloratus*, & aliæ similes, non sunt æternæ veritatis. Ratio ex di-



ctis patet, quia in prima non prædicatur essentia hominis, nec pars diffinitionis ejus, nec proprietates illius. In reliquis prædicatur quantitas, & color, quæ sunt accidentia hominis, non autem essentia, aut proprietas ejus. Quare non sunt propositiones necessariae, sed in materia contingenti, verè non sunt æternæ veritatis.

## §. II.

*Nostra sententia varijs conclusionibus proponitur, & probatur.*

§. **P**rima conclusio: simpliciter loquendo, non dantur propositiones æternæ veritatis, nec de objecto creato, nec de objecto increato: Hæc conclusio est articulus expressus D. Thomæ, & nostri Ægidij Rom. in 1, Sententiarum distin. 19. apud D. Thomam quæst. 5. art. 3. Apud Ægidiam eadem distinctione part. 2. quæst. 2. art. 3. Et quantum ad objectum increatum suadetur ex utroque Doctore sic. Si darentur propositiones æternæ veritatis circa objectum increatum, maximè istæ, *Pater est Deus. Filius est Deus* &c. sed istæ propositiones non sunt æternæ veritatis: ergo simpliciter lo-

*ALTERA PARS.*

quendo, non dantur propositiones æternæ veritatis de objecto increato. Min. probatur. Primò ratione generali. Si istæ propositiones essent æternæ veritatis, darentur plures veritates æternæ; sicut enim diversæ sunt propositiones, ita diversæ sunt veritates: at non dantur plures veritates æternæ, ut expressis articulis docent ubi suprâ D. Thomas, & Ægidius: ergo tales propositiones non sunt æternæ veritatis.

Secundò probatur minor ratione speciali ex utroque B. Doctore. Tales propositiones non fiunt ab intellectu Divino, sed ab intellectu creato: sed propositiones factæ ab intellectu creato non sunt æternæ, sicut intellectus creatus æternus non est: ergo tales propositiones non sunt æternæ veritatis. Probatur maj. Facere propositiones circa eandem veritatem, nascitur ex defectu intellectus non potentis unico intuitu attingere quidquid est in objecto: sed in objecto illarum propositionum est sola unica veritas essentia Divinæ, quia sicut tres Personæ non sunt tres æterni, sed unus æternus, ut dicitur in symbolo D. Athanasij, ita non sunt multæ veritates æternæ, sed unica veritas æterna essentia Divinæ, & solus intellectus creatus est, qui non potest unico intuitu attingere

*QVÆST. V.*

quidquid est in veritate Divinæ essentia: ergo tales propositiones non fiunt ab intellectu Divino, sed ab intellectu creato.

6. Audi D. Thomam loco citato dicentem: *Videtur quòd sint plures veritates æternæ. Nam sicut patet ex dictis, diversarum propositionum diversæ sunt veritates: sed Pater est Deus, Filius est Deus, sunt diversæ propositiones: ergo sunt duæ veritates. Sed utrumque istorum ab æterno est verum: ergo plures veritates sunt æternæ.* Et respondet sic. *Ad primum dicendum, quòd sicut trium personarum una est essentia, qua quælibet habet esse, quamvis sint plures proprietates, quibus distinguuntur, quæ tamen omnes non differunt secundùm rem ab essentia: ita etiam est una veritas trium Personarum ex parte ipsius rei, de qua fit enuntiatio. Sed quòd sint enuntiationes plures veræ, est per intellectum nostrum. Unde veritas, quæ est in istis enuntiationibus, quæ formaliter sunt, vel quæ est in intellectu nostro, non est æterna, sicut nec propositiones, nec intellectus nobis æternus.*

Audi etiam nostrum Ægidiam ibi: *Ad quintum dicendum, quòd sicut una est essentia, & unum esse omnium*

## §. I.

*Personarum; ita est una veritas ipsarum, cum veritas esse vel essentia respiciat. Sed quòd possint ex eis plures formari enuntiationes, hoc est ex parte intellectus nostri, qui non potest intelligere uno intuitu simplici, quæ ibi simpliciter, & per unum esse existant. Et quia intellectus noster non est æternus, non sunt veritates æternæ.* Ecce juxta utrumque Beatum Doctorem enuntiationes de objecto increato non fiunt à Deo, sed à creatura: nec sunt æternæ veritatis, quia non datur ab æterno intellectus creatus, qui faciat tales propositiones.

7. Sed dices. Hæc ratio ex utroque Doctore desumpta solum probat de facto, non autem de possibili: ergo licet de facto non sint propositiones æternæ veritatis, saltem sunt possibles. Probatur antecedens: ratio nostra unice sistit in eo quòd propositiones fiunt ab intellectu nostro, qui non est ab æterno, sed in tempore creatus: sed juxta utrumque Doctorem potuit intellectus noster creari ab æterno: ergo in hoc casu possibili, nihil probat ratio nostra.

Respondeo, rationem æquè probare de possibili. Nam ratio, & conclusio procedunt de æternitate simpliciter, & de veritate simpliciter æterna: sed licet intellectus noster crearetur

tur ab æterno, adhuc non esset simpliciter æternus : ergo nec propositiones ab eo factæ essent simpliciter æternæ veritatis. Probatum min. æternum simpliciter est illud, quod nec potest incipere esse, nec desinere; quare nec potest creari, nec annihilari: at noster intellectus, etiam si ab æterno crearetur, posset creari, ut patet; & posset desinere esse, & annihilari, ut de facto potest: ergo numquam esset simpliciter æternus, sed secundum quid, & consequenter eodem modo ejus propositiones.

Hinc noster Ægidius in corpore articuli prælaudati dicit: *Cum ergo queritur, utrum sit aliqua veritas æterna præter veritatem primam? Simpliciter non: quantum tamen ad aliquas condiciones est ut sic; est ut non: quia quantum ad carentiam initij, licet creatura potuerit esse æterna, nulla tamen æterna est.* Intellige simpliciter, quia licet producta esset ab æterno, haberet initium, & posset per annihilationem habere finem, quorum utrumque excluditur ab æterno simpliciter.

8. Quantum ad propositiones de objecto creato conclusio nostra evidentius suadet. Et primò autoritate D. Thomæ ubi supra in septimo argumento arguentis sic: *Quod*

*omne totum est majus sua parte, est quædam veritas, quæ nullo modo videtur mutabilis; & similiter multa hujusmodi: ergo videtur, quod sint plures veritates æternæ immutabiles.* Ad quod sic respondet: *At septimum dicendum similiter quod veritas propositionum necessariarum potest deficere per accidens, quantum ad esse quod habet in anima, vel in rebus, si res ipsæ deficerent; tunc enim non remanerent istæ veritates, nisi in Deo, in quo sunt una, & eadem veritas.*

Hæc S. Doct. qui supra in solutione ad sextum dixerat: *Quod percunte re vera perit veritas quantum ad illud esse quod habet in re illa.* Vide etiam in 1. Sent. dist. 8. q. 2. art. 2. ad quintum.

Consonat noster Doctor in solutione ad primum ubi ait: *At primum dicendum, quod veritas propositionum necessariarum potest deficere per defectum in intellectu, vel per defectum ipsarum rerum: unde antequam aliquid creatum esset, non erat aliqua veritas, nisi veritas prima; nec erat ista propositio vera de quolibet affirmatio, vel omne totum est majus &c. quia non erat qui enuntiaret eam; unde nec talis oratio erat, nisi fortè in mente Divina; & prout ibi est, non aliud quam Deus est.*

Ex

9. Ex his à ratione probatur conclusio, si aliquæ darentur propositiones æternæ veritatis circa objectum creatum, maximè ista *Homo est animal*, & aliæ similes: sed istæ non sunt æternæ veritatis simpliciter: ergo de objecto creato nulla datur propositio æternæ veritatis simpliciter. Probatum min. Nec datur ab æterno intellectus formans illas propositiones; nec in eis conexio prædicati cum subjecto est æterna: sed ex defectu quolibet istorum deficit veritas propositionis: ergo ob duplicatam rationem nulla datur de objecto creato propositio æternæ veritatis. Min. cum consequentia tenet, & maj. quoad primam partem est certa. Nam intellectus creatus non datur ab æterno. Intellectus Divinus datur ab æterno, sed non format tales propositiones, ut probatum est ex D. Thoma, & Ægidio num. 6. & dato quod sint in intellectu Divino ibi non sunt propositiones diversæ, nec circa objecta diversa, quia in Deo sunt, ipse Deus, & ipsa essentia Divina, quæ est una, & unica veritas, ut num. 8. dictum est ex utroque Beato Doctore.

Quoad secundam partem probatur maj. subjectum, & prædicatum prædictæ propositionis, scilicet *Homo est animal*,

non sunt ab æterno: ergo nec conexio utriusque. Patet consequentia, quia conexio prædicati cum subjecto identificatur cum utroque: ergo si illa non sunt ab æterno, nec conexio eorum. Confirmatur juxta Philosophum *Ab eo quod res est vel non est, propositio dicitur vera, vel falsa*: sed ab æterno non est homo, nec animal: ergo ab æterno non est verum quod homo sit animal. Secundò, propositio affirmativa de subjecto non supponente, est falsa: sed ab æterno homo non supponit: ergo ab æterno est falsum quod sit animal: vel saltem non est verum ab æterno.

10. Diximus, quod ab æterno non est verum, quod *Homo est animal*; & cavemus dicere quod ab æterno est falsum. Cautio ista est D. Thomæ loco prælaudato, ubi formalissimè loquens dicit talem propositionem non esse veram, nec esse falsam. Ratio primi data est. Ratio secundi est, quia *Quando non est veritas, nec etiam falsitas est*, ut dicit D. Thomas in solutione ad tertium, sed ab æterno non est veritas illarum propositionum: ergo nec falsitas. Rursus. Nullius entis nullæ sunt qualitates: sed ab æterno non dantur tales propositiones, nec intellectus eas formans: ergo non datur veritas

ritas

ritas, aut falsitas earum. Præterea: Veritas, & falsitas sunt contraria, quæ exercent contrarietatem relatè ad intellectum: sed ab æterno non datur intellectus noster, in quo exercent suam contrarietatem: ergo nec datur earum veritas, nec falsitas. Unde dicendum est eas propositiones non esse ab æterno veras, immò nec ab æterno falsas.

11. Dices. Omnis propositio debet esse ab æterno vera, vel falsa: sed tales propositiones non sunt ab æterno falsæ: ergo sunt ab æterno veræ. Probatur maj. Veritas, & falsitas immediatè opponuntur: sed inter immediatè opposita nullum est dabile medium: ergo omnis &c. Secundò: Propositio dicitur vera vel falsa ab eo quod res est, vel non est: sed inter rem esse, & non esse, nullum datur medium: cum sint privativè opposita: ergo inter esse falsam, & esse veram, non datur medium in propositione. Tertiò, vel est verum, quòd ab æterno homo est animal, vel non est verum: Si verum? Propositio erit vera. Si falsum? Propositio affirmans hominem esse animal, erit falsa: ergo omnis propositio ab æterno &c.

Confirmatur. Vel verum est, quòd propositiones essentielles sunt veræ ab æterno, vel non est verum? Si primum:

Ergo conclusio nostra non tenet. Si secundum: Ergo ab æterno erit vera hæc propositio id affirmans, scilicet *Propositiones essentielles non sunt veræ ab æterno*, & etiam erit ab æterno vera hæc, *Nulla propositio datur quæ sit æternæ veritatis*. Patet consequentia, quia utraque negat veritatem ab æterno, & ita se habet in re juxta nostram doctrinam: ergo eodem argumento quo intendimus excludere propositiones æternæ veritatis, tenemur eas concedere.

12. Respondeo unico verbo ad tres probationes replicæ, eas tenere si ab æterno daretur intellectus formans eas propositiones. Ceterum cum non detur ab æterno, nec sint aliquæ propositiones ab æterno, sed in tempore, ut probatum est num. 8. & 9. ideò nec sunt veræ, nec falsæ: immò nec sunt. Prius est enim, quòd detur propositio, quàm quòd sit vera vel falsa. Ratio est, quia veritas, & falsitas sunt proprietates propositionis, sicut risibile hominis proprietas est: sed essentia est prior proprietate, & homo prior risibilitate: ergo prius est, quòd sit propositio, quàm quòd sit vera, vel falsa. Quare sicut homo qui non est, non est risibilis, nec est non risibilis, quia non est: ita propositio quæ ab æterno non est, nec

nec verà, nec falsa est.

In forma disting. major. si ab æterno propositio sit, concedo: si ab æterno non sit propositio, nego maj. & disting. minor. sed tales propositiones non sunt falsæ ab æterno, nec ab æterno sunt propositiones, concedo; & sunt ab æterno propositiones, nego minor. & consequentiam. Ad probationem maj. disting. maj. veritas & falsitas immediatè opponuntur, respectu propositionis, quæ est, concedo, respectu propositionis quæ non est, nego maj. Ad secundam probationem concessis præmissis distinguitur consequens: ergo inter esse falsam, & non esse falsam, nullum datur medium in propositione: in propositione, quæ est, concedo: in propositione quæ non est, nego consequentiam. Quia propositio, quæ non est, nec est vera, nec falsa. Ad tertiam dic, non esse verum ab æterno, quòd homo sit animal, quia ab æterno non est verum quòd homo sit: ergo nec est verum quòd sit animal. Et disting. consequens: ergo propositio id affirmans, erit falsa, si ab æterno datur propositio id affirmans, concedo consequentiam, si non detur, nego consequentiam.

13. Pro solutione confirmationis nota, quòd materia ejus est argumentum D. An-

selmi adductum à nostro Ægidio ubi suprà. Et eo contendit S. Doctor probare, quòd veritas est æterna, nullum habens principium aut finem. Arguit sic: *Si veritas habuit principium, aut habebit finem: antequam ipsa inciperet, verum erat tunc, quia non erat veritas: & postquam finita erit, verum erit tunc, quia non erit veritas: & quia verum non potest esse sine veritate, erat igitur veritas antequam esset veritas, & erit veritas postquam finita erit veritas: quod inconvenientissimum est. Sive igitur dicatur veritas habere, sive intelligatur non habere principium, & finem, nullo potest claudi veritas principio, & fine.*

14. Respondet N. Ægidius, quòd antequam in tempore inciperet veritas creata, tunc foret verum asserere non esse veritatem creatam, si daretur propositio id enuntians. Sed cum hoc sit impossibile; quia daretur propositio vera antequam inciperet veritas; ideò non tenet argumentum factum. Et confirmat solutionem ex ipso Anselmo cap. 11. de veritate. Et ex Monologio cap. 18. Ex his respondemus ad confirmationem concedendo antecedens quoad secundam partem, concedo, non esse verum, quòd dentur ab æterno pro-

propositiones æternæ veritatis. Et disting. consequens: ergo ab æterno erit vera hæc propositio. *Propositiones essentielles non sunt æternæ veritatis, & sic nulla propositio datur &c.* si istæ propositiones dentur ab æterno, omitto consequentiam implicatoriam. Si non dentur, nego consequentiam.

Negamus, quòd propositiones essentielles sunt æternæ veritatis, quia negamus, quòd detur ab æterno aliqua propositio: ergo dum vis nobis supponere quòd detur propositio ab æterno affirmans, quòd *Nulla propositio est æternæ veritatis*, supponis nobis egregiam implicationem. Quare si negamus omnem propositionem ab æterno, negamus quòd hoc possit explicari per propositionem aliquam. Sic in argumento D. Anselmi contra negantes veritatem creatam æternam, implicatione assumitur, quòd ante principium veritatis creatæ, erat verum non esse veritatem creatam. Tum quia ante principium veritatis creatæ, nullus erat intellectus cognoscens hoc verum, & formans propositiones. Tum quia ante tale principium, nec erat verum, nec falsum, quòd non erat veritas; vel fortè apud solum intellectum Divinum erat verum, tunc non esse veritatem creatam. Ceterum in

intellectu Divino non erat verum veritate creatæ, sed veritate ipsius Dei, quæ increata est.

15. *Secunda conclusio.* Dantur propositiones essentielles, quæ secundum quid sunt æternæ veritatis. Hæc conclusio est de mente utriusque Beati Doctoris locis citatis. Probatur. Nam illæ propositiones sunt saltem secundum quid æternæ veritatis, quæ semel enuntiatae, semper sunt veræ: sed tales sunt propositiones essentielles, & quæ sunt in materia necessaria, ut prima principia: ergo istæ sunt æternæ veritatis saltem secundum quid. Major patet, quia hoc est discrimen inter propositiones necessarias, & contingentes, quòd istæ possunt enuntiarī, & non esse veræ, ut *Petrus currit*, *Paulus legit*: illæ non possunt enuntiarī sine veritate, ut *Omne totum est majus sua parte*. *Homo est animal*, quæ semel enuntiatae, sunt veræ. Quo fit ut sicut illæ habent ad tempus veritatem, & sunt veritatis temporalis; istæ sunt veritatis æternæ, non simpliciter, ut probatum est conclusione prima, sed secundum quid. Probatur min. propositiones illæ semper sunt veræ, quibus semper adest veritas prima, sed propositiones essentielles sunt tales, quòd semel enuntiatae, eis semper adest

adest veritas prima, ut patet in propositionibus jam positis: ergo.

Hæc ratio est nostri Agidij loco citato in corpore articuli, ubi dicit, quòd veritates creatæ comparantur ad veritatem Divinam ut ad mensuram qua mensurantur: & subdit: *Licet omnia sint vera per comparationem ad veritatem primam; enuntiationes tamen de omnibus non eodem modo comparantur ad illam veritatem: quia aliqua sunt, quæ etsi enuntiantur, non semper adest illis veritas prima, ut per illam vera dici possint, ut Petrum sedere, vel cervum currere. Aligua sunt quibus enuntiatas, nunquam adest veritas prima secundum quam non possint dici vera, ut ea quæ immutabiliter vera sunt, v.g. futurum esse futurum, duo, & tria esse quinque, &c.*

Ex his confirmatur ratio facta. Illæ propositiones sunt saltem secundum quid æternæ veritatis, quæ sunt veritatis immutabilis saltem secundum quid: sed propositiones essentielles, & necessariae sunt saltem veritatis immutabilis secundum quid: ergo sunt æternæ veritatis secundum quid. Maj. patet, quia æternitas probatur ex immutabilitate, & eo modo quo quid est immutabile, est

æternum. Probatur min. illud est veritatis immutabilis secundum quid, quo semel enuntiato, semper est verum: tales sunt propositiones essentielles, ut *homo est animal*, quæ non potest mutari de vera in falsam; secus propositio contingens, ut *Petrus currit*, quæ currente Petro est vera: sed cessante currere, manet propositio, & mutatur in falsam: ergo.

16. Confirmatur secundò ex D. Thoma loco prælaudato in solutione ad sextum & septimum. Propositiones, quæ sunt de objecto per se incorruptibili, & solum defectibili per accidens, sunt saltem veritatis æternæ secundum quid: sed tales sunt propositiones essentielles: ergo sunt &c. Maj. patet, nam quòd est omnibus modis indefectibile, est simpliciter indefectibile, & simpliciter æternum: quare quòd saltem per se est indefectibile, licet per accidens possit deficere, erit saltem indefectibile secundum quid, & secundum quid æternum. Min. probatur ex Philosopho cap. 1. de substantia in prædicamentis ubi dicit, universalialia esse incorruptibilia per se, corrumpi tamen per accidens, quia destructis primis substantijs impossibile est aliquid earum remanere. Est sensus quòd Ho-

mo, & animal rationale, quæ sunt secundæ substantiæ, hoc est, sunt prædicata substantialia universalia, ex se sunt indefectibilia. Possunt tamen deficere, quia reperiantur in Petro, Paulo, & alijs individuis singularibus, quæ sunt defectibilia; & eis destructis, destruitur ratio hominis, & animalis, in eis reperta. Nunc sic. Hæc propositio *Homo est animal*, constat ex terminis per se indefectibilibus: ergo propositio illa est de objecto per se saltem indefectibili.

Sic hæc propositio, *Omne totum est majus sua parte*, est æterna, & indefectibilis secundum quid: quia ejus objectum, cum sit universalis, est per se indefectibile. Potest tamen deficere per accidens, quia objectum illud reperitur in hoc, vel illo singulari toto, quod est defectibile, & eo deficiente, deficit etiam veritas illius principij, ut est in illo singulari. Hinc etiam dicitur, quod scientiæ non agunt de singularibus, & corruptibilibus, sed de universalibus, & incorruptibilibus. Ratio est, quia scientiæ inquirent veritatem necessariam, & in solis universalibus est veritas necessaria, & immutabilis modo dicto.

17. Tertia conclusio. Propositiones essentialis de subiecto singulari non sunt æter-

næ veritatis adhuc secundum quid. Hæc conclusio est de mente utriusque Doctoris, & probatur ex allegatis rationibus pro secunda conclusione. Probatur sic. Hæc propositio *Petrus est homo* constat ex subiecto per se corruptibili, & defectibili, ut dictum est ex Philosopho num. 15. sed de subiecto per se defectibili non potest affirmari veritas per se saltem indefectibilis: ergo nec veritas per se, & secundum quid saltem æterna. Confirmatur. De singularibus juxta Philosophum non est scientia, quia cum sint corruptibilia, de eis nulla est cognoscibilis veritas indefectibilis, & perpetua: sed talis propositio est de subiecto singulari: ergo ejus veritas non est æterna adhuc secundum quid, sed simpliciter temporalis. Hic applica rationes Ægidij num. 15. Nam cum singularia sint per se corruptibilia, sunt mutabilia per se: ergo non habent immutabilitatem saltem secundum quid, & sic nec veritatem secundum quid æternam; nec prima veritas semper adest huic propositioni *Petrus est homo*; nam non existente Petro, est falsa, & sic abest dicta veritas.

18. Dices. Connexio Petri cum homine prædicato est essentialis: ergo est necessaria, & independens ab existen-

stentia; quæ est quid contingens. Secundò, hæc propositio, *Christus est homo*, est essentialis, & de subiecto singulari: sed in triduo mortis non fuit falsa: ergo propositio essentialis de subiecto singulari est æternæ veritatis saltem secundum quid. Tertio. Non existente rosa est vera hæc propositio *Rosa est flos*, & hæc *Rosa est vivens vegetabile*: ergo non existente Petro est vera hæc *Petrus est homo*. Quarto. Destructis singularibus deficient etiam universalia: ergo destructis singularibus tam falsa erit propositio essentialis de subiecto universalis, quam de subiecto singulari. Sed hoc est falsum, quia tempore hiemis nulla est rosa singularis, & tamen datur scientia de rosa, quæ non est nisi verorum: ergo eo tempore dabuntur propositiones essentialis veræ non solum de subiecto universalis, sed de singulari.

Respondeo ad primum disting. antecedens, connexio Petri cum homine est essentialis, est essentialis, & singularis, concedo: est essentialis & universalis, nego antecedens, & consequentiam: connexio illa quantumcumque essentialis, est identificata cum Petro singulari: at Petrus singularis est defectibilis, & ne deficiat pendet ab existentia: ergo conne-

xio illa Petri cum humanitate quantumcumque essentialis, est contingens, & pendens ab existentia ejus. Hæc confirmantur ex solutione sequenti.

19. Ad secundum concessa maj. nego min. cum D. Thoma 3. parte quæst. 50. art. 4. ubi inquit: *Verum Christus in triduo mortis fuerit homo?* Et respondet negativè, & dicit quod asserere fuisse hominem, erroneum est. Ratio est clara, quia in triduo mortis non fuit animal, nec vivens, quæ sunt prædicata superiora ad hominem: ergo nec fuit homo. In corpore articuli dicit sic: *Respondeo dicendum, quod Christum verè fuisse mortuum, est articulus fidei: unde asserere omne illud per quod tollitur veritas mortis Christi, est error contra fidem.* :: *Pertinet autem ad veritatem mortis hominis, vel animalis, quod per mortem desinat esse hominem, vel animal: mors enim hominis, vel animalis provenit ex separatione animæ, quæ complet rationem animalis, vel hominis: & idè dicere Christum in triduo mortis hominem fuisse, simpliciter & absolute loquendo, erroneum est.*

Ad tertium, concessa antecedenti, nego consequentiam; disparitas est, quod in antecedenti ponuntur propositiones

essenciales de subjecto universalis, & istæ sunt æternæ veritatis secundum quid, ut probatum est conclusione secunda. At in consequenti ponitur propositio de subjecto singulari, & hæc pendet ab existentia, ut ostensum est ex D. Thoma in propositione de Christo homine. Si quid ultrà pro paritate desideras, invenies in sequenti solutione ad quartum.

20. Ad quartum dist. antecedens. Destructis singularibus deficient universalia, destructis aliquibus singularibus, nego; destructis omnibus, subdisting. deficient universalia per se, nego antecedens; per accidens, concedo antecedens, & nego consequentiam. Hæc propositio universalis *Homo est animal*, destructo Petro, Francisco, & alijs; manet in Antonio, vel in alio individuo superstitite. Quare universalia non destruuntur præcisè ex defectu unius, vel alterius individui, sed destruuntur prout erant in illo. Jam verò si supponas omnia individua destrui, sicut in hieme destruuntur omnes rosæ. Tunc sunt veræ propositiones de rosa universaliter sumpta, & falsæ de rosa individua. Disparitas est, quia connexio rosæ universalis cum suis prædicatis, est per se perpetua, & independens ab existentia. Secus connexio rosæ particularis cum suis

prædicatis quæ corruptibilis est per se, & dependens ab existentia, ut utrumque probatum est.

Sic juxta D. Thomam 1. parte quæst. 16. art. 7. ad secundum dicitur, *Universalia dici solere esse ubique, & semper, non positive, sed negative.* Ecce universalia sunt immensa, & æterna negative, non quia repleant omnem locum, & sint præsentia toti æternitati, hoc enim esset fore æterna, & ubique positive: sed quia ex se non determinant sibi locum, nec tempus, sed ratione individuorum, & singularium; in quibus sunt, habent esse in tempore & loco determinatis. Ergo quia per se nec generantur, nec corrumpuntur, sed ratione singularium; sunt ex se æterna, & eorum connexio ex se est independens ab existentia, & tempore. De hoc latius in tertio libro Logicæ magnæ.

## §. III.

*Solvuntur argumenta.*

21. **P**RIMO solvenda sunt fundamenta Magistri Lerma posita num. 3. & ad primum sumptum ex autoritate D. Thomæ 1. part. quæst. 10. art. 3. ad tertium dico

dico sanctum Doctorem confirmare nostram sententiam. Ibi inquit: *An esse æternum sit proprium Dei?* Respondet affirmativè, & contra se arguit sic: *Omne necessarium est æternum, sed multa sunt necessaria, sicut omnia principia demonstrationis, & omnes propositiones demonstrativæ: ergo non solus Deus est æternus.* Et respondet sic: *Ad tertium dicendum, quod necessarium significat quemdam modum veritatis. Verum autem secundum Philosophum 6. Metaphysicæ est in intellectu. Secundum hoc igitur vera, & necessaria sunt æterna, quia sunt in intellectu æterno, qui est intellectus Divinus solus. Unde non sequitur quod aliquid extra Deum sit æternum.* Hæc S. Doctor.

Ceterum inde nil contra nos, sed totum pro nobis. Nam propositiones demonstrativæ, vel sumuntur relatè ad nostrum intellectum, vel relatè ad intellectum Divinum. Si relatè ad nostrum; tunc non sunt æternæ veritatis, quia juxta D. Thomam hæc, vera solum sunt æterna in intellectu æterno. & talis non est noster intellectus, sed solus Divinus. Si relatè ad intellectum Divinum; tunc tales propositiones non sunt propositiones, nec sunt veræ veritate distincta à veritate essen-

tiæ Divinæ, ut hic satis innuat. S. Doctor negans aliquid extra Deum esse æternum; & expressius habetur verbis datis num. 8. ergo hæc autoritas confirmat nostram primam conclusionem, nec impugnat reliquas, & sic plenè est pro nobis.

22. Ad secundum fundamentum magistri Lerma positum num. 3. disting. antecedens. Veritas hujus propositionis *Homo est animal*, non dependet ab existentia subjecti; & prædicati, non dependet per se, concedo antecedens; per accidens, nego antecedens, & disting. consequens. Ergo est propositio æternæ veritatis, simpliciter, nego consequentiam; secundum quid, concedo consequentiam. Ad probationem antecedentis, disting. antecedens. veritas illius propositionis est necessaria, & immutabilis, per se, concedo antecedens, per accidens, nego antecedens. Et sub eadem disting. nego consequentiam. Ad probationem consequentiæ dist. maj. necessitas, & immutabilitas nequit pendere ab aliquo mutabili, & contingentis; necessitas quæ est talis simpliciter, & omnibus modis, concedo maj. necessitas, quæ est talis secundum quid, & aliquo modo, nego maj. & concessa min, nego consequentiam. Ad conse



consequentiam subillatam dic negandas esse propositiones de objecto creato simpliciter necessarias, & simpliciter æternæ veritatis, ut probatum est conclusione prima, sed concedendas secundum quid necessarias, & æternæ veritatis, ut probatur à nobis conclusione secunda.

Non aliter propositiones illæ sunt necessariae, & immutabiles, ac secundæ substantiæ, & universalis dicuntur à Philosopho æterna, incorruptibilia, ingenerabilia, & immutabilia: sed universalis non sunt simpliciter æterna, incorruptibilia &c. sed solum secundum quid; quia licet per se non dependeant à loco, tempore, & alijs mutationibus, nec per se deficient, deficient tamen ratione singularium, in quibus sunt, & vi illorum pendunt à loco, tempore, & reliquis mutationibus, ut probatum est num. 16. & 10. ergo propositiones essentialis, & necessariae de objecto creato, non sunt simpliciter æternæ veritatis, sed secundum quid. Quare argumentum Lermæ non impugnat primam conclusionem nostram, & confirmat secundam.

23. Ad confirmationem eodem num. positam, absolutè nego maj. Nam ab æterno Pater, & Filius includunt Deitatem; & tamen istæ

propositiones *Pater est Deus; Filius est Deus*, non sunt simpliciter æternæ veritatis, ut ex D. Thoma, & Ægidio probatum est num. 6. ergo ut hæc propositio *Homo est animal*, sit æternæ veritatis simpliciter, non sufficit, quod homo ab æterno includat animal. Requiritur enim ultrà, quod detur ab æterno intellectus creatus, formam tatem propositionem, & iste non datur ab æterno. Nec intellectus Divinus, qui datur ab æterno, tales propositiones potest formare, ut num. 5. probatum est.

Sed admissa majori, nego minorem. Nego, quod ab æterno homo includat animal. Si enim non datur ab æterno homo, sed in tempore, quomodo potest ab æterno includere, vel excludere animal? Vide dicta num. 9. & 10. Ad probationem min. dist. maj. Essentialis rerum sunt ab æterno, extra Deum, nego major. intra Deum, subdisting. Representativè in Divinis idæis, concedo maj. subjectivè, & physicè, iterum subdisting. Et sunt ipsa creatrix essentialis, vel ipsa essentialis Dei, concedo maj. & sunt aliquid distinctum ab essentialis Dei, nego maj. & sub eadem distinctione nego min. & consequentiam.

Cum essentialis creatæ sint aliquid creatum, & omne

cre

creatum factum sit in tempore juxta fidem; sequitur quod essentialis creatæ non sint ab æterno aliquid extra Deum. Ex defectu hujus observationis non nulli putarunt, quod in tempore solum producitur essentialis creaturæ, non verò ejus essentialis, quam audientes esse ab æterno, crediderunt æternam. Hæc opinio erronea est, quia fides docet nihil esse ab æterno extra Deum, & omnia facta esse in tempore, & ex nihilo, quod non teneret, si essentialis creaturæ esset ab æterno aliquid extra Deum; nam tunc res non fierent ex nihilo, sed ex aliquo, scilicet ex essentialis præsupposita, quæ foret aliquid extra Deum ab æterno. Restat ergo quod in tempore producitur tam essentialis, quam essentialis creaturæ, quare sic essentialis creaturarum non sunt ab æterno.

Dicitur tamen essentialis rerum esse ab æterno, non quia sint aliquid ab æterno extra Deum, sed intra Deum; & hoc dupliciter. Primò representativè in Divinis idæis. Nam ab æterno datur essentialis Divina, quæ est imitabilis à creaturis, & hoc modo est idæa illarum: unde cum essentialis Divina sit multipliciter imitabilis, quia aliter est imitabilis ab homine, aliter ab equo; ideò non dicitur essentialis Divina

idæa in singulari, sed pluraliter idæa. In illis idæis veluti in speculo representantur creaturæ, & in eis sunt essentialis creaturarum, immò etiam essentialis earum, & omnes modi, representativè, modo sufficienti, ut eas cognoscat Deus ab æterno. Sicut licet nunc non existat rosa, quia tamen in nostro intellectu est species representans rosam, eam nunc cognoscimus.

Ultra hanc essentialis representativam, sunt etiam essentialis creaturarum in ipsa essentialis Divina modo quo omnis effectus est intra suam causam antequam producat. Ceterum essentialis creaturæ hoc modo intra Divinam essentialis, non est creatura, sed est Deus, quia *Est ipsa essentialis creatrix* ut dicit P. August. Nec aliud esse habet effectus intra causam, nisi esse causæ: quare esse creaturarum in Deo, est ipse Deus; & veritas creaturarum ab æterno in Deo est veritas Dei, & essentialis Divinæ, ut vidimus ex D. Thoma, & Ægidio num. 8.

25. Hinc fit, quod cum creaturæ in Deo non sint nisi unica veritas Divinæ essentialis; intellectus Divinus ab æterno cognoscens hanc veritatem, non format diversas enuntiationes, sed unico, & simplici intuitu eas cognoscit.

In



Intellectus autem creatus, qui faciat tales enuntiationes, ab æterno non est; immò adhuc quòd esset creatus ab æterno, nec ille esset simpliciter æternus; nec ejus enuntiationes essent simpliciter æternæ veritatis, ut dictum est num. 7. Quare hinc nihil evincitur contra nostram conclusionem primam.

Et observa, quòd sicut solus intellectus creatus facit enuntiationes diversas, quia non potest unico intuitu videre veritatem objecti; ita ille solus facit varios conceptus formales, & objectivos, dividendo v.g. essentiam hominis in *animal*, & *rationale*; item dividendo hominem à sua diffinitione, & postea cōponendo per actualem prædicationem unius de alio, dicens *Homo est animal rationale*. Hæc omnia repugnant intellectui Divino, qui sine divisione, & compositione omnia cognoscit unica & simplicissima cognitione. Quare dicere, quòd ab æterno *homo* includit *animal*, est implicatio in terminis: quia ab æterno non dantur illi conceptus formales, & objectivi respectu intellectus Divini, qui eorum est incapax; nec respectu intellectus creati, quia hic non datur ab æterno: ergo sunt locutiones implicatoriae, &

repugantes, quibus tempus tēritur ianuiliter.

26. Ad dicta num. 4. ex Lerma, dicendum non tenere, nisi cum limitationibus nostrarum conclusionum. Non enim omnis propositio, in qua prædicatum est diffinitio subiecti, aut pars diffinitionis ejus, est æternæ veritatis: quia si subiectum sit singulare, propositio essentialis est veritatis contingentis & mutabilis, ut probatum est num. 17. in tertia conclusione nostra. Quare ea doctrina solum est vera, quando subiectum propositionis est universale: & tunc propositio non est æternæ veritatis simpliciter, sed secundum quid, ut probatum est in 1. & 2. conclusione nostra. Nec ratio Lerma suadet oppositū, quia est eadem cum ea, quæ nuper solata est.

Ad corollarium doctrinae eodem num. 4. positum, fateamur, quòd juxta Philosophos, & Dialecticos illæ propositiones *Homo est existens*: *homo est quantus*: *homo est coloratus*, & alia similes, non sunt æternæ veritatis. At quod sanè nobis certum est cum communi doctrina, (eis exceptis, qui quantitatem non distinguunt à substantia materiali) eas propositiones non esse essentielles, ratio est, quia prædicatum supponens jam essentiam

con-

constitutam, non est essentialis: sed existentia supponit jam essentiam metaphysicè constitutam per suum genus & differentiam: ergo non est prædicatum essentialis, & multò minus quantitas, color, & alia accidentia sequuta ad existentiam. Quare propositiones illæ, in quibus prædicatur existentia, quantitas, color, &c. essentielles non sunt.

Quòd autem illæ propositiones non sint æternæ veritatis in sensu dicto, non est ita certum: maximè cum hæc propositio *Homo est risibilis* non sit essentialis, & tamen est apud D.D. æternæ veritatis, quia risibilitas est passio & proprietas hominis, sequuta ad essentiam ejus. Ergo apud R.R. non ligatur æterna veritas propositionum ad solas essentielles, nec ad sola principia demonstrativa, sed extenditur ad propositiones quarti prædicabilis. Jam verò admissa hac extensione, est ratio dubitandi de veritate æterna illarum propositionum *Homo est existens*, *quantus* &c.

27. Ratio dubitandi est hæc. Ista propositio *Homo est vivens*, est æternæ veritatis apud omnes; & hæc *Homo est animal*: ergo debet etiam admitti hæc ut æternæ veritatis, *Homo est existens*. Probatur cōsequencia. Prædicatum *vivens*

dicit existentiam, & ultra addit actionem vitalem, & unionem animæ ad corpus, quæ non stant sine existentia. Prædicatum *animal* dicit principium sentiendi, quod in solo homine existente datur; nam homo vel mortuus, vel nondū genitus, non potest sentire: ergo in utraque propositione dicendo *Homo est vivens*, *homo est animal*, prædicatur existentia. Et tamen tales propositiones apud communem sententiam sunt æternæ veritatis: ergo apud omnes videtur idem dicendum de ista *Homo est existens*.

Confirmatur. Hæc propositio *Homo est animal*, non potest esse æternæ veritatis, nisi distribuendo æqualiter subiectum, & prædicatum per quatuor status creaturarum, scilicet per statum possibilitatis, futurionis, existentia, & præteritionis: sed cum ista distributione, etiam hæc propositio *Homo est existens*, est vera per omnem statum, & in omni temporis differentia: ergo sicut prima est æternæ veritatis; ita secunda. Probatur maj. in illa propositione *Homo est animal*, non prædicatur animal futurum de homine possibili, item non prædicatur animal existens, aut præteritum, quia foret falsa; falsum enim est quòd homo possibi-

lis sit animal futurum, existens, aut præteritum. Item de homine existente non prædicatur animal futurum, aut præteritum, quia falsa esset affirmatio. Quare, ut prædicta propositio conveniat omni homini possibili, futuro, existenti, aut præterito; item ut conveniat eidem homini in omni statu possibilitatis, futurionis, existentiae, & præteritionis, debet distribui sic: *Homo possibilis est animal possibile: homo futurus est animal futurum: homo existens est animal existens: homo præteritus est animal præteritum.* Hoc modo solum potest esse vera in omni statu illa propositio *Homo est animal.*

28. Nunc sic. Sed cum eadem distributione est vera in omni statu hæc *Homo est existens*; ergo non minus est æternæ veritatis quàm illa *Homo est animal.* Probatum hæc minor. Istæ propositiones sunt veræ *Homo possibilis est existens possibile*, idest potens existere, vel possibilis existere. *Homo futurus est existens futurus; homo existens est existens existens: homo præteritus est præteritus existens*, vel existens de præterito, aut præteritæ existentiae. Quæ propositiones, licet grammaticaliter non tam benè distribuantur, sicut propositiones de animali, sunt

tamen æquæ veræ ac præcedentes.

Meliùs exponitur hæc, *Homo est quantus.* Nam omnes istæ exponentes sunt veræ, *Homo possibilis est quantus possibilis: homo futurus est quantus futurus: homo existens est quantus existens: homo præteritus est quantus præteritus.* Idem de colorato, & generaliter de omnibus accidentibus sine quibus homo naturaliter non potest existere, ut sunt ubicatio, figura, &c. Homo enim possibilis habet possibiliter omnia ista; futurus habet de futuro; existens habet de præsentis; & præteritus habet de præterito, idest habuit: ergo propositiones istæ *Homo est existens, homo est quantus; homo est coloratus; homo est ubicatus; homo est figuratus &c.* verificantur de homine in omni statu, & in omni differentia temporis; quare videntur esse æternæ veritatis non minus, quàm aliæ essentialia, & necessaria.

29. Nihilominus communis sententia docet oppositum, in cujus gratiam subscribimus. Et notandum, quia hic est multum de nomine, & parum de re. Tota enim ratio dubitandi devolvitur ad inquirendum, cur illæ, & non istæ dicantur propositiones æternæ veritatis? Et cur illæ,  
&

& non istæ, exponuntur per omnem statum? Istæ quæstiones sunt de voce. Si quid autem est de re, colligitur ex communi doctrina distinguente inter prædicata, quædam quæ conveniunt rei ante existentiam; quædam quæ adveniunt rei jam existenti, vel post existentiam. Intellige *ly ante*, & *post*, de prioritare, & posterioritate per nostros conceptus; non de prioritare reali: nam in eodem instanti reali quo producitur essentia, existit, & habet accidentia. Ceterum priùs intelligimus essentiam cum suis prædicatis essentialibus; postea existentiam, postea accidentia.

Igitur omnia prædicata essentialia, quæ intelliguntur in essentia creaturæ ante existentiam, omnia faciunt propositiones æternæ veritatis, & possunt distribui per illos status num. 27. explicatos. Ratio est; quia prædicata illa possunt sumi signatè, & exercitè, & sic per omnes status divagari. At existentia, & accidentia ad illam sequuta, non sumuntur signatè, & exercitè. Ratio est, quia existentia dicit exercitium existendi, quare non nisi violenter, & contra naturam tum existentiae, tum vocis explicantis naturam, consistentem in exercitio, possit sumi signatè, & distribui per

omnem statum. Vide hoc attentè in prima, secunda, & quarta ex exponentibus datis num. 28. violenter, & implicatoriè dicitur *Homo futurus est existens futurus.* Ecce terminus ille complexus *existens futurus*, includit implicationem; nam si existens, quomodo futurus? Secus dum dicit, *Homo futurus est animal futurum*: *ly animal futurum* nullam implicationem includit, quia *animal sumi* potest signatè, eò quòd non dicit actuale exercitium oppositum futurioni. Existentia autem dicit exercitium actuale futurioni oppositum, & sic petit sumi exercitè, quod in statu futurionis locum non habet.

Hinc venit, quòd propositio de existentia creaturæ non potest distribui, nisi violenter, & implicatoriè, per illos status. Et cum accidentia quæ sequuntur ad existentiam, sapiant naturam ejus, & sint in subjecto dependenter ab existentia; ideò etiam non possunt distribui per omnem statum propositiones accidentales numeratæ in argumento. Addimus, quòd adhuc facta distributione juxta numer. 28. existentia, & alia prædicantur accidentaliter seperabiliter, & sic non necessariò; secus in distributione prædicatorum essentialium, quæ in omni sta-

tu conveniunt inseparabiliter , & necessariò.

30. His notatis, ad argumentum in contra positum num. 27. respondeo concessio antecedenti, nego consequentiam, ad probationem consequentiam nego antecedens; nam dum dicitur *Homo est vivens* ly *vivens* non sumitur exercitè, sed signatè; exercitè sumptum dicit unionem physicam animæ ad corpus, existentiam huius unionis, & actionem vitalem. Signatè autem solum dicit unionem objectivam animæ ad corpus, & connexionem essentialem hominis cum principio vitæ, præscindendo ab existentia ejus. Et licet homo mortuus, aut non dum genitus, non possit dici *vivens* exercitè, potest dici *vivens* signatè.

Dices. Homo mortuus non potest dici simpliciter homo, ut vidimus ex D. Thoma num. 19. ergo multò minùs potest dici vivens. Respondeo doctrinam illam D. Thomæ esse de Christo Domino, & valere in omni propositione de subjecto singulari, cujus veritas pendet per se ab existentia; unde omnia prædicata prædicantur exercitè; & sic falsò dicitur de Christo in triduo mortis, quòd sit homo. At nunc est sermo de homine subjecto universalis; & cum uni-

versalia per se non pendeant ab existentia, ut patet ex dictis, admittunt prædicata signatè sumpta. Quare licet Christus mortuus, non sit simpliciter homo, nec vivens; homo tamen universaliter sumptus, ante generationem, & post mortem potest dici signatè homo, & vivens, & animal.

Ad confirmationem patet ex dictis num. 29. Unde concessa maj. disting. min. & potest de existentia fieri illa distributio per omnem statum, repugnantè, & contra naturam existentiam, concedo; non repugnantè, nego min. & disting. consequens, ergo sicut prima est æternæ veritatis, ita secunda, & secunda erit repugnantè, concedo consequentiam, erit non repugnantè, nego consequentiam. Repugnantia ostensa est num. 29. quia existentia semper petit sumi exercitè, quare sine repugnantia non potest extendi ad alios status, ubi sumitur signatè. Addimus quòd creatura in statu possibilitatis dicit indifferentè ordinem ad existentiam; & in statu futurionis dicit determinatè ordinem ad existentiam: non ad existentiam signatam, sed ad existentiam exercitam determinato tempore habendam: ergo si existentia sumpta exercitè respicitur adhuc à non existentibus, signum est quod

QUEST. V.  
quod est contra naturam existentiam sumi, aut respici signatè.

§. IV.

*Solvuntur argumenta contra nostram sententiam.*

31. ARGUES contra primam conclusionem nostram sic. Illa propositio est simpliciter æternæ veritatis, quæ simpliciter ab æterno cognoscitur ut vera. sed propositiones essentielles cognoscuntur à Deo ab æterno simpliciter ut veræ: ergo propositiones essentielles sunt ab æterno simpliciter æternæ veritatis, saltem relatè ad intellectum Divinum. Maj. patet, quia sicut quòd non est verum, nequit cognosci ut verum; ita quòd non est ab æterno simpliciter verum; nequit simpliciter cognosci ab æterno ut verum. Et ratio est clara ex illo axioma Philosophi, *Sicut se habet simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis.*

Min. quoad tres partes probatur. Quia licet Deus non faciat tales propositiones circa objectum cognitum, ut dictum est; at tamen cognoscit omnes propositiones nostras. Et patet ex illo Psalmi *Dominus scit co-*

*gitationes hominum, quoniam vanæ sunt: at cogitationes hominum sunt propositiones; & adhuc quòd propositiones nostræ sint essentielles, sunt vanæ cogitationes, quia sunt cogitationes intellectus limitati juxta dicta num. 5. & 6. ergo Deus cognoscit nostras propositiones essentielles. Quod cognoscat ab æterno patet, quia scientia Dei illas cognoscens, est æterna simpliciter, nec habuit initium, nec habebit finem; quare non incipit in tempore cognoscere illas, sed simpliciter ab æterno. Quod autem cognoscat illas, ut veras, patet, quia non est cognitio, aut scientia nisi verorum: ergo Deus ab æterno simpliciter cognoscit propositiones essentielles, ut veras.*

32. Respondeo primò instando argumentum. Quia ex illo probatur quòd nulla est dabilis propositio in materia contingenti, quæ saltem respectu Dei non sit simpliciter æternæ veritatis. Instatur sic. Per te propositio, quæ ab æterno cognoscitur ut vera, est æternæ veritatis: sed hæc propositio *Petrus currit* ab æterno cognoscitur à Deo ut vera: ergo est æternæ veritatis. Probatur min. Deus non incipit in tempore cognoscere hanc propositionem; cum scientia ejus nullum habuerit ini

initium : quare ut illam cognoscat, non expectat cursum temporalem Petri, sed ab æterno illum cognoscit. Idem dic de hac propositione *Antichristus existit*, quæ sine dubio cognoscetur à Deo, dum existat Antichristus: at Deus non incipit cognoscere in tempore, sed ab æterno omnia cognovit: ergo hæc propositio ab æterno cognita ut vera, erit simpliciter æternæ veritatis. At hoc est nimis probare: ergo nihil probatur contra nos.

Respondeo secundò dist. maj. illa propositio est simpliciter æternæ veritatis, quæ ab æterno cognoscitur ut vera: ut vera ab æterno ex meritis propositionis, concedo; ut vera ab æterno ex perfectione cognoscentis, nego maj. & dist. min. Propositiones essentielles cognoscuntur ab æterno, ut veræ, ex meritis propositionum, nego min. ex perfectione Dei cognoscentis, concedo min. & nego consequentiam. Ad probationem maj. disting. antecedens. Quod non est ab æterno verum, nequit cognosci ab æterno ut verum, ex meritis proprijs, concedo antecedens; ex perfectione cognoscentis, subdisting. si non sit verum nec in se, nec in alio, concedo antecedens, si non sit verum in se, & sit verum in alio, nego antecedens,

& consequentiam sub distinctione data.

Si propositiones essentielles haberent ex se cognosci ab æterno, certè forent æternæ veritatis simpliciter. At illud non habent ex se, quod patet, nam id etiam convenit propositionibus accidentalibus, & contingentibus, ut ostensum est. Immo nulla est creatura quæ non cognoscatur à Deo ab æterno ob rationem argumenti. At cum veritas creaturarum sit indistincta ab earum entitate; & entitas earum non sit æterna, sed temporalis, jam vides, quòd ex meritis proprijs non habet cognosci ab æterno. Quare nulla entitas creata, & nulla propositio nostra est veritatis simpliciter æternæ, quia licet omnia sint cognita ab æterno, non ex meritis suis, aut ratione veritatis æternæ, sed ratione intellectus Divini, qui est æternus, & omnia ab æterno cognoscit.

33. Sed dices. Quomodo potest esse perfectio intellectus Divini, cognoscere ab æterno ut verum, quod ab æterno verum non est? Immo potius hoc videtur imperfectio. Nam cognoscere ut verum, quod non est verum, est cognoscere rem aliter ac est in se; & est falli in cognoscendo: sed falli, & cognoscere rem aliter, ac est in se; non est

est perfectio, sed imperfectio: ergo si propositiones essentielles ex se non sunt ab æterno veræ, nequeunt cognosci ab æterno ut veræ ratione perfectionis intellectus Divini.

Respondeo, quòd omnes Catholici tenentur solvere hæc replicam, cum Deus ab æterno cognoscat omnes creaturas, & omnes propositiones contingentes; quæ cum non habeant veritatem simpliciter æternam, debet assignari modus, quo Deus illas cognoscat ab æterno sine imperfectione; immò ratione summæ perfectionis. Quod alij dicant ad instantiam, respondemus nos ad hanc replicam.

Directè respondeo, quòd Deus cognoscit illas propositiones ab æterno, ut repræsentatas in Divinis idæis; & cum idææ sint ab æterno, sicut essentia Divina quæ habet rationem idææ, juxta dicta num. 24. idè ab æterno repræsentant omnes propositiones nostras, & omnia entia quæ Deus cognoscit. Et nota quòd Deus verè cognoscit ab æterno, & idææ verè ab æterno repræsentat, quia non repræsentat propositiones ut veras ab æterno, sed ut veras in tempore, sed hoc verum repræsentat ab æterno, & sic verè cognoscitur. Sicut ab æterno idææ repræsentat verè

Antichristum existentem, sed non existentem ab æterno. Quare ab æterno idæa repræsentat hoc *Antichristus existit in tempore*; & hoc est verum: non autem repræsentat ab æterno hoc, *Antichristus existit ab æterno*, quia hoc est falsum, & nequit repræsentari ab idæa verissima in repræsentando. Ecce quomodo Deus non cognoscit propositiones aliter ac sunt in se, quia licet ab æterno non sint veræ, sed in tempore, nō cognoscit Deus illas ab æterno ut veras, sed ut temporaliter veras, & hoc cognoscit ab æterno: quare *ly ab æterno* cadit verè supra cognitionem; non supra veritatem objecti cogniti.

34. Argues secundò contra eandem conclusionem primam. Ab æterno datur objectum enuntiabile per propositionem veram: ergo ab æterno simpliciter est dabilis propositio quæ sit simpliciter æternæ veritatis. Consequentia probatur à paritate, nam si ab æterno datur objectum scibile, ab æterno debet dari scientia respiciens illud objectum: ergo si ab æterno datur objectum enuntiabile per propositionem veram, ab æterno dabitur propositio vera. Secundò probatur consequentia à ratione. Nam objectum est men-  
tura

sura scientiæ, & propositionis: sed mensuratum debet dari pro omni duratione, qua datur ejus mensura: ergo si ab æterno datur objectum enuntiabile &c.

Probatur ergo primum antecedens. Ab æterno datur connexio essentialis hominis possibilis cum sua essentia possibili: sed ista connexio est enuntiabilis per istam propositionem veram, *Homo est animal rationale*: ergo ab æterno datur objectum enuntiabile per propositionem veram. Major patet, quia creaturæ possibles sunt ab æterno, sicut Omnipotentia Dei cum qua connectuntur, ab æterno est: ergo inter eas est homo, qui essentialiter connectitur cum sua essentia possibili. Secundò. Ab æterno Pater est Deus, Filius est Deus, Spiritus Sanctus est Deus. Item ab æterno Deus est sapiens, justus, &c. sed omnia ista sunt objectum enuntiabile per propositionem veram: ergo ab æterno datur objectum &c.

35. Hoc argumentum nimis probat, quia probat nostram scientiam esse æternam simpliciter, quod est evidenter falsum. Probat hoc, nam ab æterno datur connexio illa creaturarum possibilium cum suis essentijs, & suis proprietatibus: sed connexio creatu-

tum cum essentijs, tum cum proprietatibus, est scibilis, & demonstrabilis per scientiam creatam: ergo si connexio datur ab æterno, dabitur ab æterno scientia demonstrativa, & cognoscitiva illius objecti. Quod patet esse falsum.

Respondeo directè distinguendo antecedens. Ab æterno datur objectum enuntiabile per propositionem veram, factam à Deo, nego antecedens, quia Deus non facit propositiones juxta dicta num. 6. factam à creatura subditing. à creatura ab æterno, nego suppositum, quia nulla creatura est ab æterno: factam à creatura in tempore, concedo antecedens, & dist. consequens, ergo est dabilis propositio ab æterno vera, si creatura producat in tempore, nego consequentiam; si producat ab æterno, subditing. est dabilis propositio ab æterno simpliciter, nego consequentiam; ab æterno secundum quid, concedo consequentiam.

Cum solus intellectus creatus possit facere propositiones, veritas quæcumque enuntiabilis per propositionem solùm est enuntiabilis per propositionem factam à creatura: ergo cum de facto nulla creatura sit creata ab æterno; nulla de facto datur veritas, quæ sit enun-

tia

tiabilis ab æterno per propositionem. Quare cum quæstio sit de propositionibus essentialibus quæ dantur de facto; nihil ex argumento evincitur contra nostram sententiam. At quia *ly enuntiabilis* dicit possibilitatem, & possibile fuit creaturam produci ab æterno; idè in hac suppositione possibili, certum est, quòd veritas illa, quæ datur ab æterno, est ab æterno enuntiabilis. Ceterùm nil inde contra nos, quia adhuc dato isto possibili, enuntiatio illa non esset æterna simpliciter, sed secundum quid; quia ita careret principio, ut posset illud habere, quod non convenit æterno simpliciter, sed æterno secundum quid. Vide dicta num. 7.

36. Pro reliquis probationibus tum antecedentis, tum consequentiæ hujus argumenti nota duo. Primò, quòd illæ veritates citatæ in argumento sunt æternæ simpliciter, quia nunquam inceperunt, nec possunt habere finem, aut principium. Homo enim ita est ab æterno possibilis, ut nunquã possit reddi impossibilis. Item Trinitas ita est Deus, sapiens, justus, ut hæc veritas nunquam habuerit principium, nec possit habere finem. Ceterùm istæ veritates non sunt plures, sed una, & unica veritas æternæ, ut dictum est num. 8.

Nota secundò, quòd hæc veritas simpliciter æterna habet duplicem scibilitatem, unam relatè ad intellectum Divinum, & hæc est simpliciter æterna, sicut intellectus Divinus est simpliciter æternus. Alteram relatè ad intellectum creatum, & hæc non est simpliciter æterna, sed temporalis de facto, & secundum quid æterna de possibili, quia de facto noster intellectus est temporalis, & de possibili potuit esse æternus secundum quid, non simpliciter. Sic ipse Deus est cognoscibilis infinite à se ipso, & finite à creatura, quare ens Divinum habet duplicem cognoscibilitatem, unam infinitam relatè ad intellectum infinitum, alteram finitam relatè ad intellectum creatum. Igitur veritas illa ut simpliciter æterna, non est enuntiabilis per propositionem; quia est talis relatè ad intellectum Divinum qui non facit propositiones. Eadem veritas relatè ad intellectum creatum est enuntiabilis per propositionem; ceterùm sic non est simpliciter æterna, nec cognoscibilis ab æterno simpliciter: quare propositiones de ea factæ, non sunt simpliciter æternæ veritatis, sed secundum quid.

37. Argues tertio contra eandem conclusionem: licet propositiones essentielles

Li

na

nostræ non sint ab æterno formaliter, sunt tamen simpliciter ab æterno fundamentaliter: sed hoc sufficit ut dicantur simpliciter æternæ veritatis: ergo propositiones essentialis sunt simpliciter æternæ veritatis. Major, & min. sunt probandæ, & primò major. Licet ab æterno non detur intellectus creatus faciens tales propositiones, datur tamen ab æterno connexio essentialis subiecti cum suis prædicatis essentialibus, quæ est fundamentum propositionum essentialium: ergo dantur fundamentaliter propositiones essentialis. Secundò, ab æterno dantur creaturæ possibles cum suis essentijs possibilibus: sed inter creaturas possibles, & earum essentialis, datur connexio essentialis, quæ est fundamentum propositionum essentialium: ergo dantur fundamentaliter. Tertiò, nam saltem in Divina essentia relatè ad Divinas Personas, datur ab æterno fundamentum harum propositionum, *Pater est Deus: Filius est Deus*: ergo dantur istæ propositiones fundamentaliter ab æterno.

Min. autem probatur. Ideæ Divinæ dicuntur simpliciter æternæ, & simpliciter æternæ repræsentationis: & tamen nõ dantur ab æterno formaliter, sed fundamentaliter: ergo suf-

ficit, quòd dantur ab æterno fundamentaliter propositiones essentialis, ut dicantur simpliciter æternæ veritatis. Hæc minor probatur. Quia ideæ Divinæ constituuntur formaliter per relationem rationis ad creaturas ideatas: sed hæc relatio non datur ab æterno: quia intellectus Divinus non potest illam facere; & intellectus creatus, qui facit ens rationis non est ab æterno: ergo ideæ Divinæ non dantur ab æterno formaliter, sed fundamentaliter.

38. Ad hoc argumentum dupliciter potest responderi, primo in sententia defendente, quòd Deus facit aliqua entia rationis, ea scilicet quibus complentur ideæ Divinæ, & multiplicantur per diversas relationes ad ideata juxta dicta num. 24. quæ sententia videtur expressa in nostro Ægidio in 1. Sententiarum distinct. 36. quæst. 2. art. 2. ad primum ubi ait, quòd *Hujusmodi pluralitas idearum est in Deo, non tanquam in natura ejus, sed tanquam in cognitione ipsius: cognoscit enim Deus se à pluribus imitabilem, & ideo est in eo pluralitas idearum.* Idem docuit clariùs D. Thomas 1. part. quæst. 15. artic. 2. ad tertium dicens: *Quòd respectus illi, quibus complentur, & multiplican-*

*tur*

*sur ideæ; non causantur à rebus, sed ab intellectu Divino comparante essentiam suam ad res.* Ecce juxta utrumque B. Doctorem intellectus Divinus facit ab æterno relationes illas rationis, quibus complentur formaliter, & multiplicantur ideæ.

In hac sententia facile solvitur argumentum, admissa maj. negando min. Ad cujus probationem nego min. ad hujus probationem nego min. Nã cum ab æterno intellectus Divinus faciat illas relationes rationis; jam ab æterno ideæ dantur formaliter, & sic nil mirum, quòd sint simpliciter æternæ repræsentationis. At propositiones nostræ non dantur ab æterno formaliter, & sic non sunt æternæ veritatis simpliciter.

39. At quoniam sunt plures ex nostris, & ex Thomistis negantes Deum facere aliqua entia rationis, dicendum est juxta ipsos, quòd ideæ ab æterno solum sunt fundamentaliter: cumque propositiones nostræ sint etiam fundamentaliter ab æterno; restat dare disparitatem, cur ideæ sunt ab æterno simpliciter, & æternæ simpliciter repræsentationis; propositiones verò nostræ non sint simpliciter æternæ veritatis?

Disparitas est, quòd fundamentum idearum ex se habet

imitabilitatem, & repræsentationem: nam essentia Divina non accipit à relatione rationis posse repræsentare creaturas, aut imitari ab eis, sed hoc habet ex se; unde relatio solum dat essentialis Divinæ pluralitatem. Et cum ratio ideæ principaliter attendatur penes repræsentationem, & imitabilitatem, si hoc habet essentialis Divina ex se, ut est fundamentaliter ideæ ab æterno, sufficit ut ab æterno simpliciter dicatur ideæ. At fundamentum nostrarum propositionum quòd datur ab æterno, non habet enuntiare unum de alio; nec esse orationem in qua verum, vel falsum est, ut patet: uno verbo, veritas propositionum est veritas formalis, consistens in adæquatione actus intellectus cum objecto, ut est in re, quia *Ab eo quòd res est, vel non est, propositio dicitur vera, vel falsa.* In fundamento ab æterno non datur hæc veritas formalis, quia nullus est ab æterno intellectus creatus, in quo sit hæc veritas. Ad summum enim datur in illo fundamento veritas transcendentalis & objectiva, sed hæc relatè ad intellectum creatum nõ est simpliciter æterna, ut dictum est num. 36. Quare fundamentum nostrarum propositionum, nec potest dici propositio fundamentaliter, sicut dicuntur



ideæ: nec fundamentum illud relatè ad propositiones nostras est simpliciter æternum, licèt relatè ad intellectum Divinum æternum sit.

40. Hinc juxta hanc secundam sententiam respondemus in forma ad argumentum disting. maj. Licèt &c. sunt tamen propositiones nostræ ab æterno fundamentaliter; fundamentaliter specificativè, concedo; fundamentaliter reduplicativè, nego maj. volumus dicere, quòd licèt illud fundamentum sit ab æterno, & cognoscatur sic ab intellectu Divino; non tamen est ab æterno ut fundamentum nostrarum propositionum; quia fundamentum ut tale, respicit rem fundatam saltem possibilem. At nec intellectus noster nec nostræ propositiones possunt esse ab æterno simpliciter, ut probatum est: ergo tale fundamentum ut fundamentum non est ab æterno.

Ad probationem majoris dic primam esse falsam, si loquatur de connexione creaturarum extra Deum cum suis prædicatis essentialibus juxta dicta num. 9. Si enim extra Deum nulla creatura est ab æterno; quomodo habebit extra Deum essentiam connexam cum suis prædicatis? Si loquatur de creatura possibili, aut futura secundùm esse quod ha-

bet intra Deum: hoc modo probatio est vera, sicut & secunda, & tertia. Ceterùm illud fundamentum solum est æternum simpliciter relatè ad Divinum intellectum, at hoc modo non est fundamentum cùm Deus non faciat propositiones supra illud fundatas. Relatè ad nostrum intellectum est fundamentum, sed hoc modo non est æternum simpliciter, sed secundùm quid juxta dicta num. 36.

41. Sed dices: Licèt relatio rationis in hac sententia solum fiat à nostro intellectu qui non est simpliciter æternus, ideæ Divinæ sunt fundamentaliter ab æterno simpliciter: ergo licèt propositiones solum fiant ab intellectu creato, qui non est simpliciter æternus, dantur simpliciter ab æterno propositiones fundamentaliter, & dabitur fundamentum earum reduplicativè, ut fundamentum.

Respondeo negando consequentiam, disparitas constat ex num. 39. Nam relatio rationis non dat ideæ quòd sit idea, & sic noster intellectus non facit ideas, quare fundamentum quod datur ab æterno, propriè non est fundamentum ideæ, licèt dicatur idea fundamentaliter, quia deficit ei complementum, & plurificativum. At noster intellectus

verè facit propositiones, & dat propositionibus quòd sint tales: quòd cùm non possit simpliciter ab æterno; ideò nec fundamentum earum est ab æterno reduplicativè, ut fundamentum. Et quidem paritas in hoc benè currit, quòd sicut solus intellectus noster facit propositiones, solus facit relationes rationis, & ab æterno datur fundamentum propositionum, & relationum. Ceterùm utrumque fundamentum non est simpliciter ab æterno ut fundamentum.

42. Dices. Saltem nostræ propositiones sunt ab æterno simpliciter possibiles: at hoc modo sunt veræ: ergo sunt veritatis simpliciter æternæ. Patet consequentia: quia omnia possibilia sunt æterna simpliciter, sicut omnipotentia cum qua connectuntur. Secundo propositiones nostræ ab æterno simpliciter sunt possibiles: sed possibile est quòd potest esse: ergo propositiones nostræ possunt esse, & existere ab æterno simpliciter: & consequenter perperam hucusque diximus non posse dari ab æterno simpliciter.

Ad primum disting. min. sunt veræ veritate disting. min. sententiæ, concedo, veritate distincta à veritate Dei, nego min. & consequentiam sub eadem distinctione, vide dicta num. 8.

Quæstio nostra est de propositionibus æternæ veritatis distinctæ à veritate Dei tum formali, tum objectiva. Argumentum non probat istam, & sic nil probat. Immo, cùm sint possibles etiam propositiones contingentes veræ, de eis æquè probat esse æternæ veritatis, quòd est contra omnes. Eisdem terminis instatur secunda replica in propositionibus contingentibus, quare fallaciter procedit. Fallacia est in minori, quam distinguimus: sed possibile est quòd potest esse ab æterno, *ly ab æterno* cadente supra *posse*, concedo min. cadente supra *esse*, vel *existere*, nego min. & consequentiam. Homo ab æterno simpliciter habet potentiam ad existendum, quia est possibilis, nec potest reddi impossibilis. Ceterùm non habet potentiam ut existat ab æterno simpliciter, quia potest deficere etiam si ab æterno esset productus.

43. Argues quartò contra secundam conclusionem. Hęc propositio, *Homo est animal* per nos est secundùm quid æternæ veritatis: sed hoc non subsistit in nostris principiis: ergo contra nostra principia est secunda conclusio. Probatur min. vel propositio illa est æternæ veritatis, quia est essentialis, vel quia est universalis. Si primum ergo etiam hæc



*Christus est homo*, erit *eternæ* veritatis. Patet consequentia, quia est *æquè* essentialis ac prima. Atqui juxta tertiam conclusionem propositio de Christo non est *eternæ* veritatis, nec quæcumque de subjecto singulari: ergo &c. Si secundum, ergo hæc propositio *Omnis homo est albus* erit *eternæ* veritatis, vel hæc *Homo est albus*. Patet consequentia, quia utraque est de subjecto universali.

Confirmatur. Ideò juxta dicta num. 19. & 20. Hæc propositio *Homo est animal* est *eternæ* veritatis, secus ista *Petrus est animal*; quia universalia juxta Philosophum, & D. Thomam sunt per se incorruptibilia, & solum per accidens ratione singularium deficiunt: at hæc ratio *æquè* probat de universalibus contingentibus: ergo propositiones contingentes, si sint de subjecto universali, erunt *eternæ* veritatis, quod est falsum apud omnes, & constat exemplis datis. Probatur min. etiam universalia contingentia non deficiunt per se, sed ratione singularium: ergo ratio de eis *æquè* probat.

Confirmatur secundò. Hæc propositio est essentialis *Homo qui existit, est animal*; & hæc *Homo qui est albus, est animal*; & utraque est de sub-

jecto universali: & tamen neutra est *eternæ* veritatis adhuc secundum quid: ergo nostra secunda conclusio non tenet. Major patet, quia in utraque prædicatum est de essentia subjecti, & subjectum nullo afficitur signo singulari. Minor probatur. Prædictæ propositiones solum sunt veræ homine existente; at homo solum temporaliter existit, & non ab æterno adhuc secundum quid: ergo &c.

Confirmatur tertio. Hæc propositio *Animal est homo* videtur essentialis, & universalis: & tamen non est *eternæ* veritatis adhuc secundum quid: ergo &c. Probatur min. quia propositio illa, si est essentialis, & universalis, est falsa, & sic nullius veritatis: ergo probatur antecedens. Propositio illa si est essentialis, est essentialis indefinita, & hæc *æquæ* valet universali: sed hæc universalis est falsa *Omne animal est homo*: ergo &c.

44. Ad argumentum respondetur nostram secundam conclusionem esse solum de propositione universali essentiali; & de universali per se nota, ut sunt prima principia, v.g. *Omne totum est majus sua parte: duo, & tria sunt quinque* &c. Nec enim sufficit quòd propositio sit essentialis, si est singularis, ut dicimus in con-

conclusionem tertia, nec sufficit sola universalitas, si non sit in materia essentiali, & necessaria. In forma nego min. ad probationem nego major. non enim disjunctivè sumitur secunda nostra conclusio, sed copulativè requirit utrumque, scilicet universalitatem subjecti, & materiam propositionis necessariam. Sic cessant probationes min. quæ non sunt ad rem.

Ad primam confirmationem, nota quòd universale contingens potest considerari dupliciter: primo in ordine ad subjectum receptivum accidentis, v.g. album respectu hominis, aut parietis, in quibus est albedo: secundo in ordine ad accidentia sibi inferiora, ut album respectu hujus, vel illius albedinis. Hoc secundo modo facit propositiones essentielles, v.g. *Hæc albedo est albedo, vel omnis albedo est alba: omnis calor est calidus*. Istæ prædicationes sunt secundi prædicabilis, ut dicemus quarto libro Logicæ. Si autem primo modo accipiatur, facit quintum prædicabile, & omnes propositiones sunt contingentes. Hoc notato, respondeo doctrinam Philosophi esse de universalibus, modo quo faciunt propositiones essentielles: non verò de contingentibus, ut faciunt propositiones contingentes.

Hujus ratio est, quia propositio si fit per signa universalis in materia contingenti, est falsa, & sic nullius veritatis, v.g. *Omnis homo est albus*. Si sit indefinita, *æquæ* valet particulari, v.g. *Homo est albus*, *æquæ* valet huic; *Aliquis homo est albus*. Sed hæc juxta tertiam conclusionem non est *eternæ* veritatis: ergo in nostris principiis nulla propositio in materia contingenti potest esse *eternæ* veritatis. Quando Philosophus dicit universalis solum deficere ratione singularium, loquitur de universalibus relatè ad sua inferiora, de quibus prædicantur in quid, vel necessariò; non autem de universalibus relatè ad subjecta, de quibus prædicantur ut accidens commune: nam de eis dicitur in diffinitione quinti prædicabilis, quòd *Possunt adesse, & abesse* &c. Ecce per se possunt corrumpi, & sic non sunt incorruptibilia per se relatè ad subjectum. In forma ad confirmationem nego min. ad probationem disting. antecedens. Universalis contingentia non deficiunt per se, universalis comparata ad sua inferiora, concedo, comparata ad subjecta, de quibus prædicantur separabiliter, nego antecedens, & consequentiam.

45. Ad secundam confirmationem nego major. nego quòd

quod tales propositiones sint universales; quia licet non afficiantur signo particulari, habent tamen aliquid ex parte subjecti, quod facit eas propositiones esse singulares; hoc est illa copula implicationis *Qui existit, & qui est albus*. Hoc additum tollit à subjecto universalitatem, quia *homo* universaliter sumptus præscindit ab existentia, & coloribus, quæ sunt accidentia singularium. Quare licet illæ propositiones sint essentielles; non tamen æternæ veritatis, quia sunt de subjecto singulari, ut dictum est in tertia conclusione.

Ad tertiam confirmationem dic, quod ista propositio *Animal est homo*, si subjectum non intelligitur cum aliqua restrictione, sed de omni animali, est falsa, & repugnans, quare

non est essentialis. Si restringitur ad solam animalitatem hominis, sic est vera, ceterum est æternæ veritatis, quia æquivalet huic, *Animal hominis est homo*, quæ cum sit essentialis in materia, & nullo affecta signo, est universale, & æquivalet huic, *Omne animal hominis est homo*, quæ est essentialis, & universalis, & sic æternæ veritatis. Et nota, quod hæc restrictio *hominis*, non est restrictio tollens universalitatem ad omnes homines, quare restringit majorem universalitatem animalis, & relinquit universalitatem specificam naturæ humanæ, quare non est restrictivum reducens propositiones ad subjectum singulare, qualis erat restrictio secundæ confirmationis.

## QUÆSTIO SEXTA.

*Utrum verbum absolvatur à tempore?*

### §. I.

*Explicatur ratio dubitandi, & proponitur communis sententia.*

**T**RIA sunt in verbo, quæ attentè notanda sunt. Primum est significare cum tempore; & hoc est essenziale verbo, ut constat ex ejus definitione. Secundum est unire extrema propositionis ex parte modi si-

gnificandi cum tempore; & hoc est inseparabile à verbo, ut colligitur ex D. Thomæ loco infra citando. Tertium est restringere extrema ad tempus importatum per verbum; & hoc est proprietas verbi, de qua quæritur in præsentibus, an sit ita inseparabilis à verbo, ut in nulla propositione possit ab illa absolvi.

Explicantur hæc tria: In hac propositione *Homo est animal*. Verbum *est* significat esse cum tempore præsentis: ite unit hominem cum animali de præsentibus ex vi modi significandi eam unionem. Attandem videtur quod restringit extrema ut solum verificentur de præsentibus, & de solis hominibus, & animali existentibus. Si teneas quod ita restringit verbum extrema unita, verbum non absolvitur à tempore: si teneas quod non restringit extrema unita, tum verbum absolvitur à tempore. Quare inquirere, an verbum in aliquibus propositionibus absolvatur à tempore, est quærire an in aliquibus propositionibus verbum non restringat extrema ad solum tempus importatum per verbum, ut in exemplo dato, quia illa propositio *Homo est animal*, non solum verificatur de homine de præsentibus existentibus, sed de præteritis, & futuris hominibus, quia omnes

sunt animal.

2. Si propriè loqueremur, titulus quæstionis non erat ille qui datus est, sed iste, an in aliquibus propositionibus extrema unita absolvantur à tempore? Ratio est clara. Primum, quia, ut videbimus, verbum absolvi à tempore est verbum non ligare extrema ad tempus per ipsum importatum: ergo quod absolvitur à ligamine, non est verbum, sed extrema unita. Secundò: verbum essentialiter significat cum tempore: ergo significatum verbi semper est temporali-gatum, & nunquam ab hoc vinculo absolvitur. Ergo verbum revera nunquam absolvitur à tempore, essentialiter significato, sed sola extrema unita sunt quæ aliquando absolvantur à nexu temporis.

Ob hæc, & alia, quidam ex nostris tenuerunt in manuscriptis verbum nunquam absolvi à tempore; bene verò extrema unita in propositionibus necessariis. Ceterum, quia discrimen hoc est de sola voce, & in re idem dicunt omnes, ideò sub communi titulo quæstionem instituimus ne in quæstione de voce à veteribus recedamus.

3. Communis sententia docens propositiones necessarias dici æternæ veritatis, tenet in eis verbum absolvi à

tempore modo explicato. Ita communiter Thomistæ Soto, Lerma, Bajona, Sancto Thoma, & alij. Sed inter se non conueniunt in aliquibus. Nam si quæras: An hæc propositio *Deus est*, habeat verbum absolutum à tempore? Affirmat Lerma, negat Bajona, ut videbis apud utrumque in solutione argumentorum. Item si quæras, an propositiones essentialis per verbum extrinseci temporis ( id est per verbum de præterito, aut futuro) sint tales, ut in eis verbum absoluitur à tempore? Negat Lerma in secunda conclusione. Affirmat Bajona in solutione argumentorum.

Hæc omnia unusquisque suadet suis principijs, nec facile in concordiam possunt revocari, nisi stabiliendo solida principia ex D. Thoma, & Agidio, de quorum mente sequenti. Interim hæc sigillatim fundamenta communia proponemus, postea expendenda ad mentem utriusque Beati Doctoris.

4. Bajona probat sic: Verbum absolvi à tempore, est verbum permittere, ut extrema non accipiantur pro aliquo determinatè existenti in tempore significato per copulam: sed ita se habet verbum in aliquibus propositionibus: ergo in eis verbum absoluitur

à tempore. Minorem probat in propositionibus necessarijs. Nam propositio necessaria semper & necessariò est vera; sed in propositione semper vera, extrema non accipiuntur pro aliquo existente determinatè in aliqua differentia temporis: ergo. Probatur min. Necessarium non dependet à contingenti: sed quòd res existat in aliqua differentia temporis est contingens: ergo.

Confirmat hoc in hac propositione *Leo est animal ferox*, leo non accipitur pro leone existente de præsentis: ergo in aliqua propositione verbum non restringit extrema, & sic in ea absoluitur à tempore. Antecedens patet, quia nullo existente leone, illa propositio est vera: & idem censendum de qualibet propositione essentiali.

5. Secundò probat sic. Eo modo debet existere subiectum propositionis, quo illi convenit prædicatum: sed in aliquibus propositionibus non est necessarium quòd subiectum existat physicè, ut ei conveniat prædicatum, sed sufficit quòd existat objectivè, vel possibiliter: ergo in eis verbum absoluitur à tempore. Major constat, & min. probatur. Nā in propositionibus essentialibus esse quòd significat verbum,

NON

non est esse existentia & exercitum, sed est esse essentia & signatum: sed ut subiecto conveniat esse essentia & signatum, non requiritur quòd subiectum existat physicè & exercitè, sed objectivè & possibiliter: ergo &c. maj. & min. constant in hac propositione *Homo est animal*, ubi esse animal, quòd est esse signatum & essentia, ut conveniat homini, non requiritur quòd homo existat physicè, sed sufficit quòd homo sit possibilis, vel objectivè existens.

Confirmat hoc. Aliquando verbum *est* significat connexionem extremorum, non autem identitatem exercitam: sed ut verificetur de præsentis connexionem extremorum, non requiritur quòd existant extrema connexionis de præsentis: ergo quando verbum in propositione significat talem connexionem, absoluitur à tempore. Probatur min. De præsentis verificatur connexio inter alium mundum, & ejus productionem, quia neque potest dari alter mundus quin producat: nec productio alterius mundi sine tali mundo producto: sed ut hæc connexio sit de præsentis, non requiritur quòd de præsentis existant mundus & ejus productio: ergo &c.

6. Hinc colliges juxta Bajonam, quòd hæc propositio

*Deus est*, licet sit essentialis, at in ea verbum non absoluitur à tempore. Ratio est, quia juxta ipsum nihil est aliud verbum absolvi à tempore, quàm quòd verbum nõ restringat extrema, ut existant eo tempore quo per verbum significantur unita: sed Deus in omni tempore existit, & Deus, qui non existit, non est Deus: ergo in hac propositione extrema supponunt pro existente in tempore præsentis, & sic verbum à tempore non absoluitur.

Colliges secundò juxta eundem, quòd hæc propositio *Homo fuit animal*, quæ est extrinseci temporis, est essentialis, & in ea verbum absoluitur à tempore. Ratio est, quia cum sit propositio necessaria, non pendet ab existentia præterita, quæ est quid contingens. Rursus prædicatum non petit existentiam physicam subiecti, sed objectivam, ut ei conveniat. Quare juxta utrumque fundamentum Bajonæ in propositione necessaria, siue sit temporis intrinseci & præsentis; siue præteriti, aut futuri quòd dicitur tempus extrinsecum, verbum semper absoluitur à tempore.

7. Lerma ponit duas conclusiones. Prima est de propositionibus necessarijs verbi intrinseci & præsentis, de  
Mmz qui-

quibus ait verbum absolvi à tempore. Hoc probat primo, quia in hac propositione *Homo est animal*, verbum non solum unit animal præsens cum homine præsentis, sed animal quod est, fuit, & erit, cum homine qui est, fuit, & erit: ergo in ea propositione verbum non restringit extrema ad tempus præsens, & consequenter absoluitur à tempore. Probat antecedens. In ea propositione verbum unit cum hominæ illud animal quod est de essentia hominis: sed animal quod est de essentia hominis, non est animal præsens, sed est animal quod est, fuit, & erit: ergo,

Confirmat primò: In illa propositione verbum supponit modo quo extrema; quare cum tota propositio sit in materia naturali, tam verbum, quam extrema supponunt naturaliter. Nunc sic, sed quia extrema supponunt naturaliter, idè non accipiuntur solum pro præsentibus, sed pro præteritis, & futuris: ergo verbum unit non solum extrema præsentia, sed præterita, & futura; & sic non restringit, sed absoluitur à tempore.

Confirmat secundò: Prædicatum essenziale comitatur rem ubicumque fuerit, & in quocumque statu sit: ergo in propositionibus essentia-

libus prædicatum non conuenit solum subiecto in statu existentia, sed in statu possibilitatis, futurionis, & præteritionis: Ergo verbū de præsentis uniens in propositione essentiali non restringit extrema ad tempus præsens in quo existunt, & consequenter absoluitur &c.

Confirmat tertio: Unio extremorum oritur ex eorum habitudine: sed in propositionibus contingentibus habitudine extremorum est contingens; in essentialibus est essentialis, & à tempore independens: ergo in eis verbum non restringit extrema; & consequenter &c.

Confirmat quartò: Implicat quòd propositio sit essentialis, & quòd extrema solum supponant pro existentibus: ergo vel negandæ sunt propositiones essentielles, vel concedendum quòd in eis verbum absoluitur à tempore. Probat antecedens: existentia soli Deo est essentialis: ergo de objecto creato implicat quòd propositio sit essentialis, & quòd extrema &c.

8. Secunda conclusio Lermæ est verbum extrinseci temporis non potest à tempore absolvi. Probat, quia ut dicit Magister Soto, verbum præteriti temporis semper restringit extrema post se posita ad significandum id quòd fuit. Ergo verbum extrinseci temporis

poris non absoluitur.

Confirmat hoc. In hac propositione *Homo fuit animal* extrema non supponunt naturaliter: ergo in ea verbum non absoluitur à tempore. Probat antecedens: In ea extrema non supponunt pro omnibus præteritis, præsentibus, & futuris, sed pro solis præteritis: ergo. Probat antecedens; eo modo supponunt quo uniantur & verificantur per copulam, sed per copulam *fuit* non verificantur de homine, & animali præsentibus, sed solum de eis, quæ fuerunt: ergo.

## §. II.

*Quædam notantur ex D. Thoma, & Agidio pro nostra sententia.*

9. CUM Deus sit simpliciter æternus & propositiones, quas de Deo formamus, sint æternæ veritatis juxta dicta quæstione præcedenti, pulsatur difficultas, quomodo Deo æt. no applicamus verè verba temporalia? Ratio dubitandi apparuit in hac propositione *Deus est iustus*. Ecce verbum *est*, quòd est temporale, videtur restringere extrema ad solum tempus præsens, quia significat eam unionem de præsentis: at si restrin-

git, propositio redditur falsa; quia non solum de præsentis Deus est iustus, sed fuit, & erit, & semper iustus est in omni temporis differentia, & per totam æternitatem: ergo cum verba nostra sint temporalia, & habeant restringere extrema unita ad determinatū tempus; videtur, quòd Deo non possimus applicare verba temporalia.

Propter hæc D. Dionysius lib. 5. de Divinis nominibus dicit: *Deus nec erat, nec erit neque gignebatur, neque gignitur, aut potius non est*. Ecce negat omnia verba temporalia dicta de Deo; eò quòd, cum omnia verba nostra restringant extrema ad tempus per verbum importatum; applicata Deo, ipsam restringerent, & hoc est impossibile; quia cum sit æternus, est supra omnia tempora, & nequit à tempore circumscribi; sicuti quia est immensus, nequit circumscribi à loco, sed omnia implet à nullo loco contentus.

At D. Hieronymus concedit Deo tempus præsens, & negat verba præteriti, aut futuri dicta de Deo; sic enim ait in Epistola ad Marcellam: *Deus tantum est, qui non novit fuisse, nec futurum esse*. Per oppositum P. Augustinus super Joannem dicit: *Cum er-*

go nostra locutio per tempora varietur, de eo verè dicantur verba cujuslibet temporis, qui nullo tempore defuit, vel defuit, vel deerit. Ecce P. Augustinus docet omnia verba nostra temporalia verè dici de Deo æterno Quam sententiam sequitur Magister in primo distinct. 8. ubi D. Thomas questione 2. art. 3. & N. Egidius quæst. 3. art. 4.

10. Ibi in solutione ad tertium argumentum docet N. Egidius, quo sensu negant SS. PP. verba temporalia Deo, & quo sensu omnia de Deo concedit P. Augustinus: verba Egidij sunt: *Ad tertium dicendum, quòd aliqua perfectio importatur per præsens ex eo quòd habet esse, & aliqua per præteritum ex eo quòd habet esse perfectum; & aliqua per futurum ex eo quòd inter cetera tempora magis distat à præteritione; simul tamen ista cum perfectionibus imperfectio- nes habent; & idè aliquando ista tempora omnia conceduntur de Deo ratione perfectionum, aliquando negantur propter imperfectiones.* Ecce quo sensu negat Dionysius omnia tempora de Deo, & concedit Augustinus. Prosequitur N. Egidius ibi: *Verùm tamen quia inter cetera tempus præsens magis videtur assimilari æternitati, Hieronymus conce-*

*dit præsens de Deo, & negat præteritum, & futurum.*

Eandem sententiã habet D. Thomas art. cit. ubi miram adducit doctrinam; sed præferentiam temporis præsentis ad reliqua, docet in solutione ad tertium dicens: *Ad tertium dicendum quòd quantum ad id quòd præsens non implicat successionem, nec habet aliquid de non esse inclusum, inter alia proprius Deo competit: nihilominus tamen verba aliorum temporum dicuntur de Deo secundum id quòd perfectionis est in ipsis; & non ratione successionis, vel alicujus defectus.*

11. Ecce juxta omnes hos sanctos Doctores verba nostra temporalia dicunt perfectionem mixtam cum imperfectione; & de Deo æterno dicuntur secundum perfectionem, & non secundum imperfectionem. Ergo pariter dum applicantur ad propositiones nostras æternæ veritatis, ibi dicuntur secundum perfectionem, & non secundum imperfectionem. Sed imperfectio nostrorum verborum temporalium est importare successionem, & defectum, & ligare extrema ad illum defectum, & illam successionem importatam per verbum: ergo dum verba nostra applicantur Deo, & propositionibus nostris æternæ veritatis, non ligant extrema,

sed

sed absolventur à tempore.

Explicatur. Verbum *fuit* dicit esse perfectum, & addit definitionem illius esse; sic dum dicimus *Adam fuit homo*, verbum designat, quòd Adam habuit esse perfectum hominis, sed ex modo significandi addit quòd nunc de præsentis cessavit illud esse, & finitum est. Ceterum dum Deo applicatur, dicit primum, & absoluitur à secundo; quare dum dicimus *Deus fuit sapiens*, verbum dicit quòd ab initio Deus fuit perfecte sapiens; & non potest ligare Deum, ut de præsentis sapiens non sit per præsentem defectum sapientiæ ejus. Quare *ly fuit* taliter Deo applicatur, ut relinquat Deum sapientem de præsentis, & de futuro, & in omni temporis differentia: hoc & nil aliud est verbum ibi absolvi à tempore, quia extrema, scilicet *Deus*, & ejus *sapientia*, non permittunt verbum *fuit* restringere unionem ad solum tempus præteritum.

Sic verbum *erit* de futuro, dicit longam distantiam à definitione & præteritione; & hoc est perfectio. Dicit etiam non esse de præsentis, & hoc imperfectio est. Utrumque patet in hac propositione *Antichristus erit*. Ecce Antichristus futurus per *ly erit* explicatur nimis diitans à morte, quia nos qui nunc vivimus, sumus

morti proximiores: quare major recessus à morte & definitione vitæ perfectio est. At *ly erit* dicit etiam de Antichristo, quòd nunc de præsentis non est; & hoc est imperfectio. Igitur dum de Deo dicitur: *Deus erit justus*, *ly erit* dicit perfectionem, scilicet justitiã remotissimam à suo defectu, & definitione; sed non dicit defectum de præsentis, quòd est imperfectio: unde sic dicitur *Deus erit justus*, ut *ly erit* non restringat ad solum tempus futurum, sed absolutum à tempore significet unionem Dei cum justitia tempore etiam præsentis, & in omni temporis differentia.

12. Ecce per inde est verba temporalia dici de Deo sine imperfectione successionis, & defectus, ac non restringere Deum, & quòd de Deo prædicatur, ad successionem, & defectum importatum per verba nostra: at hoc, & nil aliud est verbum absolvi à tempore: ergo ex dictis habemus, quòd in omni propositione de Deo facta, verbum absoluitur à tempore. Sed hoc idè est, quia propositiones de objecto increato sunt æternæ veritatis, & independentis à nostro tempore: ergo juxta doctrinam sanctorum PP. propositiones omnes, quæ suo modo sunt æternæ veritatis, sunt tales, utiq-

eis

eis verbum absolvatur à tempore. Hæc in communi probata sunt; probabuntur enucleatius §. sequenti.

## §. III.

*Nostri sententia proponitur, & probatur.*

13. **SIT** Prima conclusio. Omnes propositiones, quas formamus de Deo, sunt tales, ut in eis verbum absolvatur à tempore. Hæc conclusio patet ex dictis §. præcedenti. Nam verba temporalia, quæ non absolvuntur à tempore, ligant extrema unita ad successionem, & defectum, quem important ipsa verba: sed dum de Deo facimus propositiones, verba non ligant Deum, & quod de Deo prædicatur, ad successionem, & defectum per verba nostra importatum: ergo in eis verbum absolvitur à tempore. Probatur min. Nam, ut vidimus ex D. Thoma, & Ægidio, verba nostra applicantur Deo secundum perfectionem, quam dicunt, non secundum imperfectionem: sed tota imperfectio nostrorum verborum est importare successionem, & defectum, & ad illum ligare extrema unita: ergo.

Hinc colliges non subsistere doctrinam Bajonæ num. 6. dicentis quod in hac propositione *Deus est*, vel *Deus est existens*, verbum non absolvitur à tempore. Non subsistit, nam *ly est* secundum se, ut est verbum nostrum, dicit perfectionem, scilicet esse de præsentem; & dicit imperfectionem, scilicet non esse de præterito, aut de futuro: quare dum creaturis applicatur: v. g. *Petrus est existens*, dicit utrumque, & ligat extrema, ut solum existant de præsentem. At juxta dicta, dum applicatur Deo, dicit existentiam præsentem, sed non ligat ad tempus præsens, quia non negat existentiam de præterito, aut futuro: ergo ita affirmatur existentia de Deo in præsentem, ut permittat Deum, & existentiam uniri, & supponere unita in omni temporis differentia. Hoc est absolvi à tempore: ergo in illa propositione *Deus est*, vel *Deus existis* verbum absolvitur à tempore.

14. Sit secunda conclusio: In omnibus propositionibus essentialibus de subjecto universalis, verbum absolvitur à tempore. Hæc conclusio est ad mentem nostrorum Doctorem, & est communis apud RR. Probatur primò ex dictis quæstione præcedenti. Nam tales propositiones sunt æternæ veri-

## QUEST. VI.

tatis secundum quod modo explicato quæst. 5. à num 15. sed in propositionibus æternæ veritatis verbum absolvitur à tempore: ergo in omnibus &c. probatur min. Veritas quæ est æterna, non est temporalis, nec ligata tempore determinato: sed si in propositionibus æternæ veritatis verbum non absolveretur à tempore, verbum ligaret extrema, & veritatem propositionis ad tempus determinatum per verbum importatum: ergo.

Secundò probatur nostra conclusio ratione desumpta ex D. Thoma ubi supra. Ideò in propositionibus quæ sunt de Deo, verbum non ligat ad tempus determinatum, sed absolvitur à tempore, quia *Evan-gelium de ipso verba omnium temporum propter id quod ipse nulli tempore deest*, & quid quid est perfectionis in omnibus temporibus, ipse habet. Verba sunt sancti Doctoris in fine corporis articuli citati. Sed connexio hominis cum animali, explicata per hanc propositionem *Homo est animal*, nulli tempore deest; & quidquid perfectionis est in omnibus temporibus, habet ipsa connexio: ergo in ea propositione verbum non ligat extrema ad tempus præsens, sed absolvitur à tempore.

Probatur hæc min. Ideò

## §. III.

Deus nulli tempore deest, & habet quidquid perfectionis est in omnibus temporibus, quia est æternus; æternitas enim semper est, & continet omnem perfectionem temporis: sed connexio etiam hominis cum animali, est æterna saltem secundum quid, ut dictum est quæstione præcedenti: ergo suo modo, longè inferiori ad æternitatem Dei, quæ est talis simpliciter, nulli tempore deest, & continet perfectiones omnium temporum.

Confirmatur. Quia Deus continet perfectiones omnium temporum, & nulli tempore deest, enuntiantur verè verba omnium temporum sine restrictione extremorum, quare valet *Deus est sapiens, fuit sapiens, erit sapiens*; & in nulla restringitur Deus ad tempus determinatum, importatum per verbum: at etiam valet *Homo est animal, fuit animal, erit animal*; ita ut nulli tempore desit connexio hominis cum animali: ergo in nulla ex his tribus propositionibus restringitur homo ad tempus determinatum, importatum per verbum.

15. Tertio probatur conclusio. Ratione desumpta ex nostro Ægidio ubi supra. Ideò verba nostra temporalia applicata Deo, non applicantur secundum imperfectionem, &



restrictionem ad determinatum tempus, quia Deus est præsens tempori, sed non continetur intra nostrum tempus: sed etiã veritas nostrarum propositionum essentialium de subiecto universali, est præsens tempori, sed non continetur intra tempus: ergo in eis verbum non applicatur secundum imperfectionem, nec restringit extrema, sed absoluitur à tempore. Major est nostri Ægidij in corpore articuli laudati. Et suadetur ratione, quia quod non continetur intra tempus, excedit omne tempus; sicut quod non continetur intra locum est supra & extra omnem locum: quod est extra locum nequit restringi à loco; & quod est extra tempus, nequit restringi à tempore.

Minor autem probatur ex Philosopho ibi allegato à nostro Ægidio, dicente, *Quod ea quæ sunt semper, non sunt in tempore, quia non continentur tempore, nec patiuntur tempore.* Sensus Philosophi est, quod temporalia, quæ tempore continentur, patiuntur tempore, quia tempore senescunt, & deficient; quare cum Deus semper sit, nec senescat, aut deficiat tempore, est præsens tempori, sed non continetur intra tempus. Atqui veritas illius propositionis *Homo est animal*, & connexio hominis cum animali,

semper est, nec senescit tempore, nec tempore deficit: ergo est præsens tempori, & non continetur intra tempus.

Confirmatur hæc ratio ex D. Thoma 1. parte quæst. 16. art. 7. ad secundum ubi habet: *Universalia dici solere esse ubique, & semper non positivè, sed negativè.* Ecce sicut Deus est positivè ubique, & semper; ita universalia sunt negativè: sed quia Deus est positivè ubique & semper, est præsens omni tempori, & loco, non intra, sed extra omnem locum & tempus: ergo universalia sunt negativè extra omne tempus. Nunc sic; sed quod est extra tempus positivè, aut negativè, nequit ligari ad tempus, ut probatum est: ergo extrema propositionum essentialium de subiecto universali, nequeunt restringi ad tempus importatum per verbum; & consequenter in eis verbum absoluitur à tempore. Vide quæstione præcedenti num. 20. quo sensu universalia sunt æterna, & immensa.

16. Sit tertia conclusio: In propositionibus essentialibus de subiecto singulari verbum non absoluitur à tempore. Hæc conclusio est contra RR. allegatos num. 3. ceterum est de mente D. Thomæ, & nostri Ægidij, & conformis ad dicta quæst. 5. num. 17. & sequ-

quentibus ex ibi dictis probatur. Propositio quæ nec secundum quid est æternæ veritatis, est plenè veritatis temporalis, & in ea verbum non absoluitur à tempore: sed propositiones essentialis de subiecto singulari non sunt æternæ veritatis adhuc secundum quid: ergo in eis verbum non absoluitur à tempore. Min. constat ex dictis loco citato, ubi plenè probata est. Major patet, quia omnis mensura durationis est æternitas, ævum, aut tempus. Quare cum ævum sit sola mensura Angelorum, restat, quod veritas illius propositionis de subiecto singulari mensuretur æternitate, aut tempore: quare si nullo modo æterna est, erit plenè temporalis.

Jam verò semel quòd sit temporalis, pro ea verbum nō absolvatur à tempore, patet multipliciter. Primò, quia si est temporalis, jam connexio extremorum ligatur ad tempus importatum per verbum: hoc est non absolvi à tempore: ergo in talibus propositionibus de subiecto singulari verbum non absoluitur à tempore. Secundò, ideò verbum non ligat extrema essentialia universalia, quia eorum connexio non est temporalis, nec intra tempus, sed extra, ut num. 15. probatum est ex Ægidio: ergo cum connexio subiecti singularis cum suo prædicato sit temporalis, &

intra tempus, verbum uniens extrema propositionis singularis, ligat illa, & non absolvitur à tempore. Tertio, ideò num. 14. probatum est in propositionibus de subiecto universali verbum absolvi à tempore, quia extremorum connexio æterna est suo modo, & nulli tempori deest: at connexio subiecti singularis cum suo prædicato, nullo modo est æterna, nec adest omnibus temporibus, ut quæst. 5. probatum est: ergo.

17. Secundò probatur directè conclusio. Hæc propositio *Christus est homo* est de subiecto singulari, & essentialis, quia prædicatur species de individuo: sed in ea verbum non absoluitur à tempore: ergo in propositionibus essentialibus de subiecto singulari verbum non absoluitur à tempore. Probatur min. Propositio, in qua verbum absoluitur à tempore, est vera, in quacūque temporis differentia proferatur, sed illa propositio non est vera, in quacūque temporis differentia proferatur: ergo &c. Major patet, quia propositio quæ non est vera in omni differentia temporis, solum est vera in aliqua, & sic ligatur ad talem temporis differentiam. Minor probatur ex D. Thoma 3. parte quæst. 50. art. 4. ubi docet quòd in triduo mortis erronea fuit hæc propositio *Christus est homo*; si erronea: ergo falsa. Vide verba



D. Thomæ supra quæst. 5. numero 19.

Et nota, quòd idem argumentum fit de facto in ista *Adam est homo*, & in ista *Abel est homo*. Nam omnes sunt essentialia. & de subjecto singulari. Atqui nulla de facto est vera juxta D. Thomam: ergo nulla apud ipsum est æternæ veritatis, & in nulla verbum absolvitur à tempore. Probatum min. ideò in triduo mortis Christi fuit falsa hæc *Christus est homo*, quia per mortem desinit Christus esse hominem. Vide verba D. Thomæ expressa: at de facto Adā, Abel, & alij mortui, qui non surrexerunt, desierunt esse homines; nec per resurrectionem innovatum est in eis, quod mors destruxit: ergo juxta D. Thomam nulla ex eis propositionibus est de facto vera.

18. Confirmatur. Verbum non absolvitur à tempore in eis propositionibus, quarum extrema sunt temporalia, intra tempus, & ligata tempore: sed talia sunt extrema propositionis essentialis de subjecto singulari; v.g. *Petrus est homo*: ergo in ea verbum &c. maj. patet, & min. probatur. Illa extrema juxta Philosophū sunt temporalia, intra tempus, & alligata tempore, quæ patiuntur à tempore: sed talia sunt extrema dictæ propositio-

nis: ergo. Major patet ex dictis num. 15. min. ex ibi dictis probatur. Ea extrema patiuntur à tempore, quæ tempore senescunt, & deficiunt: sed *Petrus, & homo*, qui sunt extrema illius propositionis, tempore senescunt, ut patet, & plenè deficiunt, ut vidimus ex D. Thoma adstante morte: ergo.

Tandem confirmatur hæc conclusio. Omnibus rationibus, quibus quæst. 5. à numero 17. probatum est, quòd propositiones de subjecto singulari non sunt æternæ veritatis. Omnes enim æquè probant, quòd veritas earum non est præsens omni temporis differentia: ergo probant, quòd solum sunt veræ in aliqua differentia temporis: ergo alligantur ad illam differentiam temporis importatam per verbum; & consequenter in eis verbum non absolvitur à tempore.

19. Ex his colliges; quòd omnes propositiones æternæ veritatis, etiam si non sint essentialia, ut *Omne totum est majus sua parte. Quinque & tria sunt octo*, & similes, sunt tales, ut in eis verbum absolvatur à tempore. Ratio patet ex dictis tum pro secunda conclusione, tum quæst. 5. ubi probatum est, eas esse æternæ veritatis.

Colliges secundò, quòd etiam

tiam absolvitur verbum in propositionibus negativis in materia repugnanti, v.g. *Homo non est lapis: leo non est homo*. Ratio est, quia veritas istarum nō est temporalis, sed æterna; & nulla est differentia temporis, in qua non proferantur cum veritate. Et nota, quòd sicut propositiones essentialia de subjecto singulari, non sunt æternæ veritatis; ita etiam propositiones negativæ in materia repugnanti & impossibili, si sint de subjecto singulari, non sunt æternæ veritatis, v.g. *Petrus non est lapis*. Ratio est eadem in negativis, ac in affirmativis, quia in omnibus subjectum singulare non est æternum adhuc secundum quid, sed temporale, & per se corruptibile: ergo nequit per affirmationem, aut negationem integrare propositionem æternæ veritatis. Rursus: de quo non est affirmatio, nec negatio: sed de Petro non est affirmatio æterna prædicati hominis: ergo nec æterna negatio lapidis. Tandem, Petrus, qua homo est, repugnat lapidi: sed non est homo, nisi temporaliter: ergo nec repugnat lapidi, nisi temporaliter. Vide quæst. 5. à num. 10. & quæ ibi dicuntur de æternitate simpliciter, applica hic ad æternitatem secundum quid subjecti singularis.

20. Tandem colliges,

quòd in propositionibus materiæ contingentis verbum non absolvitur à tempore. Patet, quia earum veritas non est æterna, sed temporalis, ut probatum est quæst. præcedenti: ergo verbum ligat extrema ad determinatum tempus. Sic ista *Petrus currit: & hæc homo disputat*, solum sunt veræ de præfenti, quia connexio extremorum est contingens, & temporalis. Sed nota, quòd si propositio illa reddatur modalis per additionem hujus termini *contingenter*, tunc propositio redditur æternæ veritatis; v.g. *Homo contingenter disputat*. Hæc propositio est æternæ veritatis ratione modi adjuncti, quia verum est semper quòd disputatio conveniat homini contingenter. Sed nota secundò, quòd in hac propositione duo affirmantur, scilicet *dictum & modus*. Dictum convenit contingenter, & facit propositionem veritatis temporalis. Modus non prædicatur contingenter, sed necessariò, quia necessarium est quòd disputatio contingenter conveniat homini; & quia affirmatur necessariò modus ille, ideò

redditur propositio æternæ veritatis ratione modi.

## §. IV.

*Solvantur argumenta contra  
nostram sententiam.*

21. ARGUES primò con-  
tra primam con-  
clusionem. Iste  
propositiones *Pater fuit Deus,*  
*Pater erit Deus,* non sunt æ-  
ternæ veritatis, nec in eis ver-  
bum absoluitur à tempore: er-  
go falsum est, quòd in omnibus  
propositionibus, quas forma-  
mus de Deo, verbum absolva-  
tur à tempore. Probatur ante-  
cedens. propositiones quæ sunt  
falsæ, non sunt æternæ verita-  
tis, immò nullius veritatis: sed  
tales propositiones de præteri-  
to, & futuro sunt falsæ: ergo.  
Probatur min. ex D. Hierony-  
mo Epist. ad Damasum dicen-  
te: *De quo enim dicitur fuit,*  
*non est, & de quo dicitur e-*  
*rit, nondum est, Deus autem*  
*tantum est, qui non novit fuisse*  
*vel futurum esse.* Ex quo sic:  
iuxta D. Hieron. de quo dici-  
tur quòd *fuit*, de præsentis non  
est; item de quo dicitur *erit*,  
nondum est: sed falsum est  
quòd Pater de præsentis non sit  
Deus, & quòd nondum sit  
Deus: ergo falsò dicitur quòd  
*fuit vel erit Deus.*

Confirmatur primò in hac  
propositione *Pater fuit Deus,*

non prædicatur Deitas quæ nunc  
est, sed Deitas, quæ fuit: sed  
falsò prædicatur de Patre Dei-  
tas, quæ non sit Deitas, quæ  
nunc est: immò implicat Dei-  
tas quæ non sit ea, quæ nunc  
est: ergo falsò prædicatur dum  
dicitur *Pater fuit Deus.* Pro-  
batur maj. in hac propositione  
*Homo fuit animal,* non prædi-  
catur animal, quòd nunc est,  
sed animal quòd fuit; unde  
non prædicatur animal præsens,  
sed animal præteritum: ergo  
&c. Probatur antecedens, ani-  
mal quòd prædicatur, est ani-  
mal quòd unitur per verbum  
*fuit*: sed per verbum *fuit* de  
præterito non potest uniri ani-  
mal præsens, & quòd nunc est:  
ergo.

22. Confirmatur secun-  
dò: Hæc propositio *Deus est*  
*homo* de factò est essentialis: &  
tamen non est æternæ verita-  
tis, nec in ea verbum absolvi-  
tur à tempore: ergo falsum est,  
quòd omnes propositiones de  
Deo factæ &c. Probatur min.  
veritas illius propositionis non  
se extendit ad omnes differen-  
tias temporis, sed ligatur ad  
tempus præsens: ergo. Proba-  
tur antecedens, ante incarna-  
tionem illa propositio erat fal-  
sa, & in materia remota: er-  
go.

Confirmatur tertio. Hæc  
propositio *Deus est Creator,*  
*Deus est Dominus, Deus est*  
Fi-

## QUEST. VI.

## §. IV.

*Filius Beatissimæ Mariæ Vir-*  
*ginis,* & aliæ similes sunt pro-  
positiones quas verè formamus  
de Deo: & tamen non sunt  
æternæ veritatis, nec in eis  
verbum absoluitur à tempore:  
ergo falsum est, quòd omnis  
propositio de Deo &c. Proba-  
tur min. tales propositiones so-  
lùm sunt veræ in tempore: er-  
go. Probatur antecedens. Deus  
non est Creator ab æterno,  
sed in tempore, nec Dominus,  
nec Filius Virginis Sanctissimæ:  
ergo. Probatur antecedens, non  
stat Creator sine creatura; nec  
Dominus sine servo; nec filius  
sine matre: sed creaturæ non  
sunt ab æterno, sed in tempo-  
re; nec relatio servitutis crea-  
turæ ad Deum est ab æterno,  
sed in tempore; nec tandem  
Sanctissima Virgo Maria fuit ab  
æterno Mater, sed in tempo-  
re: ergo.

23. Ad argumentum  
respondetur ex dictis §. 2. præ-  
cipuè num. 10. ibi vidimus,  
quòd verba nostra temporalia  
dicunt perfectionem mixtam  
imperfectione; sed dum Deo  
applicatur, tollitur imperfe-  
ctio, & solùm ponitur perfe-  
ctio. Verbum, *fuit*, ex se dicit  
esse perfectum, & dicit præte-  
ritionem illius esse, vel di-  
cit non esse de præsentis. Hoc  
modo non potest applicari  
Deo, & in hoc sensu illa pro-  
positio *Pater fuit Deus,* est

falsa, & negatur à D. Hieron.  
At quoniam *ly fuit*, applica-  
tum Deo, non ligat extrema  
ad tempus præteritum, sed à  
tempore absoluitur, ideò non  
facit sensum, quòd Pater ita  
fuit Deus, ut non sit Deus de  
præsentis: nec prædicatur Dei-  
tas præterita, sed Deitas præ-  
sens, præterita, & futura; immò  
Deitas æterna omnibus tempo-  
ribus præsens. Idem dic de  
verbo, *erit*, futuro.

In forma nego antecedens,  
ad probationem nego min. Ad  
ejus probationem explica au-  
thoritatem D. Hieronymi cum  
nostro Ægidio verbis datis num.  
10. & disting. maj. de quo di-  
citur *fuit*, non est de præsen-  
ti, si verbum *fuit* non absol-  
vitur à tempore, & ab imper-  
fectione ligandi extrema, con-  
cedo; si absolvatur, nego maj.  
In Deo autem absoluitur ut  
probatum est, quare concessa  
min. nego consequentiam.

Ex his ad primam confir-  
mationem nego maj. ad pro-  
bationem nego antecedens Ad  
ejus probationem disting. min.  
sed per verbum *fuit* de præte-  
rito non potest uniri animal  
præsens, si verbum *fuit* appli-  
catur cum imperfectione sua,  
concedo, si ab ea absolvitur,  
nego min. & consequentiam.  
Dicitur est. quòd verba nostra  
applicatur Deo, & objectis  
creatis secundum quid æternis,  
dem-

dempta imperfectione : ergo licet attenda imperfectione verbi fuit, non possit per illud uniri Deitas nec animalitas præsens, bene verò sublata illa imperfectione : & quòd debeat tolli, & ita verbum absolvi à tempore, probatum est supra. Sed nota discrimen inter Deum, & objecta creata; quòd licet ratione æternitatis habeant impedire imperfectionem verborum nostrorum; aliter tamen, & aliter; quia Deus est simpliciter æternus, & sic impedit simpliciter ratione simpliciter æternitatis; creaturæ verò secundum prædicata universalis sunt æternæ secundum quid, ut dictum est quæst. 5. & sic impediunt verbum ratione æternitatis secundum quid.

24. Ad secundam confirmationem nota; quòd illa propositio *Deus est homo*, ante incarnationem erat falsa; post incarnationem reddita est vera, & in materia naturali, ut dicitur cum D. Thoma 3. parte quæst. 16. art. 1. Quare sicut unio naturæ Divinæ cum humanitate in eadem Persona, fuit miraculosa; ita vi ejusdem miraculi propositio, quæ antea erat falsa, & in materia remota, reddita est essentialis, & vera in materia naturali. Hoc notato, dic quòd pro omni differentia temporis, qua propositio illa est essentialis, est

vera: ante incarnationem fuit falsa, sed non erat tunc essentialis. In forma concessa major. disting. min. & tamen non est æternæ veritatis, simpliciter æternæ, concedo; æternæ secundum quid, subdistinguo, in differentijs temporis postquam reddita est essentialis, nego minor. antequam redderetur essentialis, concedo min. & nego consequentiam.

Addere posses, quòd sicut hæc *Christus est homo* non est æternæ veritatis, nec in ea verbum absolvitur à tempore, ut probatum est, quia est de subjecto singulari; ita illa *Deus est homo*. Quia licet Deus secundum se sit æternus, per communicationem idiomatum dicitur *mortuus*, & *sepultus*: sed quia Christus in triduo mortis, reverà fuit mortuus, idè in illo triduo fuit falsa hæc propositio *Christus est homo*: ergo quia per communicationem idiomatum *Deus* dicitur mortuus, etiam in triduo illo fuit falsa hæc *Deus est homo*. Et sic non est æternæ veritatis. Nec inde sumitur argumentum contra primam conclusionem, quæ solum procedit de propositionibus, quas formamus de Deo ratione Deitatis, & per prædicata quæ conveniunt Deo formaliter.

25. Ad ultimam confirmationem dic nostram primam

nam conclusionem procedere de eis propositionibus, in quibus affirmatur de Deo perfectio aliqua absoluta Dei, ut omnipotentia, iustitia, bonitas, sapientia, alia attributa, quæ conveniunt Deo ab æterno. Denominationes Creatoris, & Domini sunt relativæ, & fundantur in relatione, quam creaturæ dicunt ad Deum, quæ cum non sit æterna, sed temporalis, denominationes illæ temporales sunt. Hinc fit eas propositiones non esse æternæ veritatis, sed nil contra nostram conclusionem primam; quæ merè procedit de propositionibus, in quibus de Deo prædicatur perfectio absoluta, & intrinseca; & Dei in hac propositione *Trinitas est Pater, Filius, & Spiritus Sanctus* prædicatur aliquid relativum, est tamen relativum intrinsecum, & identificatum cum Deitate, quare est æquè æternum ac Deitas.

Vel dic duas primas propositiones esse æternæ veritatis secundum quid, modo quo propositiones de objecto creato sunt secundum quid æternæ veritatis. Nec contra hoc argumentum aliquid probat. Fatemur, quòd Deo convenit in tempore denominatio Creatoris, at etiam creaturæ habent esse in tempore, & tamen de eis formamus propositiones æ-

ternæ veritatis secundum quid. *Ly in tempore* tollit æternitatem simpliciter, non æternitatem secundum quid. Et ut in eis propositionibus verbum absolvatur à tempore, sufficit quòd non ligent extrema ad determinatam differentiam temporis: sic contingit in eis; nam dum dicitur *Deus est Creator*, verbum non restringit extrema ad tempus præsens, sed permittit extrema unita esse pro præterito, & futuro; quare non negat quòd fuit, & erit Creator. De tertia propositione dic idem, ac num. 24. dictum est de illa *Deus est homo*.

26. Argues secundò contra secundam conclusionem: Verbo essentialiter convenit unire extrema cum tempore; ergo non potest in propositionibus de objecto universalis absolvi à tempore. Patet consequentia, quia si verbum unit cum tempore, extrema sunt unita cum tempore; eo enim modo extrema uniuntur, quo verbum unit: sed si extrema sunt unita cum tempore, ligantur tempore, & ad tempus restringuntur: ergo si verbum unit extrema cum tempore nulli à tempore absolvitur. Antecedens autem probatur. Eo modo verbum unit extrema, quo est verbum, & significat talem unionem: sed verbum distinguitur à nomine, & est

verbum, per hoc quòd significet cum tempore, ut patet ex ejus diffinitione, & sic habet essentialiter significare cum tempore: ergo &c.

Confirmatur primò: Si verbum in hac propositione *Homo est animal*, absolveretur à tempore, extrema non supponerent unita pro solo tempore præsentis, sed pro præterito, & futuro: sed hoc implicat: ergo implicat quòd in talibus verbum absolvatur à tempore. Maj. patet, quia si extrema unita non supponerent etiam pro præterito, & futuro, tunc solùm supponerent pro præsentis, & sic ligarentur ad tempus præsens importatum per verbum. Min. probatur, implicat, quòd extrema unita supponant pro eis differentiis, pro quibus unio non supponit: sed unio extremorum fit per verbum *est* de præsentis, quòd nequit supponere pro præterito, & futuro: ergo implicat quòd extrema illius propositionis supponant unita non solùm pro tempore præsentis, sed pro præterito, & futuro.

Confirmatur secundò: Verbum absolvi à tempore est verbum non ligare extrema, ut accipiantur solùm pro existentibus: sed dantur propositiones essentielles de subjecto universalis, in quibus extrema ligantur, ut solùm accipiantur

pro existentibus: ergo falsum est quòd in omni propositione, essentiali de subjecto universalis verbum absolvatur à tempore. Probatur min. Hæc propositio est essentialis, & de subjecto universalis, *Homo existens existit*; & hæc *Homo existens est vivens*: sed in his extrema solùm accipiuntur pro existentibus, ut patet: ergo. Probatur maj. Quando prædicatum est de essentia subjecti, tunc propositio est essentialis: sed in dictis propositionibus prædicatum vel est idem, vel est de essentia subjecti: ergo.

Ad argumentum respondetur omittendo antecedens falsum: falsum est quòd de essentia verbi sit unire extrema cum tempore. Essentia enim verbi explicatur per ejus diffinitionem, & in diffinitione dicitur, quòd verbum *significat cum tempore*, sed non quòd unit. Ceterùm, quia est proprietas inseparabilis à verbo unire cum tempore, ut dictum est num. 1. idè omitto antecedens, & nego consequentiam. Ad probationem consequentiæ concessa maj. nego min. extrema quidem uniantur semper cum tempore, quia verbum uniens, semper unit cum tempore. At non semper restringuntur extrema ad solum tempus, quo significantur unita. Vide dicta num. 1. & nota, quòd

quòd argumentum non distinguit inter unire cum tempore, & restringere extrema ad determinatum tempus. Primum concedimus semper in omni propositione: secundum negamus in propositionibus universalibus essentialibus ob rationes datas.

Ad primam confirmationem nego min. ad probationem disting. maj. quando extrema non impediunt restrictionem verbi, concedo; quando impediunt, nego maj. & concessa min. nego consequentiam. Connexio extremorum essentialium, quia est æterna, & extra tempus, impedit restrictionem verbi, & determinatam suppositionem pro tempore determinato, ut probatum est: quare tunc non supponunt modo quo unio, quæ semper supponit pro tempore determinato. Est ergo inseparabile à verbo sic supponere; non est inseparabile ab extremis supponere determinatè: quare si extrema sint talia, ut impediunt restrictionem, tunc aliter supponunt ac unio.

Ad secundam confirmationem dupliciter respondetur: primò negando min. ad probationem nego, quòd hæc propositio *Homo existens est existens*, sit de subjecto universalis, sicut nec ita *Homo qui existit, est animal*. Nam cum exi-

stentia sit conditio individualis, & propria singularium, *ly Homo existens*, non est subjectum & extremum universale, sed singulare: quare juxta tertiam conclusionem nostram in ea propositione verbum non absolvitur à tempore. Respondetur secundò in eis propositionibus (quas admittimus esse de subjecto universalis,) verbum absolvi à tempore, quia licet extrema accipiantur pro existentibus non præcisè pro existentibus de præsentis, sed in omni temporis differentia; nam in omni est verum, quòd homo existens est existens. Ut verbum absolvatur à tempore non requiritur, quòd plenè præcindat ab existentia, & quòd extrema non accipiantur pro existentibus utcumque, sed quòd non accipiantur pro existentibus tempore determinato per verbum. Cum autem in ea propositione sumatur homo non solùm pro existente de præsentis, sed existente in omni differentia temporis, idè verbum non restringit, sed absolvitur à tempore. Vide dicta num. 13.

28. Argues tertio contra tertiam conclusionem Hæc propositio *Petrus est homo*, est essentialis de subjecto singulari; at in ea verbum absolvitur à tempore: ergo falsum est, quòd in propositionibus de subjecto singulari &c. Probatur minor.

Primò, quia licet hæc propositio *Deus est justus*, sit de subiecto singulari, verbum in ea absolvitur à tempore; ergo & in alia *Petrus est homo*. Probatur consequentia. nam ideò primum est verum, quia extrema connectuntur essentialiter: sed etiam *Petrus* & homo connectuntur essentialiter: ergo.

Secundò probatur eadem min. Si in ea propositione verbum non absolveretur à tempore; illa solum foret vera tempore præsentis, quo *Petrus* existit: sed implicat, quòd propositio sit essentialis, & solum sit vera tempore præsentis: ergo implicat, quòd sit essentialis, & in ea verbum non absolvatur à tempore. Probatur min. Propositio quæ solum est vera de præsentis, est falsa de præterito, & de futuro: sed implicat, quòd propositio essentialis reddatur falsa: ergo implicat &c.

Confirmatur: Implicat quòd eadem propositio sit simul essentialis, & accidentalis: sed si propositio essentialis de subiecto singulari posset in aliqua differentia temporis falsificari, posset esse simul essentialis, & accidentalis: ergo implicat, quòd sit propositio essentialis, & non sit vera in omni temporis differentia. Probat. min. propositio accidentalis est quæ potest transire de vera in fal-

sam; vel est quæ solum est vera in tempore determinato: ergo si propositio essentialis de subiecto singulari &c.

Confirmatur secundò: Essentialitæ rerum sunt æternæ, & invariabiles: sed si propositio essentialis de subiecto singulari solum esset vera tempore determinato, tunc essentialitæ rerum singularium non essent invariabiles: ergo. Probatur min. Hæc propositio *Petrus est homo*, quæ vivente Petro est vera, si eò moriente redderetur falsa, hoc eveniret per variationem objecti: sed objectum propositionis est essentia Petri: ergo si propositio &c.

29. Respondetur ad argumentum concessa maj. nego min. ad probationem concessio antecedenti, nego consequentiam, disparitas est, quòd *Deus* est singularis, sed æternus, & indefectibilis, unde connectio ejus cum suis prædicatis est æterna, & in omni differentia temporis. At creaturæ singulares sunt defectibiles, quare earum connectio cum suis prædicatis, licet essentialis, defectibilis est, & solum vera in tempore determinato. Hic observa, quòd cum Angeli sint naturaliter incorruptibiles, propositiones de subiecto singulari Angelico, sunt etiam secundum quid æternæ veritatis, & in eis verbum absolvitur à tempore,

ut

ut in his *Gabriel est substantia spiritualis: Michael est immaterialis*. Quare conclusio tertia debet intelligi de singularibus sublunaribus, de quibus juxta Aristotelem non datur scientia.

Ad secundam probationem min. concessa maj. nego min. ad ejus probationem, nego min. nego quòd propositio essentialis non possit reddi falsa. Hæc enim propositio *Christus est homo*, est essentialis; & tamen in triduo mortis falsa fuit, ut vidimus ex D. Thoma num. 19. & cum eadem sit ratio de alijs singularibus defectibilibus, constat, quòd propositiones essentialis subiecti singularis transseunt de veris in falsas.

30. Ad primam confirmationem concedo maj. & nego min. ad ejus probationem, disting. antecedens, propositio accidentalis est quæ potest transire in falsam, ex defectu subiecti, nego antecedens; ex defectu solius prædicati, concedo antecedens, & nego consequentiam. Hæc propositio est accidentalis *Petrus est albus*, & potest esse falsa, at non præcisè ex defectu subiecti, sed quia manente Petro potest deficere albedo quæ prædicatur. Hoc modo non redditur falsa hæc *Petrus est homo*, quia manente Petro, non deficit homo, sed utrumque simul ponitur, & u-

trumque simul deficit. Unde licet propositio essentialis transeat in falsam; non transit sicut accidentalis, & ideò accidentalis non est.

Et nota, quòd non est idè propositio accidentalis, ac propositio contingens; potest enim propositio esse simul essentialis, & contingens, ut in omnibus de subiecto singulari, quorum subiectum, & prædicatum contingenter existunt, simul ponuntur, & simul deficient. At non potest eadem propositio simul esse essentialis, & accidentalis, quia nequit prædicatum esse de essentia subiecti, & manente subiecto, deficere prædicatum.

Dices: Hæc propositio *Petrus est existens*, est accidentalis, & tamen nequit transire in falsam per solum defectum prædicati: ergo falsa est differentia data inter propositionem accidentalem, & essentialem. Probatur min. implicat, quòd maneat *Petrus* deficiente ejus existentia: ergo. Respondeo distinguendo maj. est accidentalis prædicabiliter, concedo maj. prædicamentaliter, nego maj. & concessa min. nego consequentiam. Existentia Petri est accidens prædicabile, quia est separabilis ab ejus essentia. At non est accidens prædicamentale, quia est modus substantialis ejus, sicut substantia. Il-

lud

lud discrimen à nobis datum , procedit de propositionibus accidentalibus prædicamentaliter. Adde, quòd potest manere Petrus destructa ejus existentia, si eam suppleat existentia Divina, ut supplet in humanitate Christi. At non potest Deus conservare Petrum, destructa ejus animalitate, aut rationalitate; & sic tenet discrimen datum.

Ad secundam confirmationem respondetur juxta dicta quæst. 5. num. 23. & 24. ubi explicatum est quomodo essentialium rerum sunt ab æterno, vide doctrinam ibi datam. Hic disting. maj. Essentialium rerum sunt invariabiles, in universali, & ex se, concedo maj. in singularibus, & ratione singularium, nego maj. & sub eadem distinctione, nego min. & consequentiam. Quæst. 5. num. 20. datum est discrimen inter universalia, & singularia: ex ibi dictis colligitur ratio, cur essentialium rerum in universali sint invariabiles, & in singularibus variantur. Ratio est, quia singularia sunt defectibilia per se; universalia per se sunt indefectibilia, & per accidens solum ratione singularium deficient. Hinc est, quòd essentialium in universali sunt invariabiles; in singularibus verò sunt variabiles, & defectibiles; & ob id non datur scientia de singularibus.

## §. V.

*Expenduntur fundamenta communia posita §. 1.*

31. **R**ESTAT pro complemento hujus quæstionis. expendere fundamenta communis sententiæ posita §. 1. quatenus nostræ sententiæ vel favent vel adversantur. Prima ratio Bajonæ, posita num. 4. assumit nobis majorem falsam. Fallum nobis est, quòd *Verbum absolvi à tempore, sit verbum permittere ut extrema non accipiantur pro existentibus de presenti.* Ex hoc principio infert, & benè quòd hæc propositio *Deus est*, non habet verbum absolutum à tempore; nec illa *Quod existit, existit.* Et probat illud principium, quia necessarium nequit pendere à contingenti; existentia est contingens, & propositiones essentialis sunt necessaria.

Contra omnia hæc militat doctrina data §. 2. ex D. Thoma, & Ægidio: nam, ut ibi vidimus, verba nostra temporalia applicantur Deo, absoluta à tempore, hoc est, quin restringant Deum, & prædicata Dei ad determinatam temporis differentiam, importatā per verbū: & tamen verba nostra non per-

mittunt Deum, & ejus prædicata, non accipi pro existentibus; immò à contrario, quia Deus, & ejus prædicata necessariò existunt non solum de presenti, sed in omni temporis differentia, ideò verba nostra non restringunt extrema ad solum existentiam præsentem: ergo verbum absolvi à tempore non est extrema non existere de presenti, ut vult Bajona, sed non existere taliter de presenti, ut non existant etiam in alijs differentijs temporis.

32. Hinc venit, quòd ea propositio *Deus est*, habet verbum absolutum à tempore; quia licet extrema existant de presenti, verbum non ligat, ut solum existant de presenti cum negatione existentia de præterito, & futuro; sed quia tollitur imperfectio nostri verbi dum Deo applicatur, ideò *ly est* dicit existentiam non solum de presenti, sed quæ fuit, & erit. Idem dic. de alia propositione *Quod existit, existit*; quæ est identica, & sic essentialis, quia prædicatum non solum est de essentia subjecti, sed plenè idem cum subjecto.

Immò hoc dicendum constat ex probatione principij Magistri Bajonæ. Nam ideò propositio necessaria nequit accipi pro extremis existentibus, quia necessarium non pendet ex contingenti: atque existen-

tia non est Deo contingens, sed æquè necessaria, ac Deus cum quo identificatur; idem suo modo in alia propositione identica, quia licet creaturis sit contingens existentia, non tamen eis ut existentibus: ergo in utraque propositione, stat quòd extremorum connexio sit necessaria, & quòd verbum absolvetur à tempore, etiam si extrema accipiantur pro existentibus. Vide num. 13,

Confirmatio Bajonæ eodem num. posita tenet, si excipias propositiones essentialis de subjecto singulari, de quibus probatum est conclusione tertia eas non esse veras, nisi dependent ab existentia determinati temporis, quare redduntur falsa non existentibus singularibus. Propositiones verò subjecti universalis, veræ sunt in omni temporis differentia, & sunt veritatis æternæ secundum quid, ut satis ostensum est; quare cum hac limitatione intellige doctrinam illius confirmationis.

33. Secunda ratio Bajonæ posita num. 5. tenet in propositionibus essentialibus de subjecto universalis, secus de subjecto singulari, ut probatum est: quia prædicata essentialia singularium sunt defectibilia, & dependent ab existentia, non minus quam ipsa singularia; quare licet præcissivè possint concipi sine existentia, nequeunt ta-

tamen nisi dependenter ab existentia verificari. Quare licet possis concipere animalitatem Petri sine existentia; nequit tamen esse vera hæc propositio *Petrus est animal* sine existentia, quia non existente Petro est falsa, ut probatum est ex D. Thoma.

Confirmatio secundæ rationis tenet in propositionibus de subiecto universali, ubi verbum *est* significat connexionem, & identitatem signatam, hoc est independentem ab existentia; secus in propositionibus de subiecto singulari, in quibus identitas, aut connexio debet esse exercita & existens ob rationes datas. Nec probatio Bajonæ urget, immò instatur, quia sicut alter mundus nequit dari sine sui productione, ita nec sine sui existentia, nec existentia alterius mundi potest dari sine alio mundo: & tamen non datur de præsentis hæc connexio, quia de præsentis est falsa hæc propositio, *Alter mundus existit*: ergo ex probatione non apparet, quomodo probetur quòd verbum *est* dicat connexionem signatam. Solum ergo potest connexio illa explicari per istam conditionalem *Si datur alius mundus, est productus, & existit*. Ceterum tales conditionales de facto veræ, nil affirmant de facto, ni-

si solam illationem logicam; scilicet quòd unum inferatur ex alio. Sic de facto est vera, *Si homo volat, habet alas*: ceterum cum homo non habeat alas exercitas, nec signatas, verbum non affirmat esse signatum, vel exercitum extremorum, sed solam illationem logicam quæ nihil ponit in re.

34. Prima ratio Lermæ facit pro nobis, quia revera dum dicitur *Homo est animal*, non solum de homine præsentis prædicatur animal præsens, sed de præterito animal præteritum, & de homine futuro animal futurum. Quare, quia verbum non restringit extrema ad solum tempus præsens, ideò propositio illa admittit expositionem extremorum per status illos præteritionis, existentia, futurationis, & possibilitatis. Contra istam expositionem non levem difficultatem objecimus quæstione 5. à num. 26. sed ibi eam solvimus in gratiam communis sententia.

Prima confirmatio non tenet, quia non est paritas de verbo ad extrema propositionis essentialis. Verbum enim essentialiter significat cum tempore, quare essentialiter habet ligatum suum significatum ad determinatum tempus; quare nec significare, nec unire potest nisi tempore determinat-

to. At extrema non habent essentialiter ligari à tempore, sed solum quando sunt in materia contingenti. Hinc fit, quòd licet in propositione essentiali tam verbum, quàm extrema supponant naturaliter, extrema accipiuntur pro præteritis, præsentibus, & futuris; verbum autem solum pro præsentis. Reliquæ confirmationes Lermæ tenent in nostris principiis.

Secunda conclusio Lermæ posita num. 8. non subsistit in nostris principiis. Prima probatio ibi posita ex Magistro Soto non subsistit, quia est contra D. Thomam, & nostrum Aggidium. Quare si Soto dicit, quòd verbum *fuit* semper restringit; oppositum docent nostri Beati D.D. toto §. 2. ubi vidimus, quòd verbum *fuit* applicatum Deo, nec restringit, nec dicit præteritionem, sed solum esse perfectum.

Confirmatio Lermæ ibidem posita est contra nos; sed instatur in Deo, ubi valet *Pater fuit Deus*, & verbum à tempore absolvitur: ergo in hac *Homo fuit animal*, extrema supponunt naturaliter, & verbum

absolvitur à tempore. Antecedens probatum est §. 2. & 3. in prima conclusione. Consequentia probatur ex dictis pro nostra secunda conclusione. Responderetur ad confirmationem negando antecedens, ad probationem nego antecedens, ad ejus probationem, nego min: nego quòd per copulam *fuit* non uniantur *homo & animal* quæ sunt; uniantur enim extrema quæ fuerunt; ceterum quia impeditur verbum temporale ne restringat, & non applicatur secundum imperfectionem quam dicit, ideò unit extrema quæ fuerunt, sunt, & erunt. Sic dum dicitis *Pater fuit Deus*, verbum non unit extrema solum quæ fuerunt, sed quæ fuerunt, sunt, & erunt: hoc ideò quia Deus æternus non est intra, sed extra tempus, quare non ligatur tempore: atqui extrema *homo & animal* sunt æterna secundum quid, & sic extra tempus: ergo &c. Omnia cedant in laudem Dei, Virginis Matris, P. Augustini, & omnium Sanctorum.



INDEX LIBRORUM, CAPITUM, ET QUÆSTIONUM, QUÆ IN HOC OPERE CONTINENTUR.

*Pars prima continens Summularum textum, tribus libris breviter, & dilucidè explicatum.*

LIBER PRIMUS SUMMULARUM.

*De pertinentibus ad primam operationem intellectus.*

Cap. 1. Explicatur quid sit subjectum, & prædicatum.	fol. 4.
Cap. 2. De signo, & ejus divisionibus.	7.
Cap. 3. De termino, & de ejus divisionibus.	12.
Cap. 4. Terminus syllogisticus mētalis dividitur in sua inferiora.	15.
Cap. 5. Terminus vocalis dividitur in sua inferiora.	17.
Cap. 6. De alijs divisionibus termini vocalis.	20.
Cap. 7. De divisione terminorum in numero Plurali.	25.
Cap. 8. De proprietatibus terminorum, & præcipuè de suppositione.	26.
Cap. 9. De reliquis proprietatibus terminorum.	30.
Cap. 10. De nomine, & verbo.	33.
Cap. 11. Quid, & quotuplex sit oratio? Ubi etiam de modo sciendi.	36.
Cap. 12. Quid, & quotuplex sit diffinitio?	39.
Cap. 13. Quid, & quotuplex sit divisio?	42.

LIBER SECUNDUS SUMMULARUM.

*De pertinentibus ad secundam operationem intellectus.*

Cap. 1. Quid sit enūtiatio, & quomodo differat à propositione?	46.
Cap. 2. De divisione propositionis in suas species.	51.
Cap. 3. De proprietatibus propositionis, & præcipuè de oppositione.	54.
Cap. 4. De æquipollentia propositionum.	58.
Cap. 5. De conversione propositionum.	59.
Cap. 6. De propositionibus hypotheticis.	61.
Cap. 7. De propositionibus exponibilibus.	64.
Cap. 8. De materia, & forma propositionum modalium.	65.
Cap. 9. De quantitate, & qualitate propositionis modalis.	69.
Cap. 10. De oppositione modalium.	70.
Cap. 11. De æquipollentia modalium.	73.
Cap. 12. De conversione modalium.	76.

LIBER TERTIUS SUMMULARUM.

*De pertinentibus ad tertiam operationem intellectus.*

Cap. 1. Quid sit argumentatio, & quotuplex?	78.
---	-----

Cap. 2. De consequentia, & regulis in ea observandis.	80.
Cap. 3. De inductione: ubi etiam de ascensu, & descensu.	82.
Cap. 4. De syllogismo.	85.
Cap. 5. Explicantur modi syllogistici in triplici figura cum regulis observandis.	89.
Cap. 6. De principijs rectificandis syllogismos.	91.
Cap. 7. De reductione syllogismorum per ostensionem, & per impossibile.	93.
Cap. 8. De syllogismo expositorio, & de alijs speciebus syllogismi.	96.
Cap. 9. De fallacijs: seu de syllogismo sophistico, pseudo-grapho, vel vitioso.	98.

DIALECTICÆ PARS ALTERA.

*Continens aliquas quæstiones textum illustrantes.*

Quæstio I. Quomodo diffiniendus sit terminus logicus?	104.
§. 1. Quædam notantur, & ratio dubitandi proponitur.	ibid.
§. 2. Expenduntur aliorum diffinitiones in particulari.	107.
§. 3. Nostra diffinitio probatur autoritate, & ratione.	111.
§. 4. Solvuntur specialia argumenta contra nostrā sententiā.	115.
§. 5. Solvuntur argumenta cōmunia etiā cōtra alias sententiās.	123.
§. 6. Dubiola quædam incidentia breviter dissolvuntur.	130.
Dubiolum 1. An ratio termini conveniat vocibus non significativis	ibid. num. 38.
Dub. 2. An termini extra propositionē sint actu termini?	140. n. 51.
Dub. 3. An verbo conveniat ratio termini?	144. n. 55.
Quæstio II. An vox <i>Deus</i> sit terminus communis?	148.
§. 1. Quibusdam notatis, sententiæ referuntur.	ibid.
§. 2. Nostra sententia proponitur, & probatur.	153.
§. 3. Solvuntur argumenta contra primam conclusionem.	158.
§. 4. Solvuntur argumenta contra alias conclusiones.	164.
Quæstio III. An diffinitio signi tradita à P. Augustino, conveniat omni signo?	169.
§. 1. Quædam notantur, & ratio dubitandi proponitur.	ibid.
§. 2. Varijs conclusionibus ostenditur rectam esse diffinitionem Augustinianam.	173.
§. 3. Directè probatur bonitas diffinitionis nostræ.	179.
§. 4. Solvuntur argumenta.	186.
Quæst. IV. Quibus cōveniat ratio signi, & per quid cōstituatur?	191.
§. 1. Breviter explicatur, quibus conveniat propriè ratio signi.	ibid.
Prima conclusio. In Angelis non dantur vera, & propria signa dum loquuntur inter se; benè verò quando loquuntur hominibus, & forsitan inter se signis externis.	193. n. 5.
Secunda conclusio. Signum, quod vocatur formale, non est	

proprie signum.	194. n. 6.
Tertia conclusio. Idem non potest esse signum sui ipsius.	195. n. 8.
Quarta conclusio. Unum simile non est signum alterius perfecte similis.	197. n. 11.
Quinta conclusio. Nihil insensibile potest esse proprie signum.	199. n. 12.
Sexta conclusio. Quando causa principalis est notior effectu, est signum ejus, & è contra.	200. num. 14.
§. 1. Voces nihil significantes non sunt proprie signa.	n. 16. 201.
§. 2. Discutitur per quid constituatur signum in ratione signi.	202.
§. 3. Ostenditur voces esse signa naturalia & ad placitum.	208.
Prima conclusio. Voces significativæ ad placitum relatè ad verbum imaginatum sunt signa naturalia.	num. 41. 220.
Secunda conclusio. Voces significativæ sunt signa ad placitum relatè ad verbum intelligibile.	ibidem num. 42.
Tertia conclusio. Voces significativæ, dum supponunt materialiter sunt signa naturalia verbi imaginati, & verbi intelligibilis.	n. 43. 221.
4. Concl. Voces nō significativæ sūt signa naturalia vocis imaginatæ.	ib. n. 44.
5. Concl. Voces non significativæ dum concipiuntur ab intellectu, sunt signum naturale sui verbi imaginati, & sui verbi mentalis.	ibidem.
6. Concl. Verbū imaginatū est signū ad placitū sui verbi mentalis.	222. n. 45.
7. Concl. Verbū imaginatū non est signū verbi vocalis, sed est signatū.	ib.
8. Conclusio. Verbum mentale est signum naturale objecti cogniti ab intellectu.	ibi. n. 46.
§. IV. Nostra sententia circa constitutum signi.	223.
§. V. Solvuntur argumenta contra nostram sententiam.	226.
Quæstio V. Vtrum dentur propositiones æternæ veritatis?	239.
§. I. Exponitur ratio dubitandi, & adducuntur fundamenta sententiæ affirmantis.	ibidem.
§. II. Nostra sententia varijs conclusionibus proponitur, & probatur.	242.
1. Conclusio. Simpliciter loquendo non dantur propositiones æternæ veritatis, nec de objecto creato, nec de increato.	ibidem.
2. Conclusio. Dantur propositiones essentielles, quæ secundum quid sunt æternæ veritatis.	n. 15. 248.
3. Conclusio. Propositiones essentielles de subjecto singulari non sunt æternæ veritatis adhuc secundum quid.	n. 17. 250.
§. III. Solvuntur argumenta.	252.
§. IV. Solvuntur alia argumenta contra nostram sententiam.	261.
Quæstio VI. Vtrum verbum absolvetur à tempore?	272.
§. I. Explicatur ratio dubitandi, & proponitur cōmunis sententia.	ibidem.
§. II. Quædam notantur ex D. Thoma, & B. Egidio pro N. sententiâ.	277.
§. III. Nostra sententia proponitur, & probatur.	280.
1. Cōcl. In propositionibus, quas formamus de Deo, verbum absolvetur.	ib.
2. Concl. In propositionibus essentialibus de subjecto univertali, verbum absolvetur.	ibidem n. 14.
3. Concl. In propositionibus essentialibus de subjecto singulari verbum non absolvetur à tempore.	282. n. 16.
§. IV. Solvuntur argumenta contra nostram sententiam.	286.
§. V. Expenduntur fundamenta communia posita §. 1.	294.

## PRO LOGICA MAGNA PROEMIUM:

**P**ostquam Dialecticæ brevem summam in antecedentibus exposuimus, aggredimur explicationem totius Logicæ magnæ, quæ sicut est enodatior expositio præcedentium, ita limatiorem expetit intentionem. *Ad P. August. lib. X. de Trin. c. 1.*  
*doctrinas autem cognoscendas plerumque nos laudantium, atque prædicantium accendit auctoritas: & tamen nisi breviter impressam cujusque doctrinæ haberemus in animo notionem, nullo ad eam discendam studio flagraremus. Quis enim scientia v. g. Rhetoricæ ullam curam, & operam impenderet, nisi ante sciret eam dicendi esse scientiam? Sanè nullus, ut ibi concludit efficacissimè S. P. N. Augustin. Quamobrem, ut discendi ardor, & flagrans studium discentes reddat intentiones, & attentiores, oportet vel in ipso limine brevem aliquam Logicæ notionem proponere, aut saltem laudantium, & prædicantium excellentiam ejus, inducere auctoritatem. In id collimant sequentes quæstiones præmiales; nam prima non minus excitat amorem Logicæ, quàm statuit in homine appetitum, & naturale illius desiderium: secunda suadet Logicam esse scientiam, & scientiarum disciplinam: tertia declarat ipsam simpliciter speculativam pro fine ultimo habere inquisitionem veritatis: quarta cum S. P. N. Augustino demonstrat ipsam ad eò necessariam ad adquirendas alias scientias, ut quicumque Logicam ignoret; sapiens non sit, nec ad sapientiam pertineat cognitio habitata sine Logica: reliquæ ejus munera docentis, & utentis, unitatem & simplicitatem ejus, & proprium formale objectum illius exponunt, ut inde quæ sit Logicæ perfectio, quàm necessaria, quàm ardentè amanda, & toto conatu addiscenda, liquidò constare possit.*

Quòd si prædicantium, & laudantium, auctoritatem desideres, unam pro mille P. Augustinum excipe, in Logicæ laudes plenè profusum lib. 3. contra Academ. cap. 13. lib. 2. de Ordine cap. 13. lib. de Principijs Dialecticæ cap. 4. lib. de Doctr. Christ. cap. 31. varijs item ubique libris, cujus verba allegabimus infra, ut tanto auctoritatis pondere sententias nostras pro viribus firmemus. Tibi sufficiat interim, omniscium Augustinum Logicæ tribuere quidquid scire fatetur loco laudato libri tertij contra Academicos.

PROEMIVM.

Vide, an desideranda sit, totisque expetenda visceribus Logica scientia, quæ tanta & omnigenæ sapientiæ occultissima, docuit Augustinum?

Adest & altera urgentissima consideratio, avidiores reddens discipulorum, & docentium animos, qui cum P. Augustino scientiam cibum, & animæ alimentum confitentur.

*Quid ergo anima, nullane habet alimenta propria? An ejus*

*esca scientia vobis videtur? Plane;* inquit S. P. N. & subjungit: *Rectè igitur dicemus eorum animos, qui nullis disciplinis eruditi sunt, nihilque bonarum artium hauserunt, jejunos. &*

*quasi famelicos esse. Nec putes, hoc solo famis malo ignorantibus laborare, quin imò doleas intensius necesse est, perpendens eos vitij omnibus expositos: Nam quemadmodum*

*corpus detractò cibo plerumque morbis, atque scabie repletur, quæ in eo vitia indicant famem; ita & illorum animi pleni sunt morbis, quibus sua jejunia confitentur. Etenim ipsam nequitiam matrem omnium vitiorum &c.* Hinc satis, ut opinor,

ante oculos ponitur ratio urgentissima appetendi disciplinas, quæ animam alunt, pascunt, & liberant à vitij: sed cavenda & vitanda non minus est animæ luxuries, quàm corporis, in epulis tantum numero, pondere, & mensura sumendis.

*Habent enim in epulis suis & animi quandam luxuriam, si ultra modum in eas voraciter irruant: ita enim male quodammodo digerunt, unde valetudini mentium non minus, quàm ab illa fame metuendum est.* Quid tibi proderit plus cibi corporis, aut animæ, quàm digerere possis, vorare.

Nihil fanè, imò & maximè oberit valetudini; teque reddet fastidientem erga doctrinas, quas nisi esuriens accipias, tibi non proderunt.

*Nam si vos invitos, & fastidientes alere conabor, frustra operam insumam, magisque vota facienda sunt, ut tales epulas potius, quàm illas corporis desideretis?*

Deterret fanè Apostolus ab incepto scientiarum tractamine, dum dicit scientiam inflare, & solam ædificare charitatem, nisi moneret S. P. Augustinus, addendam esse scientiæ charitatem, ut utilis scientia sit; nec discendam esse Logicam animo contendendi, sed sano, & sincero desiderio inquirendi veritatem. Ducant alij contentionis funem: nobis fat est nec invitos contendere, sed peccato, & sincero animo, veritatem inquirere; non ad inanem gloriam, sed ad nostram ædificationem, & proximorum utilitatem.

Audi

PROEMIVM.

Audi S. Bernardum, à Glossa indutum, varios addiscentium fines dilucidè de regentem: *Sunt, inquit, qui scire volunt eo tantum fine, ut sciant, & curiositas est: quidam, ut sciatur, & vanitas est: quidam ut scientiam vendant, & turpis questus est: quidam ut ædificentur, & prudentia est: quidam ut ædificent, & charitas est.* Discamus ergo, ut ædificemur, & ædificemus; ac cum P. Augustino, quo nihil fuit humilior, humilitatis scholam ingrediamur, ubi Præceptor unus, & unicus Christus Dominus hanc solam lectionem edifferens, Apostolis, & toti Ecclesiæ proposuit addiscendam, *discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.*

S. Bern. cit.  
à Glof. sup.  
1. ad Cor. 8.

A2

LIBER

P. Aug. lib.  
de vita bea-  
ta.

P. Aug. ibi-  
dem.

P. Aug. ibi.

Ibi.

Primo ad  
Corinth. 8.  
August. Ep.  
119.

# LIBER PRIMUS

## DE PROEMIALIBUS LOGICÆ.

### QUÆSTIO PRIMA.

VTRUM IN HOMINE DETVR AP PETITVS  
*naturalis ad Logicam?*

#### §. I.

QVÆDAM SUPPONVNTVR, ET DIVISIONES  
*appetituum explicantur.*

**N**ext. **I**n isto dubio proë-  
mialia Lo-  
gica in-  
cipimus,  
Aristotelis  
vestigia sequentes, qui ut Me-  
taphysicæ dignitatē commen-  
daret, eandem quæstionem in  
ejus proëmio instituit, & dis-  
cussit axioma illud præmittens  
*Omnis homo naturaliter scire de-  
siderat*: Vnde intulit naturalē  
hominis appetitū ad Metaphy-  
sicam. Eundem conatur de-  
fendere terminatum ad Logi-  
cam, ut ejus perfectionem vel  
ab ipso limine magni facien-  
dam intelligamus, & prælimi-  
nari discussione pro reliquis la-  
boriosè exagitantis, avidior

præparetur animus.

Ab eadem quæstione in-  
cipit M. Froylanus, cum quo  
supponendum est primò Logi-  
cam esse perfectionem intelle-  
ctus, & facultatem ei additam,  
qua dirigitur ne erret in præ-  
cipuis operationibus suis diffi-  
niendi, dividendi, & argumē-  
tandi. Hanc facultatē esse sciē-  
tiam dicemus, & speculativā,  
imò & simpliciter necessariam  
ad acquirendas alias scientias.  
Quod licet pro præsentī dubio  
necessarium non sit præsuppo-  
nere; conducit tamen tum ad  
consequentiam doctrinæ, tum  
ut motiva urgentiora appetē-  
di Logicam in ipso limine ap-  
pareant.

Supponimus secundò du-  
pli-

#### Quæst. 1.

plicem est appetitū, alter dici-  
tur appetitus *naturalis inna-  
tus*, alter appetitus *elicitus*. De  
utroque procedit dubium; sed  
prius quid sit uterque est dis-  
quirendum.

2. Appetitus *naturalis  
innatus* est inclinatio, & pro-  
pētio naturæ in propriam per-  
fectionem, & antecedit omnē  
cognitionem perfectionis ap-  
petitæ. Ob id dicitur, istum  
appetitum esse cōmunē rebus  
animatis, & inanimatis, quia  
omnes æquē suam perfectio-  
nem appetunt, nec ad hoc est  
necessaria aliqua cognitio præ-  
via perfectionis desideratæ. Sic  
ignis appetit ire sursum, & la-  
pis deorsum: nam eorum varia  
natura propendet in loca di-  
versa appetitu naturali. Appe-  
titus autē *elicitus*, est actus di-  
stinctus à potentia appetente,  
cui supponit cognitionē per-  
fectionis desideratæ. Hic dici-  
tur *elicitus*, quia elicitur à po-  
tentia appetente: & ille dici-  
tur *innatus*, quia congenitus  
cum natura, vel datus ab au-  
thore naturæ.

Hæc doctrina communif-  
sima traditur à prælaudato Ma-  
gistro ubi supra; sed melius  
exponitur à P. Suariorum in Me-  
taph. tom. 1. disp. 1. Sect. 6.  
num. 14. ubi de appetitu innato  
hominis ad scientiam dicit:  
*Non est aliud, quàm intellectus  
ipse, & capacitas ejus, qua*

#### §. I.

2

scientiam respicit, ut propriam  
perfectionē. Sicut enim in ma-  
teria prima appetitus ad for-  
mā non est aliud ab ipsa mate-  
ria, & naturali ejus capacitate;  
& similiter in omni alia potē-  
tia appetitus ad suum actum  
non est aliquid additum ipsi  
potentiæ, sed naturalis consti-  
tutio & aptitudo: ita in in-  
tellectu se habet appetitus ad  
scientiam.

3. Hæc doctrina fun-  
datur primò in Aristotele 1.  
Ethic. cap. 1. ubi docet, *Bonum  
est quod omnia appetunt*. Quæ  
verba duplicem habēt sensum;  
primus est, quod nemo appe-  
tit nisi bonum, nam malum  
non appetitur nisi sub ratione  
boni. Secundus est, quod om-  
nia appetunt sibi bonum &  
conveniens. Vtrumque sen-  
sum docuit P. Augustinus, pri-  
mum sæpè, & præcipuè tract.  
de Epicureis, & Stoicis cap. 3.  
Secundum, & ad præsentē ma-  
teriam clarè conducentem,  
tradidit lib. 13. de Trin. cap. 8.  
dicens: *Ad appetendam Beati-  
tudinem natura compellit, cui  
summè bonus, & immutabilis  
creator hoc indidit*. Ecce appeti-  
tus beatitudinis est naturalis,  
datus nobis à Creatore, nec li-  
ber nobis est, sed naturalis, &  
congenitus cum natura. Et ex-  
plicans quid sit appetitus iste,  
quem aliquando vocat amo-  
rem, dicit lib. 13. Confessio-  
num

num cap. 9. *Amor meus pondus meum, illo feror quocumque feror.* En propensio naturæ nostræ in bonū sibi cōveniēs est veluti pōdus in gravibus, quo inclinātur ad centrū. Ergo appetitus iste naturalis juxta Aristotelē & P. Augustinū est inclinatio & propensio rei in suam perfectionem, data à Creatore, & sic innata, vel congenita.

Idem docet D. Thomas multis locis, præcipuè 1. p. q. 80. art. 1. ubi, ut probet, quòd appetitus est specialis potentia animæ, assumit hoc principiū. *Quamlibet formam sequitur alia qua inclinatio.* Et postea: *Hinc igitur formā naturalē sequitur naturalis inclinatio, quæ appetitus naturalis vocatur.* Quare juxta D. Thomā Creator dāns formas, dat rebus naturales appetitus; & isti sūt propensiones & inclinationes ad bonū, sibi cōveniēs. Idem docet de appetitu elicitō, quòd supponit cognitionē, vel perfectā, ut in homine; vel imperfectā, & sensitivā, ut in brutis. Ceterū appetitus iste est actus distinctus à potētia appetēte, & potētia ipsa appetitiva est distincta à forma vitali, vel est potentia specialis animæ, ut ibi intēdit D. Thom.

4. Licet dicta de utroque appetitu sint satis nota, & communia inter RR. contrarium docet N. Gavardi tom. 1. suæ Theologiæ q. 1. de In-

visibilitate Dei art. 5. ubi contendit, quòd appetitus naturalis innatus supponit cognitionem in homine, saltem incompletam; in brutis sensitivam, & in solis inanimatis nullam supponit cognitionem. Addit quòd ponere in homine appetitum sine prævia cognitione, est ponere appetitum lapideum, & insensibilem.

Fundatur primò. Quia juxta Aristotelem, quē omnes sequuntur, appetitus ad scire est in homine naturalis innatus: sed juxta P. Augustinū iste appetitus supponit aliquam cognitionem: ergo appetitus innatus in homine supponit cognitionem. Minor est expressa in P. Augustino lib. 10. de Trin. cap. 2. ubi ait: *Nullus itaque amat incognita, etiam cum appetit scire quod nescit; aut enim jam genere notum habet quod amat, idque nosse expetit etiam in re singula, &c.* Ibidem cap. 1. dixerat: *Quod quisque profusus ignorat, amare nullo modo potest.*

Et licet S. P. lib. 5. de Trin. dicat, quòd *partum mentis præcedit appetitus.* Respondet N. Fundam. Doct. Egidius Rom. in 1. Sent. dist. 6. in fine §. *Super litteram*: Quòd appetitus incompletus præcedit cognitionem completam, quatenus cognoscens cognoscit volens, & quia vult: cæterum ante ap-

appetitum incompletum datur cognitio incompleta: unde nullus est in homine appetitus, qui non sequatur, & supponat cognitionem saltem incompletam. Idem habet nosster Doctor in 1. dist. 10. q. 1. art. 1. §. *Propter.* Et in 2. dist. 8. q. 2. art. 1. in resolutione dubij tertij §. *Sed quomodo.* Pro qua sententia citat Gavardi D. Thomam multis locis, qui apud ipsum videri possunt.

A ratione etiam probat, quia appetitus naturalis consequitur formam, tum quia juxta Philosophum *talia quisque appetit, qualis est*; tum quia juxta variationem formarum dantur varij appetitus ut in igne ad sursum, & in lapide ad deorsum: ergo distinctio appetituum sequitur ad distinctionem formarum, & ab ea desumitur. Sed forma in homine differt ab animalibus, & insensibilibus per intellectum, & quia rationalis, & intellectiva est: ergo appetitus naturalis in homine, ut distinctus ab appetitu brutorū, & lapidū, est rationalis supponens cognitionem.

Vrgentiùs confirmari potest ex D. Thoma 1. p. q. 80. art. 1. ubi inquit: *An appetitus sit aliqua specialis animæ potentia?* Respondet dando discrimen inter animata cognoscitiva, & inanimata: nam ig-

nis, & alia entia, quæ carent cognitione, habent formam ad unum determinatā, & sic in eis appetitus non est specialis potentia distincta à forma, sed ipsa forma inclinans in suam perfectionem. At entia cognoscitiva, vel per sensum ut bruta; vel per intellectum, ut homines, non habēt formā ita determinatā ad unum, sed sunt quodammodo multa, quæ possunt sentire, & cognoscere: quare in eis appetitus debet esse supra modum rerum naturalium: *Et hæc superior inclinatio pertinet ad vim animæ appetitivam, per quam anima appetere potest ea quæ apprehendit &c.*

En argumentum, si in homine appetitus naturalis non supponeret cognitionem, sequeretur ad solam formam, sicut appetitus ignis formam ignis: ergo sequeretur in homine formam ad unum determinatā, sicut in igne. Ergo vis appetitiva in homine non esset specialis potentia animæ, sicut in igne non est. Patet hæc cōsequētia ex ratione data D. Thomæ. At illa est contra expressum articulum S. Doct. & contra veritatem, cum reverà nedum in homine, verum in brutis sit vis appetitiva distincta à forma; quæ in carētibus cognitione & sensu, nō est.

6. Quid in hac difficultate sentiamus, sincerè proponemus sine præjudicio utriusque sententiæ explicatæ, cui pacem dabit non nostra tenuitas, sed angelicum planè D. Thomæ iudicium Notandum quòd in homine datur totum, & dantur partes. Quælibet pars, v. g. corpus, anima, intellectus, volùtas &c. est forma quædam, & quasi natura particularis, habens suam naturalem inclinationem: v. g. intellectus ad intelligere; voluntas ad velle; oculus ad videre &c. Totum autem compositum humanum, aut totus homo, etiam habet suas inclinationes, & naturales appetitus. Loquendo de appetitu totius hominis, vera est sententia Gavardi & falsa prima explicatio nostra. Loquendo de appetitu partium hominis, vera est prima sententia communis, & nil convincunt fundamenta nostri Gavardi, ratio est, quia appetitus totius hominis naturalis supponit cognitionem, & sic tenet secunda sententia: appetitus autem partium hominis nullam supponit cognitionem, ut contendit sententia prima.

Audi D. Thomam 1. p. q. 80. art. 1. ad tertium. *Ad tertium dicendum, quòd unaquæque potentia animæ est quædam forma, seu natura, & ha-*

*bet naturalem inclinationem in aliquid. Unde unaquæque appetit objectum sibi conveniens naturali appetitu: supra quem est appetitus animalis, consequens apprehensionem, quo appetitur aliquid, non ea ratione, qua est conveniens ad actum brutus, vel illius potentie, ut visio ad videndum, & auditio ad audiendum, sed quia est conveniens simpliciter animali. Hæc S. Doctor quæ licèt ex se clarè intelligantur, Thomistis reponimus Cajetani commentarium.*

„ Ait sic in responsione  
 „ ad tertium: Nota hinc quòd  
 „ in cognoscentibus, quæad-  
 „ modum est utriusque ratio,  
 „ scilicet naturæ, & cognosci-  
 „ tivi; ita est uterque appeti-  
 „ tus naturalis: qui nihil aliud  
 „ est, quàm ipsa naturalis po-  
 „ tentia ad suam perfectio-  
 „ nem, & animalis, qui non  
 „ fertur, nisi ad actum cog-  
 „ nitum. Quapropter videre,  
 „ audire & alia huiusmodi, &  
 „ etiam ipsum appetere, du-  
 „ pliciter appetimus. Natura-  
 „ liter secundum partem, idest  
 „ secundum illam potentiam,  
 „ cuius est perfectio; & ani-  
 „ maliter, cum apprehensum  
 „ visionis, vel volitionis, bo-  
 „ num concupiscimus, & con-  
 „ servare conamur. Hæc Cay-  
 „ etan. qui fusiùs rem tetigit 1.  
 p. q. 19. artic. 2. in Com-  
 men-

mentario illius articuli.

7. Ecce partes hominis appetunt naturaliter suos actus, & perfectiones, sed sine prævia cognitione; & hoc est ita certum, ut voluntas nostra, quæ in reliquis sequitur ductum intellectus, tamen ut appetat suum velle, non præsupponit cognitionem, sed per suam entitatem, quæ est quædam forma, vel natura, inclinatur ad suum velle, quod est perfectio voluntatis, ut docet D. Thomas, & ex ipso Cayetanus.

Ceterùm totus homo non potest aliquid appetere, nisi sit præcognitum: quare ut totus homo appetat ipsum velle voluntatis, debet illud præcognoscere ut bonum toti supposito. Hinc fit, ut quòd in homine relarè ad velle (& idem de alijs perfectionibus suæ naturæ) est duplex appetitus naturalis; unus *partialis*, idest conveniens parti appetenti suum actum, vel perfectionem, & iste non supponit cognitionem. Alter est *totalis*, vel ut Cayetanus dicit *animalis*, quo totum appetit illam perfectionem suarum partium, ut toti convenientem; & hic supponit cognitionem, in homine perfectam, & in brutis sensitivam.

8. Probatur à ratione utrumque assertum. Primum

sic. Potentia visiva hominis appetit naturaliter videre: sed appetitus iste nullam supponit cognitionem: ergo appetitus partium ad suas perfectiones nullam cognitionem supponit. Major est certa. Quia oculus habet suam formam, quæ sicut inclinatur ad videre, sic perficitur per visionem. Rursus sicut ignis per suam formam propendet in locum sursum, sic oculus in visionem: nec est cur igni innimato concedamus naturalem appetitum suæ perfectionis, & id denegemus oculo animato. Minor verò probatur. Appetitus oculi non supponit cognitionem perfectam & intellectivam; aliunde non supponit imperfectam, & sensitivam: ergo nullam supponit.

Probatur major primò: Nam appetitus supponens cognitionem intellectivam, est voluntas, aut voluntatis actus; cum sola voluntas sequatur ductum intellectus: at oculus non appetit suam visionem per voluntatem; cum voluntas non sit vis appetitiva partium, sed totius: ergo appetitus oculi non supponit cognitionem intellectivam.

Nunc probatur minor: Appetitus oculi non supponit cognitionem sensitivam: aliunde nec cognitionem sensi-

frivam auditus, vel alterius sensus: ergo appetitus oculi nullam supponit cognitionem sensitivam. Major patet, oculus appetit omnem visionem suam: ergo appetitus oculi precedit omnem visionem: ergo precedit omnem cognitionem sensitivam ocularem, & sic nullam supponit. Minor etiam est certa, quia oculus non pendet ab alijs sensibus, aut desideret suam perfectionem; quare oculus surdi æquè appetit videre, ac oculus audientis: ergo appetitus oculi non supponit cognitionem aliorum sensuum.

5. Sed dices: Experientia docet, quod auditis mirabilibus Romæ v. g. appetitus illam videre: ergo quia appetitus videndi pēdet à cognitione sensitiva auditus. Patet cōsequētia, quia si non pēderet, non augetur appetitus videndi in solo auditu. Idem argumētum fit in tactu, gustu, & alijs cognitionibus sensitivis; constat enim, quod tacta, aut gustata re, excitatur appetitus videndi illam.

Respondeo concessio antecedenti dist. consequens: appetitus videndi pendet &c. appetitus totalis, vel animalis, concedo consequentiam, appetitus partialis oculi, nego consequentiam. Oculus enim non immutatur ex auditu mirabi-

lium Romæ, quare æquè sicut antea naturaliter appetit videre quodcumque visibile. Auditis tamen mirabilibus illis mutatur totum animal, aut totus homo, quia per sensum auditus intrāt species, quæ movent apprehensionem audientis, ut cognoscat esse bonum, & sibi conveniens videre Romam. Quare ad illam cognitionem sequitur novus appetitus in homine, non in oculo: unde non oculi sed totius hominis appetitus est qui pendet ex præsupposita cognitione: sicque non impugnatur primum assertum nostrum, sed confirmatur secundum.

10. Probatur secundū assertū, scilicet quod appetitus totius supponit cognitionem modo dicto. Appetitus hominis v. g. quo appetit varia bona, ut convenientia toti supposito, est actus specialis potentiae animæ, ut docet D. Thomas laudatus supra numero 5. At hæc specialis potentia animæ, qua homo appetit, est voluntas, quæ essentialiter præsupponit cognitionem: ergo appetitus hominis supponit cognitionem. Idem dic de brutis, quæ habent specialem potentiam animæ, qua appetunt ea omnia, quæ apprehendunt sibi convenire.

Confirmatur. Appetitus ho-

hominis non est ad unum determinatus sicut appetitus ignis, sed est potens ad plura, & indifferens: ergo sequitur non formam ad unū determinatā, sed ad plura indifferentem. Nunc sic. Sed forma in esse naturali est ad unū determinata; in esse verò intelligibili est ad plura indifferēs: ergo appetitus hominis sequitur formam apprehensam, & sic supponit cognitionem. Minor constat, quia anima nostra in esse naturali est unica substantia; in esse verò intelligibili est omnia, quæ potest intelligere; cū juxta Philosophum intellectus fiat res intellecta. At potest omnia intelligere: ergo in esse intelligibili forma hominis est plura, cū sit unum in esse naturali: ergo appetitus hominis, qui est voluntas ad plura indifferens, sequitur non formam in esse naturali, sed apprehensam, & in esse intelligibili.

11. Nec contra dicta urgent motiva primæ sententiæ, quæ solum convincunt de appetitu partiali: intellectus, materiæ, & cujuscumque partis: hic enim est inclinatio in propriam perfectionem, aut capacitas talis perfectionis, activa ut in intellectu, & alijs sensibus, & potentijs, aut passiva, sicut in materia prima relate ad formam, existentiam &c.

Authoritates P. Augustini numero tertio adductæ, non sunt contra nos, sed pro nobis. Nam prima de appetitu beatitudinis, est de appetitu totius, nam totus homo beatur: hic appetitus ad beatitudinem in communi, est inditus à Creatore; sed ab eodem est indita cognitio beatitudinis in communi, ut refert P. Augustinus lib. 13. de Trin. cap. 3. dicens: *Quemdam mimum promississe in theatro se dicturum sequenti die quid quisque haberet in animo, & desideraret: & congregato præter morem populo, dixit: Vili vultis emere, & carè vendere.* Erravit, nam melius divinasset dicens: *Omnes Beati esse vultis, miseri esse non vultis:* sic dicens (ait Augustinus) *dixisset aliquid quod nullus in sua non agnosceret voluntate.* En amor ille beatitudinis in communi, est actus voluntatis, & sic supponit cognitionem beatitudinis in communi.

Si tamen sermo sit de beatitudine supernaturali, hic etiam supponit cognitionem ob rationem datam, quia est appetitus totius; sed vel non est naturalis, sed supernaturalis, ut contendit Gervardi loco citato, & solum habetur viribus gratiæ, ut inquit P. Augustinus lib. de



Corr. & Gratia cap. 1. dicens: *Desiderare auxilium gratiæ, indicium est gratiæ*: ergo potius desiderare beatitudinem supernaturalem, quæ est consummatio gratiæ, vel erit appetitus naturalis non homini secundum se, sed re-duplicativè ut elevato, ut docet N. Lafosse tom. 3. q. 1. de Possibilitate visionis Beatificæ. At sicut appetitus ille supponit elevationem, supponit etiam cognitionem beatitudinis per fidem. Sed de his factis.

Secunda authoritas de pondere amoris non est contra nos, quia pondus gravium nullam supponit cognitionem, bene tamen pondus amoris, cum teste eodem Augustino ubi supra, *quod quisque prorsus ignorat, amare nullo modo potest*. Et quidem nullus amor ponderosior, quam beatificus: at ille supponit visionem beatam, quæ si non præcederet, non sequeretur talis amor. De autoritatibus D. Thomæ patet ex contextu dato numero 6. ex doctrina S. Doctoris, distinguens formam totius, & formas partium, ut inde diversos appetitus distinguat.

Fundamenta secundæ sententiæ omnia probant, quod appetitus hominis, & animalis supponit cognitionem. Nā

authoritates P. Augustini sūt de homine, ut est quoddam totum; & sic ejus appetitus debet supponere cognitionem. Fundamentum Gavardi à ratione debet intelligi sub distinctione. Distinguo ergo consequens: ergo appetitus naturalis in homine supponit cognitionem; appetitus totius, concedo consequentiam, appetitus partium hominis; nego consequentiam. Vide dicta à numero 8. usque ad 10.

Appetitus totius hominis non sequitur animam in esse naturali, sed in esse intelligibili, ut probatum est numero 10. & inde ostensum, debere supponere cognitionem. At appetitus partium in homine non sequitur formam hominis unam, sed multiplicem, ita ut tot sint in homine partiales appetitus, quot formæ, & tot sint formæ, quot partes, potentiæ, & sensus, ut dictum est à numero 7. Anima ergo rationalis, ut pars hominis considerata, habet suum appetitum partialem, sed non supponit cognitionem, quia non sequitur ad animam in esse intelligibili, sed in esse naturali; nec appetitus ille est voluntas, sed entitas animæ, quæ in esse naturali petit suam perfectionem, puta unionem cum corpore. Et quidē distingu-

guitur appetitus iste animæ ab appetitu ignis, & aliorum entium; non quia præsupponat cognitionem, sed quia est appetitus ad perfectionem diversam. Sic appetitus oculi diversus est à partiali appetitu auris: sed diversitas non est penes cognitionem, quia conveniunt in non supponere illam; sed est penes diversam perfectionem desideratam.

13. Ex dictis in toto hoc §. colliges quod appetitus naturalis innatus, sumptus in communi, diffinitur sic: *est propensio, & inclinatio rei in propriam perfectionem*. Hic est duplex, scilicet partialis, & totalis. *Partialis* diffinitur sic: *Est naturalis inclinatio partis in suam perfectionem, nulla præsupposita cognitione*. *Totalis* sic: *Est actus specialis potentiæ appetitivæ supponens aliquam cognitionem*. Hæc ultima diffinitio sumitur ex dictis numero 6. de mente D. Thomæ. Et subdividitur in appetitum totalem rationalem & irracionalem. *Rationalis* ut in homine, & Angelo est *qui supponit cognitionem intellectivam*. *Irrationalis* verò ut in brutis, est *qui supponit cognitionem sensitivam*.

14. Dices: Si appetitus innatus *totalis* est actus, & supponit cognitionem; in quo differt ab appetitu elicitò, qui

communitè diffinitur *actus elicitus à potentia appetente, qui supponit cognitionem rei appetitæ*? Sanè hæc diffinitio convenit etiam appetitui innato hominis, & bruti, ut à nobis explicatus est: ergo vel nostra doctrina de appetitu innato non tenet, vel diffinitio communis appetitus elicitivi non subsistit.

Respondeo concedendo secundam partem consequentis, scilicet diffinitionem appetitus elicitivi non subsistere, nisi ei aliquid addatur. Quid enim addendum sit, & quæ sine discrimina hujus appetitus ab appetitu innato hominis, docet N. Fundam. Doctor. loco citato secundi Sententiarum dist. 8. q. 2. art. 5: in resolutione tertij dubij §. *Sed quomodo* ubi loquens de voluntate humana, quæ habet rationem appetitus, & est in homine vis appetitiva, dicit sequentia.

15. Si enim consideratur primo modo (*scilicet ut appetitus*) sic habet quod tendat in bonum quodammodo naturaliter; ideo sic diffinitur bonum *in Ethic. cap. 1. quod omnia appetunt*; secundum quem modum appetitus intellectivus tendit in bonum quod est finis. Est enim hoc naturale cui libet appetitui, ut naturaliter tendat in finem *intra-*  
via

„ via naturaliter appetit esse  
 „ deorsum, & levia sursum,  
 „ & homo naturaliter appetit  
 „ suam foelicitatem, & esse  
 „ beatus: ideo dicitur in  
 „ Eth. cap. 7. quod finis præ-  
 „ stituitur nobis à natura: id  
 „ enim quod apprehendimus  
 „ ut finem, non possumus non  
 „ velle, sed quasi naturaliter  
 „ ferimur in ipsum: ergo vo-  
 „ luntas nostra, ut appetitus  
 „ est in bonum, quod est finis,  
 „ fertur naturali quadam in-  
 „ clinatione. Sed hujusmodi  
 „ voluntas considerata non  
 „ solum ut appetitus est, sed  
 „ ut appetitus intellectivus est  
 „ sic fertur in ea, quæ sunt ad  
 „ finem, non naturali inclina-  
 „ tione, sed magis quadam li-  
 „ bera electione. Hæc Doctor  
 „ noster.

Eandem doctrinam ha-  
 bet D. Thomas 1. p. q. 41. art.  
 2. ad tertium & alibi sæpè ubi  
 distinguit in voluntate nostra  
 conceptum naturæ, & concep-  
 tum potentiæ liberæ: primo  
 modo respicit finem, secundo  
 modo media, quæ conducunt  
 ad finem. Quare respectu finis  
 voluntas nostra non est libera,  
 sed tendit naturaliter, sicut  
 gravia in centrum: respectu  
 verò mediolorum tendit liberè,  
 & non naturaliter. Hæc &  
 non alia est doctrina nostri E-  
 gidij.

Hinc constat: **dubium**

propositum. Dicimus ex utro-  
 que Beato Doctore, quod in  
 homine appetitus *innatus*, &  
*elicitus*, est actus voluntatis, &  
 supponit uterque cognitionē:  
 sed differunt primò, quia ap-  
 petitus innatus est circa fi-  
 nem; elicitus est circa media.  
 Ille naturaliter tendit in obje-  
 ctum; iste non naturaliter, sed  
 liberè: ille est inditus à natu-  
 ra, quia à Creatore habemus  
 rendere naturaliter in finem,  
 sicut gravia in centrum; iste  
 non est inditus à natura, sed  
 productus à libertate ex ele-  
 ctione libera.

Hinc constat etiam quid  
 addendum sit communi dif-  
 finitioni appetitus eliciti: ad-  
 dendum est hoc verbum *circa*  
*media*, ita ut tota diffinitio sit,  
 Appetitus elicitus est actus cir-  
 ca media elicitus à potentia ap-  
 petente, præsupposita cogniti-  
 one. Et appetitus naturalis erit,  
 actus circa finem elicitus à po-  
 tentia appetente, præsupposita  
 cognitione finis. Vel dando dif-  
 crimen ex parte cognitionis  
 præsuppositæ, Appetitus elici-  
 tus est actus productus à po-  
 tentia appetente præsupposi-  
 ta cognitione libera electiva.

Appetitus verò naturalis

Qui sit sine cogniti-  
 one libera ele-

ctiva.

¶

¶

Relatis aliorum sententijs no-  
 stra proponitur, &  
 probatur.

17. **C**ommunis sententia,  
 quam tenet M. Froy-  
 lanus ubi suprâ, duas  
 conclusiones ponit. Prima est  
 quod in homine datur appeti-  
 tus innatus ad Logicam, qui  
 nullam supponit cognitionem.  
 Secunda est, quod in homine  
 datur appetitus elicitus circa  
 Logicam necessarius quoad spe-  
 cificationem. Vtraque conclu-  
 sio fundatur in communi ex-  
 plicatione utriusque appeti-  
 tus, data numero secundo, ce-  
 terum cum impugnata sit à  
 nobis toto præcedenti §. ex  
 principijs P. Augustini D. Tho-  
 mæ, & B. Egidij; nulla ex his  
 assertionibus, nobis probatur,  
 sed ex dictis facilè improba-  
 tur.

Prima conclusio de tali  
 appetitu innato non tenet,  
 quia conclusio non procedit  
 de solo intellectu hominis,  
 sed de tota hominis natura:  
 sed appetitus totius hominis  
 non est ita innatus, ut nullam  
 rei amaræ cognitionem sup-  
 ponat, ut probatum est ex D.  
 Thoma numero 6. ergo appe-  
 titu innato nullam supponen-  
 te cognitionem, homo non

appetit naturaliter Logicam.

Confirmatur: Homo natu-  
 raliter appetens Logicam ap-  
 petit naturaliter scire, quod  
 nescit: sed juxta P. Augusti-  
 num nullus appetit incognita,  
 etiam cum appetit scire, quod  
 nescit: ergo homo appetens  
 Logicam, non appetit appeti-  
 tu, nullam supponente cogni-  
 tionem. Vide verba P. nostri  
 numero 4.

Confirmatur secundo: Ho-  
 mo appetens naturaliter Lo-  
 gicam, eam appetit per vim  
 appetitivam hominis: sed vis  
 appetitiva hominis est specia-  
 lis animæ potentia, ut docet  
 D. Thomas numero 5. lauda-  
 tus: ergo per talem poten-  
 tiam appetit Logicam. At hæc  
 potentia est voluntas, quæ es-  
 sentialiter fertur in objectū co-  
 gnitum: ergo homo per vo-  
 luntatem appetens Logicam,  
 non appetit sine prævia co-  
 gnitione.

18. Secunda conclusio  
 aliorum non tenet juxta prin-  
 cipia data; imò includit im-  
 plicationem. Primò non tenet,  
 quia juxta principia data nu-  
 mero 15. ex Doctore Angeli-  
 co, & Fundamentario, appeti-  
 tus elicitus solum datur circa  
 media: sed appetitus termina-  
 tus ad Logicam, non est appetitus  
 circa media, sed circa finem  
 juxta DD. hujus assertionis;  
 ergo in principijs datis non  
 stat

stat appetitus elicitus circa Logicā. Consequētia tenet, & maj. patet ex dictis, minor verò probatur. Nam D.D. isti defendunt appetitum ad Logicam exi authoritate Aristotelis docentis 1. Metaphysicæ appetitum ad omnes scientias: sed scientiæ juxta Aristotelem non sunt media liberè amata, sed sunt finis, & beatitudo, aut foelicitas naturalis, ut docet lib. 10. Ethic. Ergo Logica non est medium, sed partialis finis amatus, & desideratus.

Confirmatur. Appetitus elicitus est actus liber voluntatis supponens cognitionem liberam electivam: sed appetitus terminatus ad Logicā nō est liber juxta istos D.D. ut patet ex ipsa eorum assertione: ergo appetitus terminatus ad Logicam, non est elicitus. Consequētia tenet, minor est eorum doctrina, & major constat ex dictis numero 15. & 16.

Hinc colligitur implicatio hujus assertionis, si vera sunt dicta §. præcedenti. Nam implicat quod appetitus sit simul liber, & necessarius, istæ enim sunt differentię essentialis oppositæ, sicut rationale, & irrationale, quæ non possunt in uno subjecto adunari: sed ponere appetitum elicitum necessarium, est ponere

appetitum simul liberum, & necessarium: ergo implicato riè ponitur illa assertio. Major cū consequētia tenet, & minore est certa, si vera sūt dicta in antecedētibus, nā appetitus elicitus est actus liber, circa media, & supponens cognitionem liberam electivam: ergo ponere appetitum elicitum necessarium, est ponere appetitum simul liberum, & necessarium.

#### NOSTRA SENTENTIA.

19. **Q**uidquid sit de sententia M. Froylani, quæ probabilissima est ob commune D.D. suffragiū, nostra consequenter ad principia data §. præcedenti, debet in homine distinguere duos appetitus, unum partialem, alterum totalem, & eis sic distinctis; dicimus, quod intellectus appetit Logicam appetitu naturali innato nullam supponente cognitionem; nec est in homine alia pars, aut potentia quæ Logicam appetat. Tota autem hominis natura appetit naturaliter Logicam appetitu supponente cognitionem: ceterum nec pars hominis, nec totus homo appetit Logicam appetitu elicitō. Hæc sententia nostra triplicem assertionem includit; sigillatim probandam, ut clari

riori methodo procedamus.

Dicimus primò, quod intellectus noster appetit Logicam appetitu naturali, non supponente cognitionem; & quod nulla alia pars hominis sic appetit Logicam. Hæc conclusio quoad utramque partem est doctrina communis: & ex dictis probatur, quoad primam sic: Appetitus naturalis innatus ut sic, est inclinatio rei in propriam perfectionem: sed Logica est propria perfectio intellectus, cū sit habitus intellectualis ipsum dirigens, ne erret in suis operationibus: ergo intellectus appetit Logicam appetitu naturali innato ut sic, id est nulla præsupposita cognitione.

Confirmatur ex D. Thoma 1. p. q. 80. art. 1. ad 3. dicente, *Vnaquæque potentia animæ est quædam forma seu natura, & habet naturalem inclinationem in aliquid. Unde unaquæque appetit objectum sibi conveniens naturali appetitu.* Sed intellectus est potentia animæ, & Logica est sibi conveniens, ut ex dicendis constabit: ergo intellectus eam appetit naturali, & innato appetitu, nullam supponente cognitionem.

Confirmatur secundò ex nostro Fundat. Doctore 2. Sententiarum dist. 8. q. 2. art. 5. in resolutione 3. dubij §. Sed

quomodo dicente: *Est enim naturale cuilibet appetitui quod naturaliter tendat in finem, ut gravia naturaliter appetunt esse deorsum, & levia sursum.* Sed finis intellectus est inquirere veritatem medijs instrumentis logicalibus diffiniendi, dividendi, & argumentandi: ergo intellectus naturaliter appetit Logicam, ut gravia, & levia esse sursum, & deorsum, quod appetunt sine præsupposita cognitione.

Confirmatur ex eodem ibidem dicente de voluntate, *Si enim consideratur primo modo, sic enim habet quod tendat in bonum quodam modo naturaliter.* Ex quo sic. Voluntas, ut potentia specialis est animæ, tendit naturaliter in bonum, quod est ejus objectum, & perfectio: ergo intellectus, ut est quædam animæ potentia, tendit naturaliter in verum. At Logica est perfectio intellectus in ordine ad verum: ergo intellectus naturaliter appetit Logicam.

Rursus. Oculus appetit naturaliter videre, auris audire, & idem de alijs potentijs, & partibus hominis: ergo intellectus appetit rectè intelligere. Hoc habet per Logicam directivam actus rationis: ergo naturaliter appetit Logicam. Quod autem iste appetitus naturalis nullam supponat cognitionem,

gnitionem, ultra dicta patet ex eo, quod appetitus intellectus non est animalis, vel totalis, sed est solius partis: at solus appetitus totius supponit cognitionem, ut dictum est à numero 6. ergo intellectus appetit Logicam nulla præsupposita cognitione.

Quod autem nulla alia pars hominis sic appetat Logicam, constat ex dictis. Visus, auditus, & alij sensus; voluntas, cogitativa, & alia potentia hominis, corpus item, imò & anima, excepta parte intellectiva, non perficiuntur per Logicam, nec ipsam respiciunt ut propriam sui perfectionem: at appetitus naturalis solum terminatur ad propriam perfectionem appetentis: ergo in homine nulla pars distincta ab intellectu appetit naturaliter Logicam.

Dicimus secundò, quod *nota hominis natura appetit naturaliter Logicam appetitum supponente cognitionem.* Conclusio ista probatur primò ex Philosopho in principio Metaphysicæ, ubi probat in homine appetitum ad Metaphysicam ex isto principio certo: *Omnis homo naturaliter scire desiderat*: ergo sicut ex illo infertur appetitus ad Metaphysicam, inferri debet appetitus ad Logicam. Patet consequenter, quia sicut Metaphysica est scientia, sic

suo modo Logica, ut infra dicemus: ergo sicut ex appetitu ad scientiam in communi infert Philosophus in homine appetitum ad scientiam in particulari, ut est Metaphysica, eadem illatione sequitur appetitus ad Logicam.

Secundò probatur ex P. Augustino lib. 10. de Trin. ca. 2. *Nullus itaque amat incognita, etiam cum appetit scire quod nescit*: Sed juxta Philosophum, & veritatem homo naturaliter appetit scire quod nescit, & sic appetit scire Logicam: ergo homo appetit Logicam appetitu supponente cognitionem Logicæ desideratæ.

Tertiò probatur ex D. Thoma, qui supra verba citata Aristotelis dicit: *Naturaliter unusquisque desiderat scientiam, sicut materia formam*: sed ly *sicut* parificat solum in naturalitate appetitus, non tamen in exclusione cognitionis præsuppositæ: ergo juxta D. Thomam homo appetit naturaliter Logicam appetitu supponente cognitionem. Consequenter tenet, & minor patet ex D. Th. n. 6. laudato, ubi dicit, quod appetitus totius supponit cognitionem, secus appetitus partis: sed materia est pars, & homo totum: ergo similitudo appetitus materiæ, & hominis, non est quoad cogni-

gnitionem præsuppositam, sed quoad naturalitatem appetitus.

Quartò probatur conclusio ex nostro Doctore lib. 1. Metaphysicæ q. 3. prope finem, ubi quærit quænam sit beatitudo, foelicitas, & finis naturalis, in quem naturaliter tendit appetitus hominis? Et respondet: *Omnes appetunt scire in universali* Idem docet q. 1. 2. & 5. sed ex appetitu naturali ad scire in universali rectè intulit Aristoteles appetitum ad Metaphysicam, quæ est scientia particularis: ergo ex eodem cum Doctore nostro rectè concluditur appetitus naturalis ad Logicam, quæ scientia particularis est, ut dicemus.

Quintò probatur à ratione, sumpta ex nostro Egidio ubi supra. Quælibet natura appetit naturaliter suam perfectionem, beatitudinem, & foelicitatem, ut vidimus ex P. Augustino numero 1. & ex Philosopho & Egidio ubi proximè: sed logica est perfectio intellectus, & pars beatitudinis, & foelicitatis naturalis hominis: ergo natura humana naturaliter appetit &c. Consequenter tenet, major est certa, & minor probatur. Nam juxta nostrum Doctorem Beatitudo naturalis est *scire in universali*, hoc est, est omnis scientia: at

Logica scientia est, ut ex ipso infra probabimus: ergo.

Iam vero quod appetitus iste supponat cognitionem, patet primò ex autoritate allegata P. Augustini, quæ expressa est. Secundò ex dictis de mente D. Thomæ numero 6. rursus ex nostro Egidio numero 15. laudato: & tandem, quia est appetitus non partis, sed totius; & præcedenti satis ostensum est, talem appetitum supponere cognitionem.

21. Dicimus tertio, quod *nec pars hominis, nec totus homo appetit logicam appetitum elicitum.* Hæc conclusio, ut sonat, est contra communem aliorum sententiam; in re tamen est conformis ad communem doctrinam, ut infra dicemus. Probatur, ut sonat, ex dictis numero 18. ubi ex nostro Egidio, & D. Thoma ostensum est, quod appetitus elicitus est actus liber voluntatis circa media, & supponit cognitionem deliberativam: sed Logica non appetitur ut medium, nec liberè, nec præsupponitur cognitio libera electiva, sed necessaria, qualis est cognitio finis, ut dictum est ibi: ergo homo non appetit appetitu elicitum Logicam. Iam verò de partibus hominis est clarior probatio. Quia solus appetitus animalis vel totius

viventis, est actus elicitus à potentia appetente, ut ostensum est numero 5. & 6. ex D. Thoma. Partes vero appetunt modo, quo inanimata; & hæc appetunt inclinatione, & pondere suarum entitatum, non autem habent specialem potentiam appetitivam, cujus actus sit appetitus eorum. Ergo partes hominis non appetunt Logicam appetitu elicitio.

Dicimus secundò, quòd hæc conclusio in re est conformis communi doctrinæ. Quia omnes DD. concedunt in homine appetitum, qui sit actus voluntatis terminatus ad Logicam, & supponit cognitionem, & hunc vocant appetitum elicitum: at nostra secunda conclusio defendit talem appetitum in homine ad Logicam, ut patet: ergo cum hæc tertia conclusio nostra non sit in re contra nostram conclusionem secundam; in re non est contra mentem DD. aliorum. Sonat tamè contra, quia quod ipsi vocant appetitum elicitum, nos vocamus naturalem innatum totius: & quod nos vocamus appetitum elicitum, ipsi vocant appetitum plenè liberum, & circa media. At nullus Doctor dicit hominem liberè appetere Logicam, nec ut medium: ergo quo sensu nega-

tur à nobis appetitus elicitus; eodem negatur ab alijs: quare in re non adversamur communi sententiæ.

## §. III.

*Solvantur argumenta.*

22. **A**rgues contra primam conclusionem. Ideò per nos intellectus appetit naturaliter Logicam; quia quælibet potentia naturaliter appetit suam perfectionem: sed hæc ratio non probat efficaciter de Logica: ergo stando rationibus probativis prima conclusio nostra non subsistit. Probatur minor: licet actus erroneus sit perfectio intellectus, & actus peccaminosus sit perfectio voluntatis, non sequitur, quòd intellectus appetens suam perfectionem, appetat actum erroneum; & idem de voluntate: ergo licet intellectus appetat naturaliter suam perfectionem, inde non probatur efficaciter, quòd appetat Logicam.

Respondeo concessa majori, negando minorem, ad probationem nego-suppositum antecedentis, supponitur enim, quòd actus erroneus sit perfectio intellectus, & actus peccati perfectio voluntatis: hoc enim

enim falsum est, cum potius sint defectus utriusque potentia, & imperfectio ejus. Quare licet utraque potentia appetat suam perfectionem, non sequitur, quòd appetat tales actus; imò sequitur, quòd abhorreat: unde tales dicuntur contra inclinationem talis potentia. At Logica perfectio est intellectus, quare ex appetitu intellectus ad suam perfectionem optimè sequitur appetitus ad Logicam.

23. Sed replicabis: actus erroris est perfectio intellectus, & actus peccati perfectio voluntatis: ergo tenet suppositum à nobis negatum. Probatur antecedens. Primò, quia uterque actus est exercitium suæ potentia, & ultima actualitas ejus: sed perfectio potentia stat in suo exercitio, & ultima actualitate: ergo actus &c. Secundò, quòd actuat potentiam physicè, illam perficit; cum omnis perfectio sumatur ab actu: at actus erroris actuat physicè potentiam intellectivam; & actus peccati voluntatem: ergo sunt perfectio utriusque. Tertio Deus non potest causare nisi id quòd est perfectio: sed Deus causat per modum causæ primæ actus erroris, & peccati: ergo perfectiones sunt. At non sunt perfectiones respectu Dei, cum Deum non per-

ficiant: ergo sunt perfectiones respectu intellectus, & voluntatis.

Respondeo ad replicam negando antecedens: ad primam ejus probationem disting. maj. uterque actus est exercitium suæ potentia, exercitium defectuosum, concedo majorem: exercitium non defectuosum, sed rectum, nego major. & disting. minor. perfectio potentia stat in suo exercitio, in suo exercitio defectuoso, nego minor. in exercitio recto, & non defectuoso, concedo min. & nego consequentiam: sicut potentia locutiva appetit locutionem, sed non locutionem defectuosam; & potentia progressiva, petit naturaliter progredi, & moveri, non autem claudicare, quia claudicatio, & locutio defectuosa sunt exercitia mixta cum defectu, qui non juxta, sed contra inclinationem naturalem est suarum potentiarum: ita error, & actus peccati, exercitia sunt, sed defectuosa, contra naturalem inclinationem, non juxta eam. Quare non sunt perfectiones, sed imperfectiones suarum potentiarum.

Ad secundam probationem antecedentis dist. major. Quòd actuat, & purè actuat, concedo major. quòd actuat, & simul imperficit, subdist. perfi-

perficit purè, nego major. perficit, & simul imperficit, concedo major. & disting. minor. actus erroris &c. actuat imperficiendo, concedo min. actuat, & purè actuat, nego min. & consequentiam. Duo habet intellectus, scilicet est potètia vitalis, & simul perceptiva veritatis. Per actum erroris physicè vivit, sed non tangit veritatē, imò decipitur. Quare error perficit intellectum, ut vitalem, sed imperficit ut intellectivum veritatis & cum appetitus ejus sit ad actum qui sit perfectio ejus utroque modo; idè error non est absolutè perfectio intellectus, sed mixtum ex perfectione & imperfectione. Imò magis habet de imperfectione, quia offendit vim intellectivam veritatis, quæ potior est in intellectu, quàm sit ratio potentia vitalis. Idem applica voluntati, quæ est potentia vitalis, & simul appetitiva boni.

24. Ad tertiam probationem anteced. dist. maj. Deus non potest causare nisi id quod est perfectio, ut causatur à Deo, concedo major, nisi id quod est perfectio in se, nego major. & disting. minor. causat actum erroris, & peccati, secundum id quod est perfectionis, concedo min. secundum totum quod est in erro-

re, & actu peccati, nego min. & dist. con. sequens: ergo sunt perfectiones, mixtæ cum imperfectione, concedo consequentiam; non mixtæ, nego consequentiam: & concessa min. subsumpta, dist. consequens, ergo sunt perfectiones respectu intellectus, & voluntatis, sunt perfectiones mixtæ cum majori imperfectione, concedo consequentiam; non mixtæ, nego consequentiam.

Deus est universalis causa, quæ cum creaturis efficit omnes actiones, & effectus earum. Ceterum quia sunt aliquæ actiones mixtæ cum defectu, ut error, & peccatū; Divina causalitas producit quidquid perfectionis est in eis, & non producit imperfectionē. Hoc explicatur in tibia claudicante, cujus motus est ab anima. Claudicatio motus est, sed imperfectus: quare anima, quæ solum causat perfectionem, causat motum, sed non defectum; quare motus tribuitur animæ, & defectus tibiæ curvæ. Sic in actu peccati est perfectio actus, & imperfectio peccati. Deus solum causat perfectionem, non formale peccati, quod est imperfectio; hæc enim ex sola voluntate defectuosa nascitur. Ceterum licet actio Dei unū tangat sine alio, quia est præ-

cisiva; non sequitur, quòd intellectus aut voluntas possint tales actus appetere quoad perfectionem, relicta imperfectione. Quia appetitus utriusque potentia non est præcisivus, sed fertur in totum. Atqui totum plus habet de imperfectione, quàm de perfectione: ergo &c.

25. Argues secundò contra primam cõclusionem: intellectus per suam formam solum appetit naturaliter id quod est perfectio ejus; non autem id, quod est perfectio totius hominis: sed Logica non est perfectio solius intellectus, sed totius hominis: ergo intellectus, ut potentia hominis est, non appetit &c. Major patet ex nostra doctrina. Minor probatur. Logica solum est perfectio intellectus, quatenus est directiva operationum intellectualium, ne evadant erroneæ: at intellectus secundum suam naturam, si consideretur separatus ab homine, non eget tali directione: ergo Logica &c. Probatur hæc minor. Intellectus solum indiget Logica, quatenus est potentialis, & intelligit per species acceptas à rebus: sed intellectus separatus ab homine non intelligit per tales species, sed modo angelico per species infusas: ergo &c.

Confirmatur: iuxta no-

strum Ægidium in Prologo ad artem veterem, Logica non est Angelis necessaria, nec Deo; quare nec intellectus Dei, nec Angelorum, habet Logicam, nec illa perficitur. Hujus ratio juxta nostrum Doctorem est. Quia Deus nullam habet potentialitatem in cognoscendo, & sic est incapax errandi, cum omnis error veniat ex potentialitate, Deus autem est actualissimus intelligens. Angeli potentiales in intelligendo, intelligunt per species infusas, & idè non egent Logica ad vitandum errorem. At intellectus noster, si consideretur separatus, intelligit modo angelico per species infusas: ergo non eget Logica, nec est perfectio ejus secundum se: ergo non appetit illam intellectus secundum se.

26. Respondeo primò instando in alijs scientijs, quæ eodem argumento urgente, non erunt perfectiones intellectus secundum se. Nam juxta argumentum, intellectus noster secundum se intelligit modo angelico: at Angeli sicut non habent species acquisitas, sed infusas, sic non habent scientias acquisitas, sed infusas à Deo: ergo intellectus noster secundum se, non perficitur Metaphysica, & alijs scientijs: ergo nec secundum se



se illas appetit appetitu partiali innato.

Directè respondeo ad argumentum neg. minor. ad probationem ejus concessa maj. dist. min. intellectus separatus non eget directione Logicæ, intellectus noster ratione suæ naturæ, nego min. ratione status separationis, concedo min. & nego consequentiam. Ad ultimam probationem minoris concessa maj. dist. min. Intellectus noster separatus non intelligit per species acceptas à rebus, non intelligit sic ratione suæ naturæ, nego minor. ratione status separationis, concedo minor. & nego consequentiã sub eadem distinctione.

Anima D. Petri separata à corpore, non intelligit per species acceptas à rebus. Ratio est, quia species istæ recipiuntur per sensus visus, gustus, auditus &c. unde nostra cognitio, teste Aristotele, incipit à sensibus. Cùm anima separata non habeat oculos, aures, & organa sensuum corporea, non potest intelligere per species acceptas à rebus, sed modo angelico per species infusas à Deo. At hoc non convenit animæ & intellectui nostro per suam naturam, quia eorum natura est uniri corpori, & sic intelligere, sed convenit eis ratione status

separationis: ergo attempta natura nostri intellectus, intelligere debet per species acceptas à sensibilibus, & modo humano non angelico. Atqui appetitus naturalis non convenit rebus ratione status accidentalis, sed connaturalis: ergo si non est intellectui nostro connaturale intelligere modo angelico, sed humano, & ut sic pendet à Logica perfectiōte; sequitur quod in intellectu sit appetitus naturalis ad Logicam.

Ad confirmationē concessa majori, & doctrina in ea data, dist. min. ut supra, & nego consequentiam. Appetitus naturalis terminatur ad perfectionem naturaliter convenientem, & connaturalem appetenti. At noster intellectus in suo statu connaturali consideratus intelligit modo humano, & dependenter à Logica dirigente: ergo licet separatus à corpore, non eget Logica, nil probatur contra nos; quia status separationis non est naturalis animæ aut intellectui.

27. Replicabis contra istam solutionem. Appetitus naturalis innatus in omni statu debet rei convenire: at in statu separationis animæ non convenit per nos intellectui appetitus ad Logicam; cùm in eo statu non indigeat ejus

directione: ergo in intellectu, non est appetitus innatus ad Logicam. Probatur maj. Appetitus ille est indistinctus ab entitate rei appetentis: sed entitas intellectus manet in statu separationis: ergo.

Respondeo concessa maj. negando minorē. Nostra solutio concessit, quod intellectus noster separatus non indiget Logica in eo statu; sed non concedimus, quod in eo statu non appetat Logicā. Appetit quidē in eo statu, sed non pro eo statu, sed pro statu unionis, quam desiderat. Animæ enim separatae inest quoddam desiderium administrandi corpus, ut ait P. Augustinus: id est appetit anima separata reuniri corpori, & illud administrare: quare adhuc separata appetit Logicam, non sibi necessariam dum separata est, sed necessariam, dum denuo reunita sit. Vnde in omni statu sit anima, conservat naturalem appetitum Logicæ.

28. Argues tertio contra secundam conclusionem. Appetitus innatus naturalis nullam supponit cognitionē: at nos concedimus in homine appetitū innatum ad Logicam ergo perperam dicimus talem supponere cognitionem. Minor cum consequentia tenet, & major multis probatur. Primo sic. Appetitus innatus di-

stinguitur ab elicito: sed distinctio stat in eo, quod iste, non ille, supponit cognitionem: ergo &c. Secundo probatur maj. Appetitus innatus est propensio in propriam perfectionem, data à Creatore: sed ut creatura recipiat talem propensionem à Creatore, non indiget cognitione præsupposita: ergo &c. Probatur hæc minor. Hæc propensio est indistincta ab entitate creaturæ: sed, ut creatura recipiat suam entitatem, non indiget cognitione præsupposita, ut patet: ergo nec ad recipiendam illam propensionem.

Tertio probatur eadem major principalis: Propensio intellectus in Logicam, nullam supponit cognitionem, ut dicitur in prima conclusione: at illa est appetitus innatus entis intellectivi: ergo appetitus innatus adhuc in entibus cognoscitivis, nullam supponit cognitionem. Quarto. Appetitus supponens cognitionem, est actus elicitus à potentia speciali animæ: sed appetitus innatus non est actus elicitus à potentia speciali, sed est pondus naturæ, vel entitatis appetentis: ergo appetitus innatus nullam supponit cognitionem.

29. Confirmatur primo; vel appetitus totius hominis supponit cognitionem;



quia est appetitus totius; vel quia est appetitus entis cognoscitivi: sed neutra ratio probat debere supponere cognitionem: ergo appetitus hominis ad Logicam nullam supponit cognitionem. Probatur minor quoad utramque partem; & quoad primam sic. Appetitus ignis ad locum sursum, est appetitus totius: & tamen nullam in igne supponit cognitionem: ergo licet appetitus hominis sit appetitus totius, nullam idem debet supponere cognitionem. Quoad secundam partem probatur sic. Appetitus intellectus est appetitus entis cognoscitivi: & tamen per nos appetit Logicam sine præsupposita cognitione: ergo licet homo sit ens cognoscitivum, non idem ejus appetitus debet supponere cognitionem.

Confirmatur secundò. Appetitus innatus debet reperiri in omnibus ejusdem naturæ: sed si supponeret cognitionem, non reperiretur in hominibus omnibus: ergo quia appetitus innatus hominis, si innatus est, non supponit cognitionem. Probatur minor: Cognitione Logicæ non reperitur in omnibus hominibus: ergo si appetitus ad Logicam supponeret &c.

Confirmatur tertio. Appetitus innatus non acquiri-

tur viribus, & activitate appetentis, sed recipitur à Creatore: at si supponeret cognitionem, acquireretur viribus appetentis: ergo appetitus innatus in nullo supponit cognitionem. Major patet, quia appetitus innatus est ipsa entitas appetentis, at nulla creatura suis viribus acquirit suum esse, cum nemo possit esse causa sui ipsius. Minor autem probatur. Quia si appetitus supponeret cognitionem, acquireretur media cognitione: sed cognitio nostra est à nostris viribus, quia est actus quo vivimus, & sic est à nobis, & in nobis: ergo.

Confirmatur quartò. Appetitus innatus datur in omni tempore, quo datur entitas appetentis, ad quam sequitur: sed hoc foret falsum, si supponeret cognitionem: ergo in nullo eam supponit. Major patet, cum appetitus nil sit, nisi entitas rei appetentis. Minor probatur. Entitas hominis datur ab instanti conceptionis usque ad mortem: at cognitio Logicæ non datur ab instanti conceptionis, imò in aliquibus non datur adhuc semel in tota vita: ergo in eis non daretur appetitus omni tempore, quo datur natura eorum.

Tandem. Entitas totalis ignis, nulla præsupposita cog-

gnitione, propendet in suam perfectionem: ergo & entitas hominis nulla præsupposita cognitione propendet in Logicam. Patet consequentia, quia non est minus ponderosa entitas hominis, quam natura ignis: ergo si illa sine cognitione præsupposita propendet in suam perfectionem, etiam natura hominis. At hæc propensio est appetitus naturalis innatus: ergo in nullo appetitus ille supponit cognitionem.

30. Hæc fusius apponimus, ne insolitam calcantes viam, aliquid, quod offendat, inveniatur: & ut ex eorum solutione magis roboretur secunda conclusio nostra; respondeo ergo ad argumentum distinct. maj. Appetitus innatus nullam supponit cognitionem, in entibus non cognoscitivis, concedo maj. in cognoscitivis, subdist. si sit appetitus totalis, vel animalis, nego maj. si sit *partialis*, concedo maj. & concessa minori, nego consequentiam. Distinctio ista conflat ex dictis toto §. 4. & ex ibi probatis dicimus, quod appetitus partialis nunquam supponit cognitionem adhuc in intellectu, qui est ens cognoscitivum quare sine prævia cognitione appetit scire: & sine prævia cognitione sensitiva oculus appetit videre, auris audire &c. Appetitus autem totalis

in cognoscitivis, ut in Angelis homine, & brutis, supponit cognitionem intellectivam, vel sensitivam: unde ut canis appetat panem, debet prius illum videre, aut olfacere, ut sic cognito per sensus, illum appetat.

Nec contra hoc urgent probationes majoris. Ad primam concedo maj. & nego minorem. Concedimus, quod appetitus innatus, & elicitus distinguuntur: at non quoad supponere cognitionem, quia distinctio hæc solum valet in appetitu innato partiali, & non cognoscentium relatè ad appetitum elicitedum: non autem valet in entibus cognoscitivis, quare pro eis alia distinctio est inter utrumque appetitum, & illam dedimus ex D. Thoma, & nostro Ægidio numero 15. & 16.

Ad secundam probationem distinct. maj. Appetitus innatus est propensio data à Creatore; appetitus inanimatorum, concedo maj. appetitus animatorum, subdist. est sola propensio, nego maj. est propensio, & simul actus elicitedus à speciali potentia anime supponens cognitionem, concedo maj. & concessa minori nego consequentiam. Hæc replica nullum agnoscit discrimen inter animata, & inanimata; quare sicut non potest

nit in cognoscitivis actum specialem, qui sit appetitus, ita non ponit in eis potetiam specialem, quæ sit vis appetitiva: at hoc est contra D. Thomam, qui 1. p. q. 80. art. 1. illam probat ex professo, ut vidimus numero 4. ergo ex eodem S. Doctore tenendum est, quod licet in non cognoscitivis appetitus innatus sit sola propensio data à Creatore, secus in cognoscitivis.

Ad tertiam probationem concessa maj. dist. min. appetitus intellectus est appetitus entis cognoscitivi *partialis*, concedo min. entis cognoscitivi totalis; nego min. & consequentiam. Quia appetitus hominis est appetitus entis cognoscitivi totalis; hic, & non partialis, petit cognitionem, ut dictum est supra ex D. Thoma, & Cayetano numero 6. Nota, quod anima separata à corpore appetit per voluntatem supponendo cognitionem. Hoc idè est, quia licet sit pars, est tamen quasi totum; & idè vocatur *semisuppositum*, vel *quasi suppositum*: quia licet subsistere non conveniat partibus, sed toti: at anima separata subsistit; & idè est quasi totum tum in subsistendo, tum in appetendo.

Ad quartam probationem concessa maj. dist. min. in en-

tibus non cognoscitivis, concedo min. in cognoscitivis nego min. & consequentiam. Vide dicta in solutione secundæ probationis.

31. Ad primam confirmationem dic, quod propter utramque rationem simul, & non divisivè: quare dist. min. sed neutra ratio probat; neutra divisivè, concedo min. neutra copulativè, & collectivè; nego min. & consequentiam. Probationes minoris non sunt contra nos, quia probant quod in homine nec ex sola ratione totius, nec ex sola ratione entis cognoscitivi, debet supponere cognitionem, ut appetat; & hoc est verum. At non est contra nos, qui probamus petere cognitionem ex utraque ratione simul, scilicet quia est appetitus totius cognoscitivi.

Ad confirmationem concessa majori, nego min. ad probationem disting. antecedens: cognitio Logicæ non reperitur in omnibus hominibus, cognitio particularis, & clara, concedo min. cognitio confusa, & in communi, nego antecedens, & consequentiam. Plures sunt homines qui nesciunt, an sit Logica, & quid sit; quare carent duplici cognitione, una est Logicæ *quoad an est*; altera Logicæ *quoad quid est*: Vtraque est parti-

cularis, ceterum hæc particularis cognitio non requiritur ad appetendum Logicæ. Constat hoc ex autoritate P. Augustini adducta numero 4. dicentis: *Nullus itaque amat incognita, etiam cum appetit scire quod nescit: aut enim jam genere notum habet quod amat, idque nosse experit in re singulari &c.* Ecce sufficit ad appetendum scientiam in singulari cognitio confusa scientiæ in genere. Quare ad appetendum in particulari Logicam non est necessaria præcedens cognitio particularis Logicæ, sed scientiæ in genere: unde sufficit pro tali appetitu cognoscere, quod *scire* est bonum hominis.

Atqui nullus est homo qui non cognoscat, quod scire est ei bonum; cuius signum est, quod nullus est qui non gaudeat, & gloriatur de eo quod aliquid scit: ergo nullus est, qui non habeat sufficientem cognitionem, ut naturaliter appetat Logicam. Et quidem Philosophus infert in omni homine appetitum ad Metaphysicam in particulari ex eo, quod omnis homo appetit scire in communi: ergo etiam ex cognitione scientiæ in communi, aut de eo quod *scire* est bonum, & perfectio hominis, sequitur appetitus naturalis ad Logicam in par-

ticulari.

32. Sed dices: Nulla res appetitur, nisi modo quo cognoscitur, aliàs voluntas ferretur in incognitum: ergo si solum cognoscitur scire in communi, ut bonum appetenti, & non cognoscitur Logica in particulari, nullus erit qui appetat Logicam, sed solum scire in communi. Respondeo negando antecedens, quia est contra P. Augustinum, laudatum, qui ponit nos desiderare scire in singulari quæ solum præcognoscimus in communi, aut in genere. Secundò, quia si ad desiderandum scientiam in particulari debet præcedere cognitio scientiæ in particulari: ergo debet præcedere cognitio qua scientia acquiritur: ergo dabitur acquisitio scientiæ ante appetitum. At appetitus de re possessa est appetitus gaudij, non desiderij: ergo nullus appetere poterit scientiam appetitu desiderij, quod est contra Phum. P. Augustinum, & veritatem. Nec ex nostra sententia sequitur, quod voluntas feratur in incognitum: feratur enim in cognitum confusè, & in genere, quod sufficit pro naturali appetitu voluntatis operantis, ut natura est.

33. Ad tertiam confirmationem dist. maj. in non cognoscitivis concedo major. in cognosc-

gnoscitivis, concedo maj. in cognoscitivis, subdistinguo, nō acquiritur viribus naturæ appetitus innatus, adæquatè sumptus, concedo maj. inadæquatè acceptus, nego maj. & concessa min. sub eadem dist. nego consequentiam. Ad probationem maj. dist. maj. in non cognoscitivis, concedo, in cognoscitivis, nego maj.

Appetitus innatus inanimatorum est pura natura eorum, quæ sicut datur à Creatore, sic non acquiritur viribus appetentis. At in cognoscitivis appetitus non est sola entitas, & propensio naturæ, sed hæc, & simul actus potentia specialis animæ, supponēs cognitionem. Quare totus iste appetitus partes duas habet, unam datam à Creatore, & hæc est propensio in propriam perfectionem, non acquisibilis viribus appetentis; alteram, actus ille potentia appetentis, & cognitio præsupposita, & hæc acquiruntur proprijs viribus. Quare licet adæquatè quoad omnes partes appetitus hominis innatus nō acquiratur viribus, inadæquatè acquisibilis est. Quare ultra distinctiones datas numero 15. inter utrumque appetitū hominis, istam adde, scilicet quod appetitus elicited plene & adæquatè acquiritur nostris viribus; sed innatus solum

partim, & inadæquatè.

Ad quartam confirmationem dist. maj. In non cognoscitivis, cōcedo maj. in cognoscitivis, subdist. datur adæquatè, nego maj. inadæquatè, concedo maj. & nego min. sub distinctione data. Ad probationem min. concessis præmissis dist. consequens data distinctione. Cū appetitus inanimatorum adæquatè sumptus detur à Creatore cum entitate, & natura; idē appetitus in illis existit omni tempore quo natura. Ceterū in cognoscitivis solum inadæquatè existit ab instanti conceptionis illa pars appetitus data à Creatore: hæc est appetitus inadæquatè, & incompletè: completur autem adveniente usu rationis, dum cognoscitur quod scire in communi est bonum naturæ humanæ. Nec est imperfectio, quod inanimata habeant ab instanti conceptionis adæquatam & completam suam appetitum, secus homines; imò hæc est perfectio hominis, ut ejus appetitus supponat cognitionem, & expectet maturum tempus, ut rationaliter appetat, non modo lapideo, ut supra dicebat N. Gyardi.

Ad ultimam confirmationē concedo totam enthymema, cum sua probatione.

Et

Et dist. min. subsumptam. Hæc propensio est appetitus innatus, in non cognoscitivis, concedo min. in cognoscitivis, subdist. est appetitus adæquatè, nego, inadæquatè, concedo min. & nego consequentiam: sicut entitas ignis propendet in centrum, sic hominis natura in Logicam. At propensio ista sufficit pro totali constitutivo appetitus ignis, sed non hominis; eō quod sicut natura hominis non est sola entitas, ut in igne, sed est entitas intellectualis, ita ejus appetitus non est sola entitas, aut natura in esse entitativo, sed natura in esse intelligibili. Quare plura petit appetitus hominis, quàm ignis, ut dictum est.

34. Argues quartò contra secundam conclusionem: Ex appetitu innato ad scire in communi, non sequitur appetitus innatus ad Logicam, quæ est scire in particulari: ergo ratio nostra probativa non tenet. Antecedens probatur primò, quia à superiori ad inferius affirmativè nō tenet consequentia: sed scire in communi est superius ad scire in particulari: ergo &c. Secundò probatur antecedens. Ex appetitu ad bonum in communi non sequitur appetitus ad bonum in particulari, quale est bonum apparatus: ergo

&c. Probatur antecedens. Appetitus ad bonum in communi est naturalis, & datus ab authore naturæ: sed Deus Author naturæ nequit dare inclinationem ad bonum appetens: ergo. Tertio probatur idem antecedens. Ex appetitu ad bonum in communi non sequitur appetitus ad bonum supernaturale, quod est bonum particulare: ergo ex appetitu ad scire &c. Probatur antecedens, appetitus innatus solum terminatur ad bonum naturale proportionatum naturaliter appetenti: at bonum supernaturale non est proportionatum naturaliter homini, sed supra naturam ejus: ergo.

35. Respondeo ad argumentum notando cum D. Thoma, & Doctore nostro, quod hæc propositio Philosophi, *Omnis homo naturaliter scire desiderat* est doctrinalis, quare *ly scire* supponit *distributivè* non autem *confusè*: & sic sensus est, *homo desiderat omnes scientias*: sed ex ista propositione bene infertur, *ergo homo desiderat Logicam*: ergo illatio bona est. Probatur min. quia arguitur à subalternante ad subalternatam, quæ est bona consequentia, ut hæc *omnis homo est animal*: ergo *Petrus est animal*: ergo hæc etiam est bona: *homo desiderat omnes scientias*: ergo *desiderat*

*Logicam*, quia est subalternata illius. In forma ad argumentum nego antecedens: ad primam probationem concessa maj. dist. min. *scire* ut supponit confusè, & est veluti genus ad scientias, concedo min. *scire* sumptum *distributi-ve*, nego min. & consequentiam, quia nostra illatio non est à superiori ad inferius, sed à subalternante ad subalternatum. Et instatur argumentum in *Metaphysica*, quæ est scientia particularis: & eodem modo, ac nos, probat Philosophus in homine appetitum ad eam ex appetitu ad scire in universali.

Ad secundam & tertiam probationem respondetur eadem doctrina, notando, quod homo non appetit bonum in communi, prout abstrahit à vero, & apparenti, à naturali, & supernaturali. Ratio est, quia ratio communis solum movet, quatenus particularia, sub ea contenta, movent appetitum: atqui bonum apparetur est contra naturam rationalem, & bonum supernaturale est supra naturam, & ideo non movent appetitum naturalem humanum: ergo nec bonum *ut sic* quatenus est commune vero, & apparenti, naturali, & supernaturali. Solum ergo movet appetitum nostrum bonum verum; & na-

turale in communi: atqui sub ista ratione communi non continetur bonum apparetur, nec bonum supernaturale: ergo ex appetitu naturali hominis ad bonum in communi non infertur appetitus ad bonum apparetur, & ad supernaturale. Ceterum cum *Logica* contineatur intra *scire* in universali, quod appetit homo, bene infertur ex appetitu ad *scire* in universali appetitus ad *Logicam*; non autem infertur appetitus ad scientias supernaturales, aut apparetur, & hoc solum probat argumentum.

In forma respondeo ad secundam probationem antecedentis concedendo antecedens, & negando consequentiam propter disparitatem, jam datam. Ad tertiam probationem antecedentis concessio antecedenti nego consequentiam ob eandem disparitatem, jam datam.

36. Argues quintò contra secundam conclusionem: Appetitus innatus naturæ datur in omnibus habentibus eandem naturam: sed appetitus *Logicæ* non datur in omnibus hominibus: ergo non est innatus. Probat minor. Primò quia quod naturaliter appetitur, non potest odio haberi: at plures odio habent *Logicam*, ut docet experientia: ergo quia appetitus *Logicæ* non datur

datur in omnibus. Secundò si omnes appeterent *Logicam*, qui non allequerentur illam, essent violenti; patet hoc in lapide appetente centrum, qui dum non assequitur illud, est violentus: sed nullam pati violentiam carendo *Logica*, testantur rustici in campis, nautæ in mari, & in urbibus cives: ergo appetitus *Logicæ* non datur in omnibus. Tertio licet centrum sit perfectio gravium, non omne grave appetit centrum, ut patet in viventibus: ergo licet *Logica* sit perfectio hominum, tamen non omnis homo appetit *Logicam*. Quarto: Si omnes homines appeterent *Logicam*, appetitus frustraretur in eis, qui non assequuntur; patet hoc, quia tunc frustratur appetitus, quando non assequitur suum terminum: sed appetitus naturalis nequit frustrari; cum detur à Deo, & à natura, qui nihil faciunt frustrare: ergo appetitus ad *Logicam* non datur in omnibus.

Confirmatur primò: Si in homine daretur appetitus innatus ad *Logicam*, homo non indigeret habitu superaddito intellectui ad cognoscendas veritates *Logicæ*: at hoc est falsum, ut patet in ipsa *Logica*, quæ est habitus additus intellectui, ipsum adjuvans ad cognitionem verita-

tum *Logicalium*: ergo in homine non datur appetitus &c. Probat major. Quia lapis naturaliter appetit centrum, non eget habitu, ut descendat in centrum: ergo &c.

Confirmatur secundò: Implicat appetitus innatus ad terminum naturaliter impossibilem: sed appetitus hominis ad omnes scientias, est ad terminum naturaliter impossibilem: ergo appetitus ad omnes scientias, non est appetitus innatus. Minor probatur ex illo axioma Avicennæ, *Ars longa, vita brevis*, quod dictum de Medicina sola, denotat non sufficere vitam hominis pro sola Medicina: ergo quia intenta hac brevitate, est naturaliter impossibile acquirere omnes scientias.

Respondetur ad argumentum concessa maj. negando min. ad primam probationem ejus dist. maj. Quod naturaliter appetitur, non potest odio haberi, ratione sui, & intrinsecè, concedo maj. ratione alicujus extrinseci, nego maj. & dist. minorem, plures odio habent *Logicam*, ratione sui, nego min. ratione laboris aut alicujus extrinseci, concedo min. & nego consequentiam. Nihil à nobis certius appetitur naturaliter, quam vita, & tamen plures odio habent vitam suam, ut

patet in desperatis, qui in se ipsos crudeliores, a quibus se præfocant, flammis se donant, præcipitio se collidunt, & pereunt. Hoc evenit, non quia vira est eis odiosa ratione sui, sed ratione laboris adjuncti. Sic tales fuerunt contra Apostolum Paulum persecutiones, ut taderet ipsum vivere. Idem evenit in Logica, quæ ratione laboris adjuncti, vel quia impedit alia, quibus homo, vel indiget, vel affectus est, odio habetur. At in Logica nihil est remorans appetitum naturalem hominis.

Ad secundam probationem nego majorem. Violentia enim tota est à principio extrinseco, ut dicemus lib. 1. Philosophiæ: nullus ergo homo pure impeditur ab extrinseco, ne Logicam addiscat, sed ab intrinseco, quia non vult, vel quia non se applicat propter laborem, & difficultatem; & sic nemo violentatur. Sic licet peccatum sit contra naturam rationalem, non tamen est quid violentum, quia nascitur à principio intrinseco, scilicet à voluntate se determinate ad peccandum. His adde quod homines alij sunt dociles alij rudiores. Dociles non violentantur cum possint, & nolint Logicam addiscere. Rudiores enim patiuntur violentiam, quia ob difficultatem, quam Phi-

losophus 5. Politicorum cap: ultimo vocat impossibilitatem, minus appetunt Logicam; & sic non patiuntur violentiam.

Ad tertiam probationem concesso antecedenti, nego consequentiam, ratio est, quia in viventibus est duplex inclinatio, una ad conservandam vitam, & hæc superior; altera ad centrum, & hæc est inferior; & cum vita non possit conservari intra centrum, tunc cedit inclinatio inferior superiori. Hoc modo aqua contra inclinationem suæ gravitatis sursum ascendit per fistulam: hoc ideo quia cedit inclinationi inferiori superiori inclinationi, quam habet vitandi vacuum in universo. Logica autem non est perfectio opposita inclinationi superiori hominis: quare paritas non tenet quoad hoc.

Ad quartam probationem nego maj. ad probationem imbibitam, dist. eam. Tunc frustratur appetitus, quando non consequitur suum terminum, in omnibus, concedo; in aliquibus subdist. quod in aliquibus non consequitur, quando oportet, concedo; quando non oportet, nego. Dicimus quod sufficit quod aliqui sint Logici, ut appetitus naturæ humanæ non frustratur. Et licet in alijs non consequatur terminum, non frustratur in  
cis,

eis, quia non oportet omnes esse Logicos. Sic licet in Christo Dño fuerit potentia generativa non reducta ad actum, frustranea non fuit, quia oportebat eam habere, ut perfectionem haberet natura: sed non oportebat eam ad actum reducere, sed potius Christum nobis dare exemplum virginitatis, quam è coelo delapsam suo sacratissimo adduxit adventu.

Ad primam confirmationem dist. maj. Si appetitus ad Logicam esset completus, concedo; si sit incompletus, nego maj. ad ejus probationem dist. antecedens, quia præcisè, nego antecedens, quia appetitus lapidis est completus ad centrum, concedo antecedens, & nego consequentiam. Lapis non est indifferens ad tendendum in centrum, vel non tendendum, sed determinatus ut tendat: quare ejus appetitus completus nec indiget habitu determinante, & adjuvante. Ceterum homo sic appetit Logicam, ut indifferens sit ad addiscendum, vel non: quare ejus appetitus est incompletus, & indiget habitu determinante, & adjuvante. Sic licet homo non egeat habitu ut tendat in bonum appetendum in communi, eget habitibus, ut tendat in bona particularia, & isti

sunt virtutes: hoc propter rationem datam.

Ad secundam confirmationem respōdeo primò, quod appetitus hominis est ad omnes scientias quoad substantiam, hoc est quoad aliquam conclusionem, hoc modo non sunt homini impossibiles omnes; quia non est impossibile humanæ vitæ scire unam conclusionem ex qualibet scientia. Vel dic quod omnes scientiæ *collectivè* sunt homini impossibiles, & ad eas sic non est appetitus naturalis, at scientiæ omnes *divisivè* sunt homini possibiles, hoc est hæc, vel illa, ita ut nulla sit, quæ impossibilis sit homini; & ad eas sic *divisivè* terminatur appetitus hominis. Vel dic, quod respectu unius hominis sunt omnes impossibiles simul, at non respectu naturæ humanæ in omnibus individuis: hoc sufficit, ut appetitus naturæ terminetur ad terminum possibilem; non possibilem uni individuo, sed toti naturæ, juxta quas solutiones applica distinctiones in forma.

38. Argues ultimò contra tertiam conclusionem. Ideò per nos Logica non terminat appetitum elicatum, quia Logica non appetitur ut medium, sed ut finis: sed falsum est quod Logica non possit appeti, ut medium:

ergo falsa est ratio nostra, & conclusio tertia. Probatur minor. Id quod est medium ad acquirendas alias scientias, potest, imò de facto appetitur ut medium: sed Logica, ut dicemus, est medium ad acquirendas alias scientias: ergo &c. Secundò probatur minor: Logica non appetitur propter se, sed propter alias scientias; sed id quod appetitur propter aliud, non appetitur, ut finis, sed ut medium: ergo &c. Tertiò: Plures addiscunt Logicam propter Medicinam, Theologiam; imò & propter alios fines diversos: ergo isti appetunt Logicam, ut medium, non ut finem. Quartò: Quod appetitur ut finis, non potest ad aliud ordinari: sed Logica ordinatur ad alias scientias: ergo &c. Probatur major, quia finis est id, ad quod omnia ordinantur.

30. Vt respondeas, nota, quòd finis est duplex, alius operis, alius operantis: finis operis est ille, ad què opus ex sua natura ordinatur; finis operantis est ille, ad què opus ex se non ordinatur, sed extrinsecè ordinatur ab operante. Sic Medicina ex se ordinatur ad curandos morbos, in finis ejus intrinsecus, aut finis operis: non ordinatur ad lucrum, sed sapiùs ob lucrum

addiscitur, in finis extrinsecus scientiæ, aut finis operantis.


Nota secundò. Logicam dupliciter considerari, primò, ut scientiam, secundò, ut artem: de hoc erit sermo in seqq. ut scientia non ordinatur ad alias scientias, sed est per se appetibilis, ut Metaphysica, & Philosophia: ceterum ut ars est directiva rationis, & medium requisitum ad alias scientias acquirendas. Tertia conclusio nostra considerat Logicam ut scientiam, non ut artem. Ratio est, quia omnes qui hanc quæstionem tangunt, inferunt appetitum ad Logicam ex principio Aristotelis, quòd homo desiderat omnes scientias: sed ad istam illationem debet esse sermo de Logica scientia, non de Logica, ut arte, alioquin ex appetitu ad scientias non esset bona consequentia ad Logicam: ergo quia conclusio debet procedere de Logica, ut scientia.

His suppositis, ad argumentum nego min. ad primam probationem concessa maj. dist. min. Logica est medium ad alias scientias, Logica ut ars, concedo min. Logica ut scientia, nego min. & dist. consequens: ergo Logica appetitur, ut medium, Logica ut ars, concedo consequentiam

tiam, Logica ut scientia, nego consequentiam. Ad secundam probationem dist. maj. Logica nõ appetitur propter se &c. Logica ut scientia, neg. maj. ut ars, concedo maj. & concessa min. nego consequentiam sub distinctione data. Ad tertiam probationem disting. antecedens, & concedo de Logica arte, nego de Logica scientia. Ad quartam dist. maj. sub ea ratione qua est finis, concedo maj. sub alia, nego maj. Logica ut scientia finis est, sed ut sic non ordinatur ad aliud, sed appetitur propter se. Vt ars ordinatur intrinsecè ad alias scientias, sed ut sic non est finis. Et nota quòd adhuc ut scientia potest ordinari ab operante ad alios fines extrinsecos, ut dictum est de Medicina: sed hoc non est contra rationem finis intrinsecam, quia finis ille est extrinsecus, & operantis.

40. Dices: ergo saltem Logica ut ars potest appeti, ut medium: ergo Logica ut ars appetitur appetitu

elicito. Respondeo, quòd in principijs nostris nec ut ars potest Logica appeti appetitu elicito: in aliorum sententia potest. Hujus ratio est, quia in nostris principijs Logica est simpliciter necessaria ad acquirendas alias scientias: sed quando finis appetitur necessariò, etiam appetuntur necessariò media, quæ sunt simpliciter necessaria ad finem: ergo cum aliæ scientiæ appetantur ut finis naturalis hominum appetitum necessario, sequitur, quòd etiam Logica ut ars appetatur non liberè, sed necessariò. Atqui, ut dictum est numero 18. appetitus elicitus est appetitus liber, veluti electio medicorum: ergo appetitum elicito non potest appeti Logica adhuc ut ars. At verò in aliorum sententia probabilissima, Logica non est hoc modo necessaria ad scientias; quare non appetitur necessariò ex vi appetitus finis, & sic liberè appetitur appetitu elicito.



## QUÆSTIO SECUNDA.

*Vtrum Logica sit scientia?*

## §. I.

*Quibusdam notatis referuntur sententia.*

1. **L**OGICA, quæ sub nomine *Dialecticæ* juxta P. Augustinum lib. 3. contra Academicos cap. 18. *Est unica scientiarum scientia, disciplinarum omnium via*, sub lite habet rationem scientiæ apud DD. ita hinc inde divisos, tantaque sententiarum varietate, ut difficile sit clarè procedere, nisi quàm plura ab eis tradita prætermittantur, Eandem ambiguitatem invenies in littera Aristotelis, & expositionibus S. Thomæ, & B. Ægidij, ut patebit: quamobrem adhuc inter Ægidianos DD. circa mentem nostri Ægidij dissidium est. Pro quo dirimendo.

Supponendum est primò cum Aristot. 3. Ethic. cap. 3. quinque esse cognitiones veridicas, quæ perficiunt intellectum: Prima est intellectus, secunda sapientia, tertia scientia, quarta prudentia, quinta ars. Intellectus, aut lumen est *cognitio primorum principiorum*. Hoc lumine sine discursu cognoscimus, quòd *omne totum*

*est majus sua parte, & alia principia similia*. Sapientia est *cognitio rei per altissimas causas*. Scientia est *cognitio rei per causam per quam res est, & quoniam illius est causa, & non contingit aliter se habere*. Prudentia est *cognitio agendorum secundum rectam rationem*. Ars est *cognitio quæ potest aliter se habere, activa, vel factiva*.

2. His addunt aliqui sextam speciem cognitionis quam vocant *facultatem*. Fundantur in eodem Philosopho, qui Rhetoricam, & Dialecticam vocat *facultates*. Ita primo Rhetoric. cap. 4. dicens: *Si quis autem Dialecticam, vel Rhetoricam non ut facultatem, sed ut scientias institueret, vel docere conatur, is earum naturam in hoc transitu interimere videtur*. Ecce Logica dicitur facultas, ut contraposita scientiæ: quid ergo erit? Vide plura apud Vallium tom. 1. q. 4. Prologom. cap. 6. sed breviter dicendum, quòd facultas est habitus *disputans in utraque parte*. Per hoc differt à scien-

## Quæst. II.

scientia, & arte, quæ sunt ad unam partem determinata. Quare Logica in parte Topica probabili est facultas propriè, quia disputat in utraque partem; quo nomine Dialectica, ut à Logica distincta, propriè explicatur.

3. Explicatur diffinitio scientiæ suprâ tradita. *Scientia* primò dicitur *Cognitio rei per causam*. Per hoc differt à lumine principiorum, nã prima principia non cognoscuntur per suam causam, sed immediatè in se. Differt etiam à Fide, quæ non est cognitio per causam, sed per media extrinseca, scilicet per attestatiõem dicentis. Differt etiam à sapientia, quia hæc est per causam altissimam, & primam; scientia verò per causam proximam, & immediatam.

Dicitur secundò *Per quam res est*, ad denotandum causam debere esse simpliciter talem, & non per accideas. Dicitur terriò: *Et quoniam illius est causa*, quia ad scientiam non sufficit cognoscere causam utcumque, sed debet cognosci causa ut causa est. Tandem *ly Non contingit aliter se habere*, denotat scientiam debere esse cognitionem certam & evidentem; quò differt à Fide, quæ certitudinem habet, sed non evidentiam; ab opinione, quæ non habet certitu-

## §. I.

dinem; & ab arte, quæ potest aliter se habere.

Conformiter ad diffinitionem Aristotelicam traditur alia clarior, scilicet scientia est *cognitio certa, & evidens per demonstrationem acquisita*. Hæc diffinitio est scientiæ actualis; scientia habitualis diffinitur sic. Est *habitus per demonstrationem acquisitus*. Demonstratio est *sylogismus constans ex primis, veris, immediatis, notioribus, causisque conclusionis*. Hinc omnis demonstratio habet concludere necessariò, quia est syllogismus perfectus, cui convenit essentialiter concludere. Habet etiam evidentiam, quia cum demonstratio fiat ex primis principiis, quæ sunt per se nota; ideò conclusio illata est evidens, & certissima. Unde secunda diffinitio scientiæ brevior aristotelica, dicit idem ac prima.

4. His suppositis, prima sententia absolutè asserit Logicam esse simpliciter scientiam. Ita communiter Thomistæ: Scotistæ cum suo Doctore, & alijs. Ex nostris eam docent Coquæus, Gerardus, Argentinas, Toletus, Venerus, Veracrutius, Bursius, Lusitanus, & Landonius, citati à nostro Villanova: & allegant pro se N. Ægidium in Prologo ad lib. Elenchorum dub. 2.



Fundamentum hujus sententia est. Scientia est habitus per demonstrationem acquisitus: sed in Logica plures sunt demonstrationes, quarum assensus generat habitum Logicæ: ergo habitus iste sic acquisitus erit scientia. Major est definitio scientia. Minor probatur. Hæc est demonstratio: Omnis syllogismus constans ex veris, primis, causisque conclusionis generat scientiam: sed talis est demonstratio: ergo demonstratio generat scientiam. *Item ista* Omnis syllogismus probabilis generat opinionem; sed talis est syllogismus topicus: ergo generat opinionem. Eodem modo demonstratur quod sophisticus syllogismus generat errorem. Atqui istæ demonstrationes sunt Logicæ: ergo in Logica plures sunt demonstrationes.

Confirmatur: Habitus, qui demonstrat passiones de suo objecto, est scientia: sed Logica demonstrat passiones, de suo objecto: ergo est scientia. Probatur minor, quia demonstrare est probare rem per causam, in essendo, vel inferendo: sed Logica probat de natura quod sit prædicabilis, quia est universalis; de ente rationis probat, quod sit cognoscibile, quia est ens: & re-

gulariter probat passiones entis rationis per essentiam ejus, quæ licet non sit causa in essendo suarum passionum, est tamen causa in inferendo: ergo verè demonstrat &c. Favet P. Augustinus & D. Thomas vocantes Logicam scientiam. Et Philosophus lib. 1. Priorum in principio vocat Logicam disciplinam demonstrativam.

5. Secunda sententia docet Logicam non esse propriè scientiam, sed, ut aliqui dicunt, est ars habens modum scientia. Noster Villanova, & Gavardi docent cum alijs esse propriè modum sciendi, & impropiè, & latè scientiam. Pro hac dicit Gavardi stare totam nostram Scholam, & veteres Philosophos, ut Themistium, Alpharabium, & alios. At quidquid de antiquis sit, patet ex nostris plures esse contraria sententia; nec mirum, quia utraque fundamentum habet in nostro Ægidio; quare nostri divisi sunt, sicut & Thomistæ ob varias Angelici Doctoris locutiones.

Probatur primò ex verbis Philosophi datis numero 2. ubi negat Logicam esse scientiam, & dicit esse facultatem. Rursus lib. 2. Metaphysicæ cap. 15. dicit: *Absurdum est simul querere scientiam, & modum sciendi*. Nomine modi sciendi intelligit Logicam: ergo

ergo quia sentit non esse scientiam.

Secunda ratione probatur. Quia, id quo acquiritur scientia, non est scientia, sed instrumentum, & modus sciendi; sicut medicina, qua acquiritur sanitas, non est sanitas: sed Logica est id, quo acquiritur scientia; Logica enim docet facere syllogismos, quibus scientia acquiritur: ergo Logica non est scientia, sed modus sciendi.

Confirmatur: Principium requisitum ad aliquè effectum, non est ipse effectus: sed Logica est requisita ad acquisitionem scientia, ut dicemus cum meliori sententia: ergo non est scientia. Major probatur primò ex Philosopho secundo Posteriorum dicente quod *principium demonstrationis, non est demonstratio*: ergo nec principium effectus est effectus; nec principium scientia scientia.

Secundò probatur major ex Ægidio ibidem dicente: „ In demonstrationibus non proceditur in infinitum, ita quod principia demonstrationis demonstrantur: & demonstrationis principium non oportet, quod sit demonstratio. Imò est devenire ad aliqua principia indemonstrabilia, quorum non est scientia.

Tertio: Probat N. Villanova à ratione: Logica non demonstrat: ergo non est scientia. Consequètia, patet antecedens probatur; Logica docet demonstrare: sed modus quo docet demonstrare, non est per demonstrationem: ergo non demonstrat. Probatur minor ex nostro Ægidio cum Philosopho 1. Posteriorum cap. 2. ubi docet, quod *principia demonstrationis debent esse propria ei quod demonstratur*: sed principia, quibus Logica docet demonstrare, sunt communia omni demonstrationi Philosophiæ, Mathematicæ &c. ergo.

6. Tertia sententia quasi media distinguens in Logica munus docentis à munere utentis, dicit esse scientiam sub munere docentis, secus sub munere utentis, quia sic est ars, vel modus sciendi. Ita PP. Complutenses; & pro eadem citatur à nostro Gavardi ex nostris Venetus, ex alijs Magistris, Ioannes à Sancto Thoma, Arriaga, Rubius, & alij: Hæc sententia maximè fundatur in D. Thoma, qui 42 Metaph. lect. 4. inter alia dicit: „ In parte Logicæ, quæ dicitur demonstrativa, sola doctrina pertinet ad Logicam, usus verò ad Physicam, & alias scientias particulares: pars autem Logicæ tentati-

**30 Liber I.**  
 „ vā, & sophistica habet do-  
 „ ctrinam, & usum. En juxta  
 S. Doct. Logica ut docens est  
 demonstrativa, & sic scientia:  
 at Logica non habet usum ni-  
 si. topicum, & sophisticum;  
 quare, ut utens est opinio, aut  
 habitus opinativus. Clariùs ibi  
 „ dicit: Logica secundùm quod  
 „ est docens, habet considera-  
 „ tionem de secundis inten-  
 „ tionibus, instituēs modum,  
 „ quo per eas doceri possit ad  
 „ conclusiones in singulis sciē-  
 „ tijs probabiliter ostenden-  
 „ das. Hoc autem demonstra-  
 „ tivè facit. *Ex subdit.* Simili-  
 „ ter dicendum est de sophi-  
 „ stica. En Logica docens  
 quoad omnes suas partes est  
 scientia, & demonstrativè  
 procedit; sed *ly secundùm*, est  
 exceptio, quæ contrariam fir-  
 mat regulam pro Logica utē-  
 te: ergo ut utens non est scien-  
 tia, sed ut docens.


A ratione probatur hæc  
 sententia. Nam Logica ut utēs  
 non curat de passionibus sui  
 objecti, sed de structura syllo-  
 gismi, quæ est quid diversum:  
 at scientia curat demonstrare  
 passionem de suo objecto: ergo  
 Logica ut utens scientia non  
 est, sed ut docens.

Confirmatur: scientia ut  
 talis procedit modo resolutio-  
 rio circa universalia & neces-  
 saria, quare non est de singu-  
 laribus & corruptibilibus: sed

**De Proemialibus.**  
 Logica utens solùm curat de  
 constructione syllogismi, &  
 sic non procedit modo reso-  
 lutorio, sed compositivo; nec  
 circa universalia, sed circa syl-  
 logismū, cui dat existentiā sin-  
 gularem, & defectibilem: ergo  
 ut utens non est scientia.

Hac via D.D. hujus sen-  
 tentiæ conciliant authorita-  
 tes diversas P. Augustini, D.  
 Thomæ, & Philosophi dicen-  
 do, quòd ubi asseritur Logica  
 scientia, intelligendæ sunt de  
 Logica docente; dum verò  
 negatur, tenendæ sunt de Lo-  
 gica utente. Et dum eis op-  
 ponitur, quòd Logica, docens,  
 & utēs sūt idē habitus, qui ne-  
 quit esse sciētia, & nō sciētia.  
 Respondent, Logicā utentem  
 esse entitativè scientiam; non  
 tamen formaliter: unde con-  
 tradictoria de eadem entitate  
 habitus verificantur secun-  
 dùm diversas formalitates do-  
 centis, & utentis. Omitti-  
 mus alias sententias minoris  
 notæ, ut illam, quæ negat  
 Logicam esse scientiam, &  
 artem; dicens esse facultate-  
 m: & aliam, quæ

docet esse artem  
 simpliciter.



*Nostra sententia proponitur, &  
 probatur.*

7. **N**OSTRA sententia est,  
 quòd *Logica est sciē-  
 tia rationalis, non au-  
 tem naturalis: est etiam ars  
 secundùm quid & improprie.*  
 Ita P. Augustinus, D. Tho-  
 mas, & Beatus Ægidius ex-  
 pressis verbis; & si aliquod po-  
 test esse dissidium, non est cir-  
 ca conclusionem nostram, sed  
 circa sensum ejus, infra expli-  
 candum. Pro eadem in re  
 (quidquid sit de vocibus) sta-  
 re credimus DD. primæ sen-  
 tentiæ; imò & Villanova Ga-  
 vardi & alij secundæ, quorum  
 fundamenta probant Logi-  
 cam non esse scientiam natu-  
 ralem, non autem suadēt non  
 esse scientiam rationalem.

Probatur primò: ex P.  
 Augustino verbis datis nume-  
 ro primo, ubi Logicam vocat  
 scientiarum scientiam; idem  
 habet lib. secundo de Ordine:  
 & lib. 2. de Doctrina Christia-  
 na cap. 31. Ut autem scias  
 Logicam non esse scientiam  
 naturalem, sed rationalem, ec-  
 ce mirabilem sciētiarum par-  
 titionem à S. Parente datam  
 lib. 8. de Civitate Dei, ubi di-  
 cit tres esse partes sapientiæ:

„ Vnam moralem, quæ in a-  
 „ ctione versatur; alteram na-  
 „ turalem, quæ contempla-  
 „ tioni data est; tertiam ratio-  
 „ nalem, quæ verum discernit  
 „ à falso; quæ licet utrique,  
 „ idest actioni, & contempla-  
 „ tioni sit necessaria, maximè  
 „ tamē contemplatio perspe-  
 „ ctionem sibi vendicat veri-  
 „ tatis. En Logica quæ jux-  
 ta S. P. est scientia discretiva  
 veri à falso, non est scientia  
 moralis, nec naturalis, sed ra-  
 tionalis; licet necessaria sit ad  
 acquirendam moralem, & na-  
 turalem, & ad naturalem plus  
 necessaria.

Secundo probatur ex D.  
 Thoma 1. Perhierm. lectione  
 „ 1. ubi ait: Ars quædam ne-  
 „ cessaria est, quæ sit directi-  
 „ va rationis, per quam homo  
 „ in ipso actu rationis ordina-  
 „ tē, faciliter, & sine errore  
 „ procedat: & hæc ars est Lo-  
 „ gica, idest rationalis scien-  
 „ tia. En Logica est rationalis  
 scientia juxta S. Doct. & ab  
 eodem vocatur ars; intellige  
 secundùm quid, ut infra ex-  
 plicabimus: ergo Logica est  
 scientia rationalis, non natu-  
 ralis, & est ars secundùm quid.

Tertiò probatur ex N.  
 Fundat. D. in Prologo Philo-  
 sophiæ, ubi data eadem par-  
 titione scientiarum cum P.  
 Augustino in naturalem, &  
 moralem, quam ibi dicit *pra-*

*Eticam, & rationalem, subjungit; Et sicut scientiæ operativæ essentialis Philosophiæ partes esse non possunt, sic nec scientiæ rationales.* En Logica est scientia rationalis juxta Ægidium, non autem naturalis, quia non est essentialis pars Philosophiæ. Quare sumpto nomine scientiæ pro scientia naturali, Logica scientia non est, sed  
 „ modus sciendi: Talia enim  
 „ (*prosequitur Ægidius*) ma-  
 „ gis sunt modi sciendi, quàm  
 „ scientiæ, ut Commentator  
 „ ait; & poterit declarari, si  
 „ contingat nos in Logicali-  
 „ bus aliquid scribere.

Hinc facile constat, quo sensu D.D. nostri negaverint Logicam esse scientiam, tenentes cum Ægidio esse modum sciendi. Negant esse scientiam naturalem, non autem esse scientiam rationalem; nam eadem Logica juxta Ægidium est scientia, & modus sciendi; modus sciendi relatè ad scientias naturales, putà Philosophiam, Mathematicam, & Metaphysicam. Scientia autem in se, & in propria materia, vi cujus rationalis dicitur, & contradistinguitur à morali, & naturali.

8. Restat explicare quid sit scientia rationalis, ut distincta à morali, & naturali. Id explicat N. Doct. lib. 1. Rhet. à cap. 1. usque ad 4. ex ipso

N. Gavardi in Logica q. 7. Proemiali art. 1. Scientia moralis est directiva actuum voluntatis, & aliarum potentialium, quare ab Ægidio ubi supra vocatur practica, & à P. Augustino laudato dicitur, quòd in actione versatur. Logica autem ut rationalis, solum est de actibus intellectus, vel ut ait D. Tho. est directiva rationis; & sic ita est scientia rationalis, ut distinguatur vel solo nomine à morali. Rursus scientia practica discernit bonum à malo; Logica verò, ut scientia rationalis, discernit verum à falso.

Scientia autem rationalis differt à naturali, quia naturalis versatur circa res existentes in rerum natura extra intellectum, quæ simul habent esse objectivum in intellectu. Logica verò ut rationalis, solum versatur circa secundas intentiones, quæ unice habent esse intra intellectum, non extra. Quare cum tota materia Logicæ sit intra rationem, non extra in rerum natura, non est scientia naturalis, sed rationalis.

9. Observa duo, quæ sunt clavis discendorum in sequentibus, præcipuè questione de objecto Logicæ. Dicit D. Thomas laudatus, Logicam esse directivam rationis, ne erret. Dicit P. Augustinus,

Rinus, quòd Logica est discretiva veri à falso; totum hoc videtur convenire scientiis naturalibus: ergo Logica ut scientia rationalis non habet quid speciale, quo differat à naturali. Probatur assumptum. Quia Philosophia discernit verum aurum à falso; item: est habitus adjuvans intellectum, ne erret in cognitione entis, vel corporis mobilis. Astrologia discernit veras stellas ab apparentibus, putà ab exalationibus, quæ rusticis videntur stellæ: & ne erret intellectus in discretione ista, dat Astrologia principia, & regulas. Ergo non est speciale Logicæ discernere verum à falso; nec dirigere operationes intellectus, ne erret.

Ut hoc solvas, & clarè videas quo sensu Logica est scientia rationalis, observa, quòd veritas consistit in conformitate intellectus cū objecto; & hinc dicit Philosophus quòd *ab eo quod res est, vel non est, propositio dicitur vera, vel falsa.* Quando intellectus cognoscit objectum ut est, & petit cognosci; tunc intellectus est formaliter verus; & cognitio illa conformis cum objecto, est formalis veritas. Si verò intellectus non conformatur cum objecto, tunc est falsus, & cognitio ejus est error, & falsitas formalis. Sit

exemplum in his propositionibus, *homo est rationalis: homo est irrationalis.* Prima est vera, quia conformis cum objecto; quia etiam ita affirmat sicut objectum est in re. Secunda est falsa, quia est objecto disconformis, & aliter enuntiat, ac objectum est in re. Intellectus in prima est verus, & non errat; in secunda est falsus, & errat; falsitas autè & error stant in eo, quòd cognitio in secunda propositione non conformatur cum objecto cognito, ut est in re, & petit cognosci. Hæc certa sunt apud omnes in Metaphysica, ubi disputatur de constitutivo veritatis.

Nota etiam, quòd objectum cognoscibile est duplex, aliud reale, & directum; aliud intentionale & reflexum. Ad primum spectant omnia entia realia, quæ sunt in rerum natura, v. g. Deus, & omnes creaturæ, & reales entitates earum: imò & ipsi actus intellectus sunt quid reale, sicut intellectus, de quo agit Anamisticus. Ad secundum pertinent omnes secundæ intentiones generis; differentiæ, & similia, de quibus libro sequenti. Istæ ergo secundæ intentiones sunt objectum cognoscibile: non per cognitionem directam, sed per reflexam; & ideo vocantur

tur secundæ intentiones. Ratio est, quia prima intentio intellectus, & prima tendentia illius per cognitionem directam, est in entia realia: quare entia realia sic cognita, vocantur intentiones primæ: ergo dum intellectus cognoscit entia non realia, sed intentionalia, tunc est secunda intentio intellectus, & cognitio reflexa illius: quare illud esse intentionale cognitum, dicitur secunda intentio. Hoc etiam apud omnes Scholas est certum.

11. Ex his duobus notatis ex communi doctrina, inferimus duas assertiones. Prima est quod *datur duplex veritas formalis, una directa, altera reflexa*. Probatur: veritas apud omnes consistit in cōformitate cognitionis cum objecto: sed datur duplex cognitio una directa relatè ad entia realia; altera reflexa relatè ad entia intentionalia; & utraque potest esse conformis, vel disformis objecto cognito: ergo datur duplex veritas formalis, una directa, altera reflexa.

Confirmatur: Cognitio reflexa conformis cum secundis intentionibus cognitis, est cognitio vera: at non est vera formaliter veritate directa: ergo est vera veritate reflexa; & consequenter datur

duplex veritas, directa, & reflexa. Consequentia tenet, & major est certa, quia veritas consistit in conformitate intellectus cum objecto. Minor autem probatur; veritas formalis est cognitio ut conformis: sed cognitio conformis secundis intentionibus cognitis, non est cognitio directa, sed reflexa: ergo veritas ejus reflexa est, non directa.

Confirmatur secundò: Veritas objectiva, vel transcendentalis, est duplex apud omnes, scilicet directa, & reflexa: ergo omnes tenentur concedere duplicem veritatem formalem, scilicet directam, & reflexam. Patet consequentia, quia veritas formalis est correlativum veritatis objectivæ. Antecedens probatur: Veritas objectiva, vel transcendentalis, est cognoscibilitas objecti, vel est entitas objecti, ut cognoscibilis: sed apud omnes datur duplex objectum, scilicet reale, quod est directè cognoscibile; & intentionale, quod est reflexè cognoscibile, id est per solam cognitionem reflexam: ergo veritas objectiva &c.

12. Confirmatur tertio: Et sumamus has duas propositiones: *Homo est animal. Animal est homo*. Argue

que sic. In his duabus propositionibus datur æqualiter veritas formalis directa: sed in eis non datur æqualiter veritas formalis reflexa: ergo quia ultra veritatem directam, tenentur omnes admittere veritatem reflexam. Probatur primò major. Veritas formalis directa est cognitio conformis cum objecto reali cognito, ut est à parte rei: sed utraque propositio illa est ita conformis: ergo utraque æquè vera veritate directa. Probatur hæc minor. Objectum utriusque est homo, & animalitas hominis: sed tam verum est quod animalitas hominis est homo, quàm quod homo sit animalitas hominis; utrumque enim secum mutuo identificatur: ergo.

Nunc probo minorem principalem dupliciter. Primò sic. Secunda propositio, scilicet *animal est homo*, apud omnes est falsa in sensu formali, & vera in sensu identico: ergo cum falsitas sit carentia veritatis, aut disconformitas cum objecto; illa propositio caret veritate aliqua, & alicui objecto est disconformis; sed non caret veritate formali directa, ut probatum est; nec est disconformis objecto reali directo; aliàs non foret vera in

sensu reali identico: ergo caret veritate distincta à veritate directa, & talis est reflexa: item est disconformis objecto distincto ab objectis directis, & sic est disconformis objecto reflexo.

Secundò probatur minor principalis. Discrimen utriusque propositionis est, quia in prima genus prædicatur de specie, & in secunda species prædicatur de genere; quare prima est in omni sensu vera; secunda solum vera identicè, falsa tamen formaliter. At hæc falsitas unicè provenit, ut patet, quia prædicando speciem de genere, non conformatur intellectus cum natura secundarum intentionum, quæ petit superiorem prædicari de inferiori, non è contra: ergo tota ratio falsitatis secundæ propositionis est disconformitas intellectus cum secundis intentionibus, & sic ei deficit veritas reflexa.

13. Secunda assertio, nostra sit. Dum P. Augustinus vocat Logicam discretivam veri à falso, debet intelligi de veritate reflexa, non autem de directa. Similiter. Dum D. Thomas dicit Logicam esse directivam rationis, ne erret, intelligendum est de directiva, ne reflexa, ad vitandum errorem

rum reflexum. Vtrumque patet ex dictis, & pro claritate majori, utrumque sigillarim probabimus.

Et primò circa intelligentiam P. Augustini argue sic. Veritas, aut falsitas directa, non pertinet ad Logicam, sed ad alias scientias: ergo ad Logicam non spectat discernere verum à falso, loquendo de veritate directa, sed verum reflexum à falsitate reflexa: Patet consequentia, quia illa sola scientia, quæ tractat de veritate directa, potest illam cognoscere; & sola scientia illam cognoscens, potest illam à falsitate discernere. Antecedens est certum apud omnes, quia Logica non agit de rebus, nec est cognitio directa, sed reflexa: ergo veritas directa non pertinet ad Logicam, sed ad alias scientias.

Vrgetur. Sola scientia quæ tractat de natura leonis v. g. potest cognoscere, an intellectus affirmans aliquid, vel negans de leone, verè affirmet, an falsò: sed Logica non tractat de natura leonis, nec de ente aliquo reali directo; talia enim entia pertinent ad scientias directas naturalem, & moralem: ergo solæ illæ scientiæ, non autem Logica, possunt discernere verum directum à falso directo. Hoc ipsum probat argumen-

tum factum numero 9.

Nunc sic. Ergo cum dictum P. Augustini non possit intelligi de veritate directa, restat intelligendum de reflexa veritate. Consequentia hæc est legitima ex dictis: & probatur ultrà ex dictis numero 12. Aliqua sciëntia discernit verum à falso in his propositionibus *homo est animal: animal est homo.* quarum secunda falsa est in sensu formali. At non alia scientia nisi Logica: ergo sola Logica est discretiva veri à falso in dictis propositionibus. Probatur minor ex dictis: Discretio illa est veritatis reflexæ à falsitate reflexa penes conformitatem, vel difformitatem intellectus cum secundis intentionibus: at sola Logica agens de secundis intentionibus cognoscit in qua propositione intellectus eis conformatur, & in qua non: ergo sola Logica discernit in dictis propositionibus veritatem reflexam, à falsitate reflexa.

14. Iam vero circa intelligentiam asserti D. Thomæ probatur. Vitare errorem directum, vel in cognitione directa, non pertinet nisi ad scientias, quæ tractant de objecto directo, & sunt cognitiones directæ: sed Logica non est cognitio directa, nec tractat de objecto directo; sed de

de reflexo: ergo Logica non est directiva intellectus ad vitandum errorem directum, sed reflexum.

Rursus. Error directus est cognitio rei aliter ac est: sed sola scientia, quæ tractat de naturis rerum, ut sunt in se, potest dirigere intellectum, ut cognoscat naturam rei, ut est in se: ergo sola scientia directa potest dirigere ad vitandum errorem directum. Restat ergo Logicam tractantem de objecto reflexo, dirigere ad vitandum errorem reflexum.

Tandem. Philosophia non potest dirigere intellectum, ne erret in conformitate suarum operationum cum secundis intentionibus: hoc idè, quia Philosophia non tractat, nec docet qualiter cognoscendæ sunt, & disponendæ secundæ intentiones subjecti, predicati, generis &c.: ergo cum Logica non tractet de rebus, & objecto directo; Logica non potest dirigere intellectum, ne erret in conformitate suarum operationum cum objectis directis, & sic non dirigit ad vitandum errorem directum, sed reflexum.

Sed dices: Si Logica solum dirigat intellectum ad vitandum errorem reflexum, quomodo aliæ scientiæ directæ v. g. Philosophia dependet à Logica? Respondeo id esse

explicandum quæstione 4. ubi agemus de necessitate Logicæ ad alias scientias. Interim dico, quòd Logica ut ars concurrat ministrando formam syllogisticam, & Logica, ut scientia vitando errorem reflexum, qui nisi vitetur, nequit acquiri scientia aliqua, sed de hoc infra.

15. Hæc fusiùs solitò diximus tum ad explanandum dicta P. Augustini & D. Thomæ, tum ad ostendendum, quid sit scientia rationalis: Dicendum est ergo scientiam rationalem esse, quæ discernit verum reflexum à falso reflexo; item quæ dirigit intellectum, ne erret errore reflexo; sed se conformet in suis operationibus cum secundis intentionibus; & cum ad omnia ista sit necessarium considerare secundas intentiones, & agere de veritate formali reflexa; hæc tractat Logica, & idè est scientia rationalis. Quamobrem ultra discrimina data numero 8. inter scientiam rationalem, & naturalem, hæc ultima addenda sunt ex autoritate P. Augustini & D. Thomæ sic explicatis.

Hæc doctrina, ut diximus est clavis dicendorum quæ sequuntur. nam q. 3. dicemus Logicam esse simpliciter speculativam, quia ejus finis ultimus est cõtemplatio veritatis reflexæ.

Item q. 4. dicemus Logicam esse simpliciter necessariam ad alias scientias, quia sine cognitione veritatis reflexæ nulla potest haberi cognitio sciētificā certa. Item quæstione de objecto formali dicemus Logicā sciētiā habere pro objecto istā veritatē reflexam hīc explicatam. Ab ista veritate dicemus Logicam esse unam in specie. Quare omnia præmialia Logicæ pendent ex hīc dictis, & sic debent benè perpendi.

### §. III.

*Probat̄ur à ratione sententia nostra, & expendantur aliæ sententiæ cum suis fundamentis.*

16. **S**IT prima ratio nostra ex P. Augustino lib. 1. de libero arbitrio cap. 7. ubi explicans veram scientiam Evodio socio suo, sic ait: *Illā quæ propriè, ac purè scientia nominatur, ratione atque intelligentia paratur: sed* Logica paratur, & acquiritur ratione, & intelligentiā: ergo est scientia propriè, ac purè. Non naturalis, aut moralis: ergo scientia rationalis. Major est Parentis nostri: minor probatur. Logica paratur, & acquiritur hoc syllogismo ( ut alios

similes omittamus) *Diffinitio est oratio explicans essentiam rei: sed oratio explicans essentiam rei est clarior diffinitio explicato: ergo diffinitio est clarior suo diffinito: At hīc exercetur intelligentia & ratio: ergo Logica &c. Probat̄ur minor, nā ratio est idē ac discursus, & in hoc syllogismo exercetur, & benè exercetur; intelligentia est idem ac lumē principiorum, & hīc etiam exercetur in præmissis, quæ sunt veritates, immediatæ, lumine naturæ notæ: ergo hīc exercetur intelligentia, & ratio, eisque Logica paratur.*

Iam verò quòd scientia sic parata, sit scientia rationalis, probatur ex eodem S. P. Scientia rationalis est illa, quæ reflexè discernit verum à falso: sed sola Logica sic est discretiva, non autem directè: ergo Logica non est scientia naturalis, aut moralis, sed purè rationalis. Consequentia tenet, major, & minor constat ex dictis numero 13.

17. Secundò probatur à ratione sumpta ex S. P. Augustino lib. 1. Retractationum cap. 14. ubi ait: *Propriè quippe cum loquimur, id solum scire dicimus, quod mentis firmata ratione comprehendimus.* Sed circa objectum Logicæ plura comprehendimus firma mentis ratione: ergo ea sci-

mus

mus per Logicam, quæ, propriè loquēdo, sciētia est, sed, ut diximus, rationalis. Cōsequētia tenet, major est P. N. minor probatur: Firma ratione probatū est suprà, quòd diffinitio est clarior suo diffinito; firma etiam ratione probatur à Logica, quòd natura est prædicabilis, quia est universalis, & hujusmodi plura alia: ergo circa objectum Logicæ &c.

Confirmatur. Hæc certò cognita, & ut ait S. P. firma mentis ratione comprehensa, aliquem generant habitum; non fidei, quia ut ait S. P. lib. de utilitate credendi cap. 11. *Quod intelligimus debemus rationi, quod credimus authoritati;* talia autem cognita per Logicam, non debemus fidei, sed rationi. Non etiam opinionis, quia habitus opinativus est incertus, & cum formidine erroris; quæ autem certò cognita sunt, non possunt generare habitum incertum, & formidolosum. Non tandem prudentiæ, aut artis, quia ars est cognitio factiva potens aliter se habere, & prudentia est cognitio agendorū secundum rectam rationem; neutrum autem convenit habitui generato per cognitionem certam veritatum logicalium, qui nec potest aliter se habere, nec est directivus agendorum. Ergo à sufficien-

ti numeratione habituum intellectualium sequitur, Logicam esse scientiam; & rationalem, ut §. præcedenti probatum est.

18. Quoad secundam partem probatur cōclusio à ratione, scilicet quòd Logica non sit ars, nisi secundum quid. Probat̄ur 1. ex Aristotele lib. 6. Ethic. cap. 4. ubi docet, quòd ars versatur circa ea, quæ non sunt necessaria, sed possunt aliter se habere: sed Logica versatur circa multa necessaria; ut vidimus de eis, quæ demonstrat: ergo nō est propriè ars. Habet tamen juxta Aristotelem modum artis, quia est aliquomodo factiva, scilicet syllogismi, & aliorum artefactorum logicalium.

Idem constat ex P. Augustino lib. 2. de Ordine cap. 12. ubi de Logica dicit: *Quando ergo transfret ad alia fabricanda, nisi ipsa sua prius machinamenta, & instrumenta distingueret, notaret &c. Hæc docet docere, docet scire &c.* En Logica, quæ juxta S. P. est scientiarum scientia, habet aliquam rationem artis, quatenus facit sua machinamenta, & instrumenta, scilicet definitiones, divisiones, & argumentationes, quæ sunt instrumenta sciendi.

Idem expressit D. Thomas 1. Perhierm. lect. 1. ubi

Logicam vocat scientiam, & artem, illis verbis *Ars quaedam necessaria est* &c. Vide supra numero 7. sed juxta S. Doctorem 1. 2. q. 57. art. 3. ad tertium, artes liberales non sunt propriè artes, sed secundùm quid, & similitudinariè: ergo cum Logica numeretur inter artes liberales, Logica non est ars propriè, sed secundùm quid.

Idem docuit N. Ægidius qui Logicam dividit in artem veterem, & novam: ergo quia juxta ipsum Logica est aliquomodo ars. Dicitur ars vetus liber Prædicamentorum, & Perhiermeniarum, quia tradebatur ante Aristotelem. Ars nova continet libros Priorum, Posteriorum, & Elenchorum, & dicitur ars nova, quia ab Aristotele fuit instaurata, aucta, & ornata. Quòd autem juxta Ægidiū non sit propriè ars, patet, quia ars propria est practica, & est factiva exterioris materiæ. Sed Logica non est practica, sed speculativa, ut quæst. 3. dicemus; item non est factiva circa exteriorem materiam, sed circa operationes mentis: ergo non est ars propriè.

18. Vt ergo ex Ægidio nostro videas circa quid versatur Logica & quæ sint partes ejus, audi nostrū Doct. in Prologo ad artem veterem;

ubi ait: Logica in qua subje-  
ctū est syllogismus, sic divi-  
ditur. Aut est de syllogismo,  
aut de partibus ejus. Si de  
partibus, aut propinquis,  
aut remotis. Si de remotis,  
sic est liber Prædicamento-  
rum, ubi agitur de terminis,  
qui sunt materia remota. Si  
de propinquis, sic est liber  
Perhiermeniarum, in quo  
determinatur de enuntia-  
tione. Si de syllogismo; vel  
de syllogismo in communi,  
non determinato ad aliquā  
materiam; & sic est liber  
Priorum: vel contracto ad  
aliquam materiam, & hoc  
dupliciter. Vel ad materiam  
necessariam, et sic est liber  
Posteriorum. Aut ad pro-  
babilem, & hoc dupliciter:  
aut ad probabilem simplici-  
ter, & sic est liber Topico-  
rum: aut ad probabilem,  
apparenter; & sic est liber  
Elenchorum. Hæc Doct. N.  
ubi non numerat librum Præ-  
dicabiliū, quia nō est nisi Præ-  
ludium ad librum Prædicame-  
torum. Nec libros Proemialiū,  
aut entium rationis, qui à so-  
lis R.R. additi sunt, ad plenio-  
rem Logicæ intelligentiam.

Breviter observa artes di-  
vidi in mechanicas, & libera-  
les. Mechanicæ sunt, quæ exer-  
centur per facultates corporis  
& potentias externas, &  
quarum actio transit in ex-  
terio-

riorem materiam. Tales sūt,  
Agricultura, Venatoria, Mi-  
litaris, Nautica, chirurgi-

ca; Textoria, & Fabri-  
lis. Omnes hoc carmine con-  
tinentur.

*Rus, Nemus, Arma, Rates, Vulnera, Lana, Faber.*

Artes liberales sunt, quæ exer-  
centur per potentias animæ,  
quæ non est servilis, sicut cor-  
pus, sed libera, & ab ea libe-  
rales dicuntur artes. Eorum

artefactum fit per actiones in-  
tellectus, & non transit in ex-  
teriorem materiam. Sunt se-  
ptem, sicut Mechanicæ, & hoc  
carmine explicantur.

*Lingua, Tropus, Ratio, Numerus, Sonus, Angulus, Astra:*

Hoc est, Grammatica, Rhe-  
torica, Dialectica, Arith-  
metica, Musica, Geometria,

& Astrologia. Earum mune-  
ra sequentes versus expli-  
cant.

*Dia, vera refert: Gra; loquitur: Rhe, verba collocat;*

*Mus, canit: Ar, numerat: Geo, ponderat: As, colit astra:*

19. Nunc autem fun-  
damenta aliarum sententiarū  
expendenda sunt. Et 1. quæ  
allegata sunt numero 4. pro-  
prima sententia probant Lo-  
gicam esse scientiam, quod  
etiam est conclusio nostræ; un-  
de sunt pro nobis. Duo so-  
lūm notanda sunt. Primum est  
quòd Thomistæ, & quotquot  
ex nostris ponunt pro objecto  
Logicæ scientiæ ens rationis,  
non possunt dicere, quòd Lo-  
gica demonstrat, syllogismū  
demonstrativū generare sciē-  
tiam, topicum opinionem;  
sophisticum errorem; ergo jux-  
ta eorum doctrinam tales de-  
monstrationes non sunt logi-

cales, nec eis Logica genera-  
tur. Probatur antecedens. Lo-  
gica, ut scientia, solūm de-  
monstrat passionem de suo  
objecto; sed ens rationis non  
potest habere passionem rea-  
les, quales sunt generare sciē-  
tiam, opinionem, aut errorem:  
ergo Logica ut scientia in eo-  
rum principiis non facit tales  
demonstrationes.

In nostris autem principiis  
Logica benè talia demon-  
strat, ut passionem de suo obje-  
cto: nam, ut videbimus, obje-  
ctum Logicæ scientiæ est ve-  
ritas reflexa, hoc est actus in-  
tellectus ut conformis secun-  
dis intentionibus: at iste actus  
rea-



realis repetitus habet inter alias passiones, generare scientiam, opinionem, aut errorem quando scilicet cognitio non est conformis secundis intentionibus: ergo in nostris principiis Logica benè talia demonstrat, & ideò scientia est.

Secundum observandum est, quòd fundamenta 1. sententiæ absolutè probant Logicam esse scientiam, nec determinant, an sit naturalis, an verò rationalis. Dicendum est quòd eis demonstrationibus 1. sententiæ probatur Logica scientia rationalis. Nam Logica, ut nuper dicebamus, solum facit illas demonstrationes, quatenus generare scientiam, opinionem, aut errorem, est passio sui objecti, scilicet veritatis reflexæ: sed scientia cuius objectum est veritas reflexa, non est naturalis, sed rationalis: ergo fundamenta primæ sententiæ probant Logicam esse scientiam rationalem, non autem naturalem: & sic sunt pro nobis.

20. Fundamenta secundæ sententiæ posita numero 5. sunt apparenter contra nos: unde sigillatim sunt expendenda. Ad 1. autoritatem Philosophi, dic in ea non esse sermonem de Logica, sed de *Dialectica*, quam negat esse scientiam, & dicit esse facultatem. Nota quòd nunc pro eodem

sumuntur Logica, & Dialectica; sed antiquitus non sic: Quia Dialectica erat pars illa logicæ in materia topica & probabili; unde Dialecticus erat *Disputator in utramque partem probabiliter*. Dialectica hoc modo non est scientia, quia sciëntia est ad unã partem determinata: est autem facultas, quæ in utramque disputat partem, ut diximus numero 2. Inde nil contra nos, qui non loquimur de Dialectica antiqua, sed de acceptione moderna, pro Logica in omni materia. At Logica habet materiã demonstrativã, in qua procedit ad unũ determinata, ut patet de demonstrationibus assignatis: ergo talis est scientia, & de ea est conclusio nostra.

Ad 2. autoritatem Philosophi dicimus, ea verba esse contra veteres Philosophos, qui simul Logicam, & Physicam docebant; unde primus, qui Logicam separatam docuit, Aristoteles fuit. Quare ly scientiam, cum sit de Philosophia, dicit scientiã naturalem. Hoc modo negat Aristoteles Logicam esse scientiam, id est naturalem; sed eodem negamus nos. Relatè ergo ad scientiam naturalem Logica non est scientia, sed modus sciendi: at idem est esse modum sciendi relatè ad alias

alias scientias, ac esse scientiã rationalem in se, ut dicemus. Ergo autoritas illa Philosophi non est contra nos, se pro nobis.

Ex his ad 1. rationem dist. maj. *Id, quo acquiritur scientia, non est scientia sed modus sciendi*, non est sciëntia quæ acquiritur, concedo maj; non est alia scientia distincta, nego maj. & dist. minorem: Logica est id, quo acquiritur scientia, scientia naturalis, concedo min. quo acquiritur scientia rationalis, nego min. & dist. consequens: ergo Logica non est scientia, naturalis, concedo consequentiam; rationalis, nego consequentiam. Probatio majoris ducta ab exemplo medicinæ non tenet, quia Medicina non est intrinsecè sana, sed analogicè, cum sanitas sit proprietas solius animalis: sciëntia autem est perfectio intellectualis potens convenire Logicæ, ut pateat ex dictis.

Eodem modo respondetur ad confirmationem, concessa maj. dist. min. Logica est requisita ad acquisitionem sciëntiæ, scientiæ naturalis, aut moralis, concedo min. scientiæ rationalis, nego min. ut constabit q. 1. & dist. consequens: ergo Logica non est scientia, scientia naturalis, concedo consequentiam; rationalis, nego consequentiam.

Ad probationem majoris concedo totam doctrinam nostri Ægidij & Philosophi, quæ non est contra nos, sed pro nobis, nam probat Logicam non esse scientiam naturalem, cum quo stat esse scientiam rationalem, ut diximus.

Logica non est requisita ut ipsa acquiratur, licet requisita sit ad acquisitionem aliarum scientiarum: sicut lux requisita ad videndum alia objecta, non eget alia luce, ut ipsa videatur. Hinc fit quòd Logica, quæ est principium aliarum scientiarum, non est scientia cuius est principium, & sic non est scientia naturalis, aut moralis, sed relatè ad illas est modus sciendi, aut instrumentum, aut lux, aut directio intellectus. Inde non sequitur quòd non sit scientia rationalis, cum in propria materia suas faciat demonstrationes. Imò nisi Logica esset scientia rationalis in se, non foret modus sciendi relatè ad alias scientias.

Quod probatur. Nam ideò est requisita ad alias scientias simpliciter, quia versatur circa veritatem reflexam, ut dicemus quæstione sequentiæ sed quod versatur circa veritatem reflexam, est scientia rationalis, ut §. præcedenti ostensum est: ergo perinde est Logicam esse modum sciendi

di. relatè ad alias scientias, ac esse in se scientiã rationalem. Hinc putamus, quòd sentètia secunda in re nil dicit contra nos: imò fundamenta ejus sūt nova probatio nostræ sententiæ, ut ostensum est.

21. Tertia probatio nostri Villanova in eodem numero 5. posita difficilior est, sed solvitur notando, quòd principia logicalia sunt communia alijs scientijs ratione formæ, sed non ratione materiæ; quia sic sunt propria solius Logicæ. Explicatur hoc. Logica docet quomodo fiat syllogismus, demonstratio, definitio. Et unde dicit v.g. quòd definitio debet constare ex genere, &c. differentia; quòd syllogismus constat tribus terminis &c. Hæc communia sunt ratione formæ omnibus scientijs, quia Philosophia, Metaphysica, & aliæ scientiæ syllogizant tribus terminis, definiunt per genus, & differentiam &c. Quare in forma syllogismorum aliarum scientiarum reperiuntur executæ regulæ logicæ. Hoc suadet, principia logicalia esse communia alijs scientijs ratione formæ.

At sola Logica tractat de istis principijs, ut de propria materia, quia sola docet diffinire, dividere, & argumentari; unde sola docet docere,

ut ait P. Augustinus. Quo fit; ut talia principia in ratione materiæ considerata, sint propria soli Logicæ. Vt ergo Logica demonstret, sufficit quòd procedat ex proprijs ratione materiæ; nō autem requiritur quòd præcedat ex proprijs ratione formæ. Et cōstat in alijs scientijs, quæ dū demonstrāt, non procedunt ex proprijs ratione formæ, siquidem, ut argumentum Villanovani fatetur, forma demonstrationis communis est ad omnes scientias: ergo sufficit in alijs scientijs, quòd materia demonstrata sit propria, & non ex cōmunibus. Ergo cū principia logicalia sint materia solius Logicæ; Logica ex eis procedens, procedit ex proprijs. In forma respōd. neg. anteced. ad probationem neg. min. ad ejus probationem dist. maj. principia demonstrationis debent esse propria, ratione formæ, neg. maj. ratione materiæ, concedo maj. & dist. min. principia Logicæ sunt communia, ratione formæ, concedo min. ratione materiæ, nego min. & consequentiam.

22. Fundamenta tertiæ sententiæ posita numero 6. directè non sunt contra nos, cū non probent Logicam non esse scientiam, sed contendat Logicam esse scientiam solum sub munere docen-

scientiæ. Et quidem primum fundamentum ex D. Thoma, clarè insinuat S. Doctorem distinguere utrumque munus; & sub munere docentis esse scientiam quoad omnes suas partes, scilicet quoad demonstrativam, topicam, & sophisticam; nam in 2. autoritate ibi inducta, docet Logicam demonstrativè procedere etiã in parte sophistica, quãdo docet; & patet, quia Logica demonstrat syllogismum sophisticum generare errorem: ergo in parte sophistica Logica, ut docens, demonstrativè procedit: ergo scientificè; & consequenter quoad omnes partes, ut docens, scientia est.

Vt utens, negat esse scientiam S. Doctorem, quia usus in materia demonstrativa non est Logicæ, sed aliarum scientiarum, & sic non est Logicæ; usus verò in materia probabilis, & sophistica, usus Logicæ est, sed non est scientia; quia scientia non procedit ex falsis, nec ex probabilibus, sed ex necessarijs; pars autem topica est probabilis, sophistica falsa: ergo in parte topica, & probabilis Logica utens scientia non est.

Disident Thomistæ circa mentem D. Thomæ hic; & novissimè M. Palanco in suo cursu Philosoph. tom. 1. q. 10. Præmiali, conclusione 2. dicit

nunquam S. Doctorem docuisse, quòd Logica utens in parte demonstrativa, non sit scientia: quare defendit, quòd ut utens in parte topica, & sophistica scientia non est; ut verò utens in parte demonstrativa est scientia.

23. Eandem interpretationem amplectimur, addentes, quòd licet Logica ut utens in parte topica, & sophistica non sit scientia reduplicativè, est tamen scientia specificativè. Volumus dicere Logicam sub utroque munere esse scientiam, & eundem habitum, quæ se extendit ad conclusiones probabiles, ceterum non habet quòd sit scientia ex vi hujus extensionis. Sic Physicæ habitus se extendit ad conclusiones probabiles, sed non ideo est scientia, sed quia facit demonstrativos. Quare Logica etiam ut utens in parte demonstrativa scientia est.

Probatur 1. quia aliæ scientiæ utentes regulis logicabilibus demonstrandi sunt scientiæ: ergo & Logica dum in sua materia utitur eisdem regulis, demonstrandi est scientia. Secundò juxta D. Thomam Logica docens in omni materia procedit demonstrativè: ergo in omni demonstrandi sed demonstrare est uti regulis demonstrandi: ergo Logica his regulis utens scientia.

est demonstrativè procedens. Hinc constat tertiam sententiam, ut supra explicatam, non subsistere. Quòd si D. Thomas in prima autoritate dicit quòd usus Logicæ in parte demonstrativa pertinet ad alias scientias; loquitur de usu Logicæ secundùm finem directum, quo ordinatur ad scientias directas, non autem loquitur secundùm finem reflexum illius usus, ut benè exponit prælaudatus Mag. q. 7. num. 5.

Ad fundamentum à ratione dist. maj. Logica ut utens solùm curat de structura syllogismi ex parte actus, concedo maj. ex parte objecti, nego maj. & concessa min. nego consequentiam. Logica actu demonstrans passiones de suo objecto, est actu utens, ut supra probatum est. Logica sic utens, exercitè & ex parte actus solùm curat de structura demonstrationis. Ceterùm quia demonstratio illa habet objectum, circa quod est demonstratio; & talè objectum sunt passiones demonstratæ, ideò Logica sic utens curat demonstrare passiones, non autem de sola structura syllogismi.

Ad confirmationem 3. sententiæ dicimus, quòd scientia debet procedere modo resolutorio excludente compositionem *ad extra*, non autè com-

positionem *ad intra*, quia nulla est scientia quæ directione Logicæ non faciat syllogismos; ergo nulla est, quæ excludat compositionem *ad intra*. Et licèt omnes scientiæ sint circa universalialia *objectivè*, & *signatè*; non tamen *exercitè*; quia licèt objectum scientiarum sit universale, tangitur tamen à scientijs per syllogismos singulares. Quare confirmatio nil convincit de Logica, quod æquè non probet de alijs scientijs.

## §. IV.

*Solvantur argumenta contra nostram conclusionem.*

24. **A**rgues primo ex nostro Ægidio in secundo Sententiarum dist. 23. q. 2. art. 3. circa medium ubi ait: *Scientiæ autem essentialiter dicuntur, quæ sunt propter ipsum scire; hæc non sunt nisi tres, Physica, Metaphysica, & Mathematica.* Ergo juxta nostrum Doct. Logica non est scientia. Confirmatur. Ex Philosopho dicente quòd scientia est gratia sui; sed Logica nõ est gratia sui, sed propter alias scientias; ergo Logica scientia non est. Confirmatur 2. Modus non est res, cujus est modus; sed

sed Logica est modus sciendi, vel scientiæ: ergo Logica non est scientia. Tertio Logica non est species contèta sub genere scientiæ: ergo non est scientia. Probatur antecedens, species contentæ sub genere, una non ordinatur ad aliam: at Logica ordinatur ad alias scientias: ergo non est species &c.

Ad argumentum dicimus, ibi nostrum Ægidium negare Logicam esse scientiam naturalem, non verò esse scientiam rationalem. Constat hoc, quia ibi querit, an Adam habuerit scientias? Et respondet affirmativè, probans habuisse Logicam: ergo quia sentiens Logicam esse scientiam rationalem, negat esse naturalem. Respondeo in forma dist. antecedens, scientiæ sunt propter ipsum scire, scientiæ naturales, & directæ, concedo; & istæ sunt tantùm tres, ut ait Ægidius, scientiæ in communi, ut includunt scientias rationales, subd. sunt propter ipsum scire, attentò fine directo, vel reflexo, concedo; attentò purè fine directo, nego antecedens: & dist. consequens, non est scientia naturalis, & directæ, concedo; reflexa, & rationalis, nego consequentiam.

Scientiæ naturales sunt directæ, & istæ sunt propter

scire attentò fine directo; & tales sunt tres, numeratæ ab Ægidio. Logica non est scientia naturalis, est tamen rationalis, & reflexa, duplicem habens finem; unum directum relatè ad scientias directas, & hoc modo non est propter scire, sed propter modum sciendi; alterum reflexum, & sic est scientia, & propter scire suum, quod est scire reflexum; id est scire veritatem reflexam jam explicatam.

Ad primam confirmationem dist. maj. scientia directæ, concedo; reflexa, subdist. est gratia sui attentò fine directo, nego; attentò fine reflexo, concedo maj. & dist. min. Logica est propter alias scientias, attentò fine directo intellectus, concedo; attentò fine reflexo, nego min. quia (ut dicemus q. sequenti) finis reflexus Logicæ & intellectus habetis Logicam est cognoscere veritatem reflexam, supra explicatam.

Ad 2. confirmationem concessis præmissis, dist. consequens: ergo Logica non est scientia, cujus est modus, concedo consequentiam; non est scientia, cujus non est modus, nego consequentiam. Logica est modus relatè ad scientias naturales: quid inde? Nil fanè, nisi quòd non sit scientia naturalis, est tamen rationalis.

Ad tertiam confirmatio-  
nem, nego antecedens, ad pro-  
bationem ejus dist. maj. una  
species non ordinatur ad aliā,  
tanquam ad finem intrinsecū,  
concedo maj. tanquam ad fi-  
nem extrinsecum, & remo-  
tum, nego maj. & dist. min.  
Logica ordinatur ad alias sciē-  
tias, ut ad finem intrinsecum,  
nego min. nam finis intrinse-  
cus Logicæ est contemplare  
veritatem reflexam, ut dice-  
mus: tanquam ad finem ex-  
trinsecum, concedo min. &  
nego consequentiam. Virtutes  
morales, & charitas sunt spe-  
cies contentæ sub genere vir-  
tutis, & tamen illæ ordinantur  
ad charitatem: quia licet quæ-  
libet virtus habeat suum finē  
intrinsecum proprium; extrin-  
secè ordinantur ad charitatē,  
ut ad finem. Sic fransactio-  
ria ordinatur ad equestrem,  
hæc ad militarem, & tamen  
sunt species contentæ sub  
genere artis: ergo licet Logi-  
ca sit species &c.

25. Argues 1. Logica ne-  
quit acquiri per demonstratio-  
nem: ergo non est sciētia. Patet  
consequentia ex diffinitione  
sciētiæ. Antecedens probatur  
1. Demonstrans semper sup-  
ponit Logicam, cum fiat ex  
directione illius: sed Logica  
nequit acquiri per id, quod  
supponit illam, jam acquisi-  
tam: ergo &c. Secundò pro-

batur antecedens Demonstra-  
tio est *ex primis, veris, notio-  
ribus, causisque cōclusionis*. Sed  
circa objectum Logicæ non  
potest formari syllogismus ex  
primis, veris, notioribus, cau-  
sisque conclusionis: ergo Lo-  
gica &c. Probatur minor per  
singula. Objectum Logicæ  
sunt secundæ intentiones: sed  
circa secundas intēiones non  
potest formari syllogismus *ex  
primis*: ergo tenet minor  
quoad primā partem Quoad  
secundam sic. Objectum Lo-  
gicæ est quid fictum, cum sit  
ens rationis: sed circa obje-  
ctum fictum nequit fieri syllo-  
gismus *ex veris*: ergo &c.  
Quoad 3. Notiora sunt, quæ  
cognoscuntur cognitione di-  
recta, quàm quæ solùm co-  
gnitione reflexa: sed obje-  
ctum Logicæ solùm est attin-  
gibile cognitione reflexa: er-  
go circa objectum Logicæ ne-  
quit esse syllogismus *ex notio-  
ribus*.

Quoad ultimā sic. Demon-  
stratio debet esse per præmis-  
sas, quæ sint causa non solùm  
consequentia, sed consequen-  
tis: sed circa objectum Logi-  
cæ non potest dari causa con-  
sequentis: ergo nequit dari  
syllogismus *ex causis conclusio-  
nis*. Major patet, nam omnis  
syllogismus habet præmissas,  
quæ sunt causa consequentiæ,  
vel in inferendo, alioquin non  
esse

esset syllogismus; non tamen  
omnis syllogismus est demon-  
stratio: ergo quia demonstra-  
tio &c. Minor probatur. Cau-  
sa consequentis debet esse rea-  
lis, ad differentiam causæ con-  
sequentiæ, quæ est solùm causa  
per rationē: sed circa objectū  
Logicæ, quod est quid rationis  
& habet solùm per rationem  
passiones demonstrabiles, ne-  
quit dari causa realis: ergo  
nequit dari causa cōsequētis.

Confirmatur. Iuxta Phi-  
losophum scientia est tantum  
de rebus: sed Logica non est  
de rebus: ergo scientia non  
est; minor cum consequen-  
tia tenet, & major probatur.  
Scientia est cognitio rei per  
causam, ut constat ex diffini-  
tione Philosophi: ergo &c.  
Confirmatur 2. Scientia juxta  
nostrum Ægidium in Prologo  
ad lib. Elench. est de illis, quæ  
propriè & principaliter sunt  
objectum intellectus: sed sola  
entia realia sunt propriè, &  
principaliter objectum intelle-  
ctus, non autem secundæ intē-  
tiones de quibus agit Logi-  
ca: ergo Logica de eis agens,  
non est scientia. Cōfirmatur 3.  
Scientiæ sunt habitus intelle-  
ctuales perficientes intellectū  
in ordine ad principale obje-  
ctum illius: sed objectum prin-  
cipale intellectus est ens rea-  
le, non autem ens rationis,  
quod est objectum secunda-

rium intellectus: ergo Logi-  
ca agens de ente rationis, non  
est scientia.

26. Hoc argumentum  
quoad omnes ferè probatio-  
nes suadet, quòd objectū Lo-  
gicæ scientiæ non est ens ra-  
tionis: & hoc non est contra  
nos, qui, ut infra constabit, non  
ponimus pro objecto ens ra-  
tionis, aut secundas intēio-  
nes, sed conformitatem in-  
tellectus cum secundis in-  
tentionibus, & hæc est quid  
reale, & realis veritas forma-  
lis reflexa, supra explicata  
§. 2.

Respondeo neg. antece-  
dens, ad primam probationem  
antecedēis dist. maj. Demon-  
stratio artificiosè facta suppo-  
nit Logicam, concedo; de-  
monstratio naturaliter facta,  
nego maj. & concessa minori  
nego consequentiam. Prima  
demonstratio, qua acquiritur  
Logica non supponit Logi-  
cam, quare non fit artificiosè  
ex directione Logicæ, sed ex  
naturali lumine intellectus.  
Vel respondeo 2. quòd etiam  
prima demonstratio Logi-  
cæ fit ex directione Logicæ,  
non ex directione *signata*, sed  
*exercita*. Est dicere, quòd an-  
te primam demonstrationem  
Logicæ non existit Logica  
dirigens; ceterum existit in  
eodem instanti, quo fit de-  
monstratio illa, & exercitè ad  
illam

illam dirigit. Sic actus charitatis disponēs ad gratiam formatur à gratia, non à gratia præexistente, sed à gratia in eodem instanti existente, sed de hoc q. 4.

Ad 2. probationem antecedētis, uno verbo respōderi potest diffinitionē illam demonstrationis, sicut & scientiæ, datam à Philosopho, esse solius demonstrationis, & scientiæ directæ, non autem scientiæ, aut demonstrationis reflexæ. Logica est scientia reflexa; ejus objectum reflexum; quare demonstrationes circa objectum Logicæ sunt reflexæ: & sic nil contra eas concluditur ex diffinitione communi demonstrationis. Quia tamen ex communi diffinitione scientiæ, & demonstrationis probatur Logicam esse scientiam realem; ideò, eis admittis, respōdemus aliter concessa maj. negando minorem quoad omnes ejus partes.

27. Quoad primam admittis majori pro nunc, dist. min. circa secundas intentiones non potest esse syllogismus *ex primis*, ex primis intentionibus concedo min. *ex primis*, idest primis principiis lumine naturæ cognitis, nego min. & consequentiam. *Ly ex primis*, in diffinitione demonstrationis denotat, quod præmissæ debeat esse prima prin-

### De Proemialibus.

cipia, aut veritates lumine naturæ sine discursu notæ. Atqui circa secundas intentiones sunt etiam aliqua prima principia, lumine naturæ cognoscibilia; v. g. *Dici de omni. Dici de nullo.* Ergo Logica ex his principiis demonstrans rectitudinē syllogisticam, procedit *ex primis*.

Quoad 2. nego maj. & suppositū ejus in nostris principiis: nam in eis nec objectū Logicæ est ens rationis; nec ens rationis est quid fictum, ut dicemus libro 2. sed admittis majori juxta principia Thomistica: nego min. Nam dato quod ens rationis sit quid fictū, hæc tamen est propositio vera: *Ens rationis est quid fictum.* Ergo circa ens fictum potest syllogismus precedere *ex veris*.

Ad 3. dist. maj. notiora sunt directæ, quàm reflexæ; omnia directæ, nego; aliqua directæ, omitto maj. & concessa min. nego consequentiā. Objecta directæ quædam sunt cognoscibilia sine discursu, v. g. *Quodlibet est, vel non est;* & alia prima principia: quædam cum solo discursu sunt cognoscibilia. Sic inter objecta reflexa, quædam noscuntur sine discursu, ut *dici de omni*, & principia prima similia; alia cum discursu, ut passiones entis rationis, vel veritatis reflexæ

### Quæst. II.

flexæ. Si ergo comparantur prima principia directæ cum reflexis, tunc directæ sunt notiora reflexis. Si tamen comparētur principia reflexa cum objectis directis cognitis per discursum, tunc principia reflexa sunt notiora. Ratio est, quia illud est notius, quod sine discursu cognoscitur; & talia sunt prima principia reflexa: ergo Logica ex eis procedens, procedit ex notioribus.

Quoad ultimam, in nostris principiis nulla est difficultas, nam cum objectum Logicæ sit veritas reflexa, & hæc sit quid reale; verè est causa realis suarum passionū, & sic procedit Logica ex *causis realibus conclusionis*. At pro nunc admittis sententia de ente rationis, in forma respondeo concessa maj. neg. min. ad probationem ejus nego maj. Nam syllogismus circa ens rationis habet præmissas, quæ sunt causa consequentiæ, & consequentis, unice per rationem; sed diverso modo: nam sunt causa consequentiæ solum ratione formæ syllogisticæ; & sunt causa consequentis ratione materiæ, quia in præmissis ponitur essentia entis rationis, & in consequenti proprietates ejus: at essentia entis rationis est per rationem causa suarū proprietatū, & il-

las petit: ergo licet per rationem tantum, est tamen ratione materiæ causa consequentis.

Ad 1. confirmationem dist. maj. scientia naturalis, aut moralis, concedo; scientia rationalis, neg. maj. & sub eadem distinctione neg. consequentiam propter supra dicta. Ad 2. confirmationem, dic ibi probari nostram conclusionem de objecto Logicæ. Nam cum objectum principale intellectus sit veritas, Logica quæ est habitus intellectualis distinctus à directis, debet habere pro objecto aliquam veritatem, quæ non tangitur ab alijs scientijs. At sola est veritas reflexa, quæ à nulla alia scientia tangitur: ergo objectum Logicæ est veritas reflexa supra explicata. Respondeo directè dist. maj. scientia est de objecto principali intellectus, scientia directæ concedo, maj. scientia reflexa sub dist. de objecto principali directo intellectus. nego maj. de objecto principali reflexo intellectus, concedo maj. Tale est apud Thomistas ens rationis & apud nos veritas reflexa realis. Eadem distinctione solvitur 3. confirmatio, & simul probatur sententia nostra de objecto Logicæ, ut suo loco dicemus.

28. Argues 3. De objecto, non certò cognito, nulla scientia

scientia potest demonstrare passiones: sed objectum Logicae non est certò cognitum: ergo de illo Logica nil demonstrat, & sic non est scientia. Probatur minor. Illud objectum non est certò cognitum, de quo nõ cõstat esse ens reale, vel rationis: sed adhuc inter DD. hoc non constat: ergo &c. Secundo, dato quòd objectum Logicae sit ens rationis, tale non est simpliciter scibile: ergo Logica de illo agens, non est simpliciter scientia. Probatur antecedens. Quod non est simpliciter ens, non est simpliciter scibile: sed ens rationis non est simpliciter ens; ergo non est &c. Major patet, quia scibilitas est passio entis. Minor autem patet, quia ens rationis est ens fictum; quare fictitiè solum, & similitudinariè est ens.

Confirmatur: Scibilitas fundatur in conexione essentiae cum proprietatibus: sed conexio essentiae entis rationis cum suis proprietatibus non est simpliciter realis, sed ficta, & similitudinaria: ergo ens rationis non est simpliciter scibile. Major patet, & minor probatur. Talis est conexio, qualia extrema; sed ens rationis, & proprietates ejus, sunt quid fictum: ergo conexio est ficta. Secundo, nam conexio illa non est rea-

lis, sed quid rationis: ergo est ficta, sicut ipsum ens.

Responderetur ad argumentum instando in Philosophia, quae juxta Thomistas habet pro objecto ens mobile, juxta Aegidianos corpus mobile: ergo non constat certò de objecto; & sic Philosophia nullas poterit demonstrare de illo passiones; constat hoc esse falsum: ergo argumentum nil probat contra nos. Idem patet in Theologia nostra, cujus objectum juxta Thomistas est Deus sub ratione Deitatis, juxta Aegidianos Deus sub ratione Glorificatoris: ergo non est certò cognitum.

Dicendum constare de objecto Logicae sub ratione sufficienti ad demonstrandum passiones, quia sub ratione communi modi sciendi omnes DD. conveniunt in objecto Logicae. Dissident in explicando, an sit quid reale, vel rationis? Sed hoc per accidens se habet ut passiones modi sciendi demonstrantur: nam si sit objectum reale, passiones erunt reales, si rationis per rationem. In forma dist. maj. de objecto sub nulla ratione certò cognito, concedo; de objecto sub aliqua ratione non certò cognito, nego maj. & sub eadem distinctione negata min. nego consequentiã.

29. Secunda & tertia probatio non sunt contra nos, sed contra ponentes ens rationis pro objecto Logicae. Ea sententia admissa, respondeo cum communi Thomistarum doctrina, negando antecedens: ad probationem dist. maj. Quod non est simpliciter ens, non est simpliciter scibile, quod non est simpliciter ens absolutum, nego maj. quod non est simpliciter ens connexum cum proprietatibus, concedo, majorem, & dist. min. Ens rationis non est simpliciter ens, ens absolutum, concedo min. ens connexum, cū proprietatibus neg. min. & consequentiã ad probationem maj. dist. assumptum, scibilitas est passio entis, entis absoluti, neg. antecedens, entis connexi cum proprietatibus, concedo antecedens, & neg. consequentiã.

Dicunt Thomistae, & bene, quòd scibilitas non est passio solius entis simpliciter absoluti. Quia accidens absolute non est ens simpliciter, & tamen de quantitate datur scientia simpliciter, scilicet omnes Mathematicae; quare accidens est simpliciter scibile. Est ergo scibilitas passio entis connexi cum suis proprietatibus. Ex quo inferunt, quòd sicut accidens non est simpliciter ens absolutum, est

tamen simpliciter connexum cum suis proprietatibus, & sic simpliciter scibile. Sic ens rationis nõ est simpliciter ens, est tamè simpliciter scibile, quia ejus essentia cõnectitur simpliciter cum suis proprietatibus.


Hinc ad confirmationem quae solutioni datae obstat; cum eis responderetur, neg. min. ad probationem primam neg. maj. Quia essentia entis rationis, & proprietates ejus sunt quid fictum; conexio tamen inter utrumque non est ficta, sed vera, & simpliciter talis. Nam licet essentia rationis fingatur, at semel ficta, tam petit suas proprietates, quàm ens reale: & in hac exigentia fundatur conexio, & scibilitas. Ad 2. probationem minoris, concessio antecedenti, scilicet quòd conexio illa est quid rationis, negatur consequentiã à Thomistis, negant enim quòd conexio illa sit quid fictum. Est enim quid quid verum, & simpliciter tale, ut expressè docent Thomistae, vide Mag. Palanco q. 10. Proem. numero 13.

Fatemur difficultatem doctrinae, nec facile capies quomodo extrema sunt ficta, & conexio sit vera. Quomodo conexio sit quid rationis, & non sit ficta, cum apud Thomistas ens rationis consistat in esse ficto, nec detur aliud



verum inter verum reale & rationis. Sed hæc observa ex Thomistis pro nostro libro de ente rationis, ubi ex his, & alijs principijs probabimus, quòd ens rationis cum fundamento, non est quid fi-

um, sed quid verum; modo quo juxta Thomistas hæc connexio entis rationis cum suis proprietatibus, quid rationis est, sed non fictum, sed verum, & hæc de q. ista.



## QUESTIO TERTIA.

*Vtrum Logica sit practica, vel speculativa?*

### §. I.

*Quibusdam notatis referuntur sententiae.*

**P**Racticum dicitur à *praxi* sicut speculativum à speculatione; quapropter ante resolutionem quæstionis principalis videndum est quid sit praxis, & an possit dari in intellectu? Praxis diffinitur à Scoto, *Opus alterius potentiae ab intellectu.* Quam diffinitionem multi Thomistæ amplectuntur, & eam confirmat Bajona ex D. Thoma 1. p. q. 57. art. 1. ad primum ubi ait: Duplex est opus aliud interius, aliud exterius. Practicum ergo vel operativum, quod dicitur contra speculativum, sumitur ab opere exteriori. Sed clarius ibi art. 2. & q. 14.

de veritate artic. 4. ubi ait: „Sola extensio ad opus facit aliquem intellectum esse practicum. Extendi, est extra se tendere: sed intellectus solum tendit extra se, quando versatur circa actus alterius potentiae distinctæ: ergo praxis juxta D. Thomam est actus alterius potentiae ab intellectu. Eandem sententiam docent quàm plures Thomistæ, juxta quos praxis nequit esse in intellectu, benè verò in voluntate, & alijs potètijs interioribus, & externis. Quare nullus actus intellectus potest dici praxis; benè verò practicus, & est ille per quem intellectus extenditur ad actus aliam

rum potentiarum dirigendos.

A contrario Suarius, Vazquez, & plures D. D. Societatis impugnant diffinitionem praxis datam à Scoto, tenentes, quòd quæcumque operatio (etiam intellectus) regulis directæ, est praxis. Fundantur primò, quia per actus etiã intellectus, sic directos, regulæ reducuntur ad praxim: ergo omnis actus regulis directus est praxis. Secundò: Nam prudentia dictans studium, est practica: sed denominatur practica à praxi dictata: ergo actus intellectus, regulis prudentiæ directus, est praxis. Tertiò: Actus quilibet scientiæ practiciæ est praxis: & tamen non est opus alterius potentiae ab intellectu: ergo &c.

2. Vt in hoc dubio Ægidianam sententiam explicemus notandum cum nostro Gavardi q. 1. Proëm. art. 6. quòd *Praxis* est nomen græcum derivatum à verbo *Præctō*, quod est idem ac *factito* significans facere cum impetu, & magno motu. Quare *praxis* hoc modo significat actionem externam, & corporalem, quæ sola cum motu, & impetu fit.

Noster Toletanus q. 9. Prologi, Praxim sumit tripliciter, scilicet *late*, *proprie*, & *propriissime*. Praxis *late* est quæcumque operatio intellectus,

vel voluntatis. In hoc sensu D. Thomas 1. 2. q. 57. art. 3. ad tertium, in scientijs speculativis admittit *aliquid per modum cujusdam operis*: putà facere syllogismos: nam licèt sint opus intellectuale, sunt tamen factio aliqua, & sic late praxis.

Praxis *propriissima* non est quæcumque operatio, sed sola, quæ versatur circa externam materiam. Ita N. Ægidius in 2. Sententiarum dist. 21. q. 2. art. 1. dub. 3. litt. & in Prologo ad Cantica canticorum; ubi ait: *Scientia practica ordinatur principaliter ad opus exterius: & ideo scientiæ Politicæ practiciæ nominantur.* En scientia practica dicta à praxi ordinatur ad opus exterius: ergo quia juxta nostrum Doct. praxis propriissima est opus exterius. Eandem doctrinam docet D. Thomas in prima autoritate allegata, dicens practicum sumi ab *ab opere exteriori*.

Praxis *propria*, & quasi media inter latam, & propriissimam, est operatio quæ est in potestate voluntatis. Ita colligitur ex Aristoteles. Ethicorum cap. 1. ubi ait, quòd omnis actus humanus, qui propriè habet rationem praxis, est electio voluntatis, vel sequens electionem. Quare actus voluntatis, vel etiam actus intel-



lectus ut imperatus à volū-  
te, & factus ex electione vo-  
luntatis praxis est propria.

Hoc ultimum probatur.  
Speculatio, ut actus est intel-  
lectus, & manet intra limites  
ejus, non dicitur bona, vel ma-  
la; sed vera, aut falsa, quia  
objectum intellectus est verū:  
non autem bonum: at specu-  
latio (& idem de quocumque  
actu intellectus, aut alterius  
potentiæ) ut cadit sub electio-  
ne voluntatis, est bona, vel  
mala; imò est bona moraliter  
dum est actus studiositatis, ut  
docet S. Thomas 2. 2. q. 47.  
art. 2. ad secundum: ergo ac-  
tus intellectus, & quæcum-  
que operatio sequitur electio-  
nem voluntatis, est praxis pro-  
pria, ut contradistincta à spe-  
culatione pura.

3. Hinc constat diffi-  
nitionem Scoticam non subsi-  
stere, nec DD. eam sequentes  
ut D. Thom. id probare. Nam  
vel diffinitio praxis intelli-  
gitur de *lata*; & tunc est di-  
minuta, quia actus intellectus  
sunt praxis *lata*, & aliquid per  
modum cujusdam operis, ut  
vidimus ex D. Thoma. Vel est  
sermo de praxi *propriissima*, &  
tunc etiam convenit alijs à dif-  
finito, nam convenit diffini-  
tio actibus voluntatis, & isti  
non sunt praxis *propriissima*,  
quia non sunt actus externi, &  
opus exterius. Vel tandem dif-

finitio est praxis *propria*, &  
tunc etiam est diminuta, si-  
quidem non convenit actibus  
intellectus, cadentibus sub po-  
testate, & electione volunta-  
tis; & ut sic sunt praxis *pro-  
pria*.

Nec subsistit diffinitio  
RR. Societatis, quorum fun-  
damenta non suadent intentū,  
nec adversantur divisioni pra-  
xis à nobis traditæ. Ad primū  
dist. antecedens: Per actus in-  
tellectus directos regulæ re-  
ducuntur ad praxim, regulæ  
operandi, nego antecedens:  
regulæ speculandi, concedo  
antecedens, vel dist. secundam  
partem antecedentis, reducū-  
tur ad praxim *latam*, conce-  
do, ad praxim *propriam*, aut  
*propriissimam*, nego anteced.  
& consequentiam. Nulla est  
sciētia quæ non syllogizet re-  
gulis directis: ergo si syllogiz-  
mus sic directus est praxis, nul-  
la erit sciētia quæ non sit  
practica, quod est falsum. Re-  
gulæ syllogizandi sunt regulæ  
speculandi; & dum istæ redu-  
cuntur ad praxim, non redu-  
cuntur ad praxim propriam,  
vel propriissimam, sed ad *la-  
tam*: quo sensu speculatio pra-  
xis est.

Ad secundum fundamen-  
tum concedo maj. & min. imò  
& consequentiam, quæ non est  
contra nos, sed pro nobis un-  
de dist. consequens: ergo actus  
intel-

Intellectus regulis prudentiæ  
directus, est praxis, *propriissi-  
ma*, nego consequentiam pro-  
pria subdist. ratione sui, vel  
ratione solius prudentiæ, ne-  
go consequentiam, ratione vo-  
luntatis imperantis talem ac-  
tum, concedo consequentiā.  
Diximus quòd praxis *propria*  
est vel actus voluntatis, vel  
sequens electionem volunta-  
riam. Cùmque actus directus  
à prudentia, imperatur à vo-  
luntate, praxis est propria, &  
prudentia ipsum dirigens est  
practica.

Ad tertium nego maj.  
Actus enim sciētiæ practicæ  
est practicus, sed non est pra-  
xis, nisi *latè*, ut est operatio.  
Est practicus, quia ordinatur  
in sciētia practica ad opus  
exterius, ut speculationes Me-  
dicæ ad externam sanitatem.  
At nō est praxis *propriissima*,  
quia non est opus exterius;  
nec propria, quia ex se non  
est in potestate voluntatis,  
nec ad eam sequitur.

4. Actum est de pri-  
mo dubio, & nisi contentio sit  
de nomine, explicatū est quid  
sit praxis. Restat aliud dubiū,  
scilicet an detur praxis in in-  
tellectu? Negant Thomistæ,  
& Scotistæ: affirmant nomi-  
nales, & multi D. D. Societa-  
tis. Ex dictis facilè solvitur  
dubium. Nam si sermo est de  
praxi *lata*; datur in intellectu.

Probatur. Quia praxis *lata* est  
quæcumque operatio: sed in  
intellectu dantur operationes:  
ergo datur praxis *lata*. Si de  
praxi *propriissima*, dicendum  
est non dari in intellectu. Pro-  
batur talis praxis est opus ex-  
terius; sed opera intellectus  
non sunt exteriora, sed inter-  
na: ergo in intellectu non est  
praxis *propriissima*. De praxi  
*propria* dicendum dari extrin-  
secè in intellectu. Probatur.  
Praxis propria est actus volū-  
tatis, vel sequens electionem  
ejus: sed actus intellectus, li-  
cèt intrinsecè sint speculatio,  
sequuntur electionem volun-  
tatis, & ab ea denominantur  
boni, studiosi, & voluntarij:  
ergo extrinsecè sunt praxis  
*propria*, & sic datur in intel-  
lectu.

Nota, quòd Thomistæ  
ut salvent quòd praxis est o-  
pus alterius potentiæ ab intel-  
lectu, & quòd in intellectu  
non est praxis, dicunt, quòd  
actus intellectus imperati à vo-  
luntate sunt praxis *propria*: ce-  
terum sunt actus alterius po-  
tentiæ ab intellectu, quia licèt  
à voluntate non sint elicitivi,  
sunt tamen ab ea imperati-  
vi. Nolumus contendere de  
hoc: satis nobis sit tales actus  
elici à solo intellectu, & tamē  
dici praxis *proprie* dum impe-  
rantur à voluntate.

5. Deinde supponen-  
dum

dum est scientiam practicam differre à speculativa ex fine, ex objecto, & ex modo operandi. Ex fine, quia finis speculativæ est veritas, practicæ verò opus. Ita docetur ab Arist. lib. 2. Metaphysicæ cap. 2. *Finis speculativæ est veritas, practicæ verò opus.* Et lib. 2. Eth. cap. 1. probat scientiam moralem esse practicam, quia *non perscrutamur quid sit virtus, ut sciamus; sed ut operemur, & boni simus*

Ex objecto differunt, quia practica respicit pro objecto operabile, ut operabile: speculativa autem respicit speculabile; vel si aliquando respicit operabile, non ut operabile, sed ut speculabile. Respicere operabile, ut operabile, est respicere illud sub dictamine dictante modum quo est faciendum operabile. v.g. *Triangulus fieri debet ex tribus angulis.* En operabile, ut operabile, quia triangulus operabilis est, & respicitur sub dictamine, & regulis quibus est faciendum. Si tamen dicas: *Triangulus constat tribus angulis:* Intellectus respicit triangulum operabilem, sed non ut operabilem, quia non præscribitur modus quo faciendus sit. Observa quòd scientia practica respicit objectum operabile ab ipso sciente. Quare scientia, quam Deus habet de peccatis nostris, non

est practica, quia licet peccatum sit operabile, non tamen à Deo sciente peccata; & sic talis scientia est speculativa.

Tandem ex modo procedendi differunt, quia speculativa procedit modo resolutorio; practica verò modo compositivo. Est dicere quòd speculativa procedit resolvendo conclusiones in sua principia; non sic practica, quæ procedit dictando modum, quo construendum, & formandū, sit ejus objectum. Et cum modus resolutivus sit perfectior compositivo; ideo scientiæ speculativæ sūt perfectiores practicis.

6. His suppositis, tot sunt sententiæ in præsentia quæstione, quot possunt esse. Eas sigillatim cum suis fundamentis proponemus. Prima sententia dicit Logicam non esse propriè speculativam, nec practicam. Sic Zabarella, Pereira, Niger, Vallius: quibus novissimè adhæret N. Gavardi q. 1. Proëm. art. 6. dicens Logicam neutrum esse simpliciter, sed esse instrumentalem, & organicam facultatem, quæ reductivè potius est speculativa, quàm practica.

Fundatur 1. Quia quod non est scientia, non potest suscipere denominationem scientiæ: sed Logica non est scientia; & ratio practici, &

fre.

speculativi, sunt denominationes scientiæ, ut docet Philosophus 6. Metaphysicæ cap. 10. ergo Logica nec est practica, nec speculativa. Confirmatur ex Philosopho 1. Metaphysicæ textu 1. & 2. ubi dividens, & numerans scientias speculativas, & practicas, nullam fecit mentionem Logicæ: ergo quia sentit Logicam non esse speculativam, aut practicam. Confirmatur 2. Quia lib. 1. Topicorum cap. 9. & 12. ait: *Problemata Logica nec esse speculativa, nec practica, sed adimiculantia:* ergo secundum Arist. Logica neutrum est, sed merum instrumentum aliarum scientiarum, eis deserviens.

Secundum fundamentum commune est. Logica deservit scientiis practicis, & speculativis, ut instrumentum, quo acquiruntur: ergo nec est habitus practicus, nec speculativus. Patet consequentia quoad primam partem, quia habitus practicus nequit deservire habitui speculativo, cum nullus speculativus utatur habitu practico ad speculandum. Patet quoad secundam, quia habitus nobilior non potest deservire ignobiliori: sed habitus speculativus est nobilior practico: ergo si Logica deservit scientiis practicis, nequit esse habitus speculativus.

Tertio probatur à nostro

Gavardi ex P. Augustino lib. 2. de Ordine cap. 12. ubi de „ Logica dicit: *Quando ergo transiret ad alia fabricanda, nisi ipsa prius, quæ „ si quædam machinamenta, „ & instrumenta dirigeret, „ notaret &c.* Hæc docet „ docere, docet scire &c. Ex quo sic. *Habitus ordinans suum objectum ad alia objecta, non est speculativus, vel practicus: sed instrumentalis: sed Logica est hujusmodi: ergo nec practica, nec speculativa est, sed instrumentalis.*

Probatur idem per partes: & primò quòd non sit habitus speculativus. Nam talis sistit in contemplatione sui objecti, nec ordinatur ad aliud: sed Logica ordinatur ad alias scientias: ergo non est speculativa. Secundò: Scientia speculativa juxta Arist. est *gratia sui:* sed Logica non est gratia sui, sed propter alias scientias: ergo idem. Tertio: Scientia speculativa non est factiva sui objecti, sed Logica est factiva syllogismi, qui est objectum Logicæ: ergo &c.

Quòd autem non sit habitus practicus, probat. Quia talis ordinatur ad aliquam actionem externam: sed Logica non ordinat suum objectum ad actiones externas: ergo non est propriè practica,

minor

Minor probatur. Logica ordinat suum objectum ad alias scientias: sed actus aliarum scientiarum, sunt actus intellectus, & sic non externi, sed interni: ergo.

Quòd autem sit habitus instrumentalis probatur. Nam habitus ordinans suum objectum, ut instrumentum ad acquisitionem aliarum, est instrumentalis: sed objectum Logicæ est syllogismus, qui ordinatur ut instrumentum ad acquisitionem aliarum scientiarum: ergo est habitus instrumentalis. Major patet, quia ab objecto sumunt habitus essentialiter suam denominationem essentialem. Minor etiam, quia aliæ scientiæ non possunt à nobis acquiri, nisi per discursum syllogisticum.

Tandem, quòd sit reducenda Logica potius ad speculativas probat Gavardi ex nostro Ægidio in Prologo Post. ubi docet quòd Logica, & Rhetorica deferviunt alijs scientijs, sed Logica potius speculativis, & Rhetorica practicis, quia ad eam spectat persuadere virtutes morales esse tenendas, & bona moralia facienda: ergo Logica potius reducenda est ad speculativas.

7. Secunda sententia per oppositum docet Logicam esse simul practicam, &

speculativam. Ita Suarius, Bazquez, Rubius, & alij. Ex nostris etiam Landon. Fundatur primò. Quia Logica procedit modo resolutorio, dum conclusionem reducit in illa principia *Dici de omni: dici de nullo*; & modo compositivo dum dat regulas, & construit syllogismum: sed scientia procedens resolutorie, est speculativa; quæ procedit compositivè, est practica: ergo Logica utroque modo procedens, est simul practica, & speculativa.

Secundò: Logica juxta D. Thomam est directiva intellectus, ne erret in suis operationibus: sed quædam operationes intellectus sunt speculativæ, quædam practicæ: ergo Logica sic dirigens, est simul practica, & speculativa.

Tertiò: Logica acquiritur propter alias scientias; unde finis Logicæ est finis aliarum scientiarum: sed finis aliarum scientiarum, est speculatio, & praxis: ergo & Logica; sed scientiæ à fine ultimo dicuntur speculativæ, aut practicæ juxta Aristotelem: ergo Logica à suo duplici fine, dicenda est simul practica, & speculativa.

8. Tertia sententia docet Logicam esse simpliciter practicam, & secundum quid speculativam. Ista ex nostris,

Aris. Ariminensis, Venetus Saxonia, & Lusitanus. Ex alijs etiam plures præcipuè moderni Societatis. Fundatur primò, quia scientia speculativa quaeritur propter se, & gratia sui juxta Arist. sed Logica acquiritur propter alias scientias: ergo non est speculativa, sed practica simpliciter. Secundò, scientia speculativa est perfectior practica: sed Logica non est perfectior Medicina v. g. ergo non est speculativa. Tertiò scientia speculativa non est factiva sui objecti; & idè scientia media dicitur à suis AA. speculativa, quia supponit suum objectum, quod minimè facit: sed Logica non supponit factum suum objectum, sed facit, scilicet syllogismum, & modum sciendi: ergo.

Confirmatur. Logica ordinatur ad constructionem syllogismi, ut ad ultimum finem: ergo ejus finis est opus: ergo est practica. Prima consequentia tenet, facere enim syllogismos est operari. Secunda patet ex dictis, quia finis scientiæ practicæ est opus: ergo si finis Logicæ est opus, erit practica simpliciter.

Quòd autem sit aliquantulum speculativa, probant, quia Logica construens syllogismos, contemplatur veritatem repertam in illo artefacto: er-

go est aliquantulum speculativa.

9. Quarta sententia docet Logicam esse simpliciter speculativam, & secundum quid practicam, quia ut ait D. Thomas 1. 2. q. 57. art. 4. reperitur in ea aliquid per modum casualis operis. Ita communiter Thomistæ & Scotistæ: estque cõmunior inter DD. ex nostris illam tenet cum P. Ang. no lib. 8. de Civitate Dei cap. 4. & Ægidio in Prolog. ad Porphy. Gerardus, Argentinas, Toletanus, & alij, quos citat; & sequitur N. Villanova disp. 1. Proëm. dub. 9. cap. 3.

Eam probat Bajona primò ex D. Thoma, de quo infra. A ratione sic. Opus ad quod dirigit Logica non est praxis: ergo nec Logica est practica. Probatur antecedens. Opus ad quod dirigit Logica, non est actus alterius potentia ab intellectu; Logica non dirigit ad syllogismum, & alios modos sciendi, qui sunt opus intellectus: ergo non est praxis. Patet consequentia, quia praxis est opus alterius potentia ab intellectu.

Secundò: Scientia, cujus finis est rectè speculari, non est practica: sed finis Logicæ est rectè speculari: ergo Logica est speculativa simpliciter. Probatur minor. Finis Logicæ est ordo & dispositio actuum intellectus, ut conformentur

cum regulis artis : sed hæc conformitas cum regulis Logicæ nil est aliud , quàm rectè speculari : ergo.

Confirmatur: Speculatio, & modus speculari, non sunt praxis : sed cognoscere objecta modo artificiofo, solum importat speculationem, & modum speculari : ergo in cognitione ordinata à Logica nihil reperitur quod sit praxis. Major de speculatione constat, de modo patet, quia modus sapit naturam rei, cuius est modus.

Tandem actus intellectus practici sunt tales, ut per eos intellectus cognoscat, ut operetur : sed per actus Logicæ non cognoscit intellectus, ut operetur, sed ut contempletur : ergo non sunt practici, & consequenter nec Logica quæ est speculativa simpliciter.

## §. II.

*Nostra sententia proponitur, & probatur.*

10. **D**icendum est contra AA. quartæ sententiæ Logicam esse simpliciter speculativam, & secundum quid practicam. Probatur primò ex Philosopho, & P. Augustino. Nam juxta Arist. 2. Metaphisicæ cap. 1. finis sciē

*De Proemialibus.*

tiæ speculativæ est veritas: sed juxta P. Augustinum finis Logicæ est veritas : ergo juxta utrumque Logica est simpliciter speculativa. Major patet ex verbis Philosophi, quæ sunt hæc, *speculativæ autem finis veritas, practicæ verò opus.* Et ut alia translatio habet, *præctica autem bonum.* Minor docetur à S. P. lib. de principijs Dialecticæ cap. 4. dicente: *Nunc propter veritatem judicandam, quod Dialectica profertur.* Ly propter denotat causam finalem, & illam dicit esse veritatem.

Idem docet S. P. N. lib. 8. de Civitate Dei cap. 4. ubi studium sapientiæ dicit habere tres partes, unam moralem, quæ maximè in actione versatur: alteram naturalem, quæ contemplationi deputata est: tertiam rationalem, quæ verum discernit à falso: quæ licet utrique, id est actioni, & contemplationi, sit necessaria, maximè tamè contemplatio perspectionem sibi vendicat veritatis. Hoc testimonium supra expendimus, ut eo probarem Logicam esse scientiam rationalem: illud reproducimus ad probandum esse speculativam, nam in eo S. P. reducit Logicam ad scientias naturales datas contemplationi veritatis : ergo quia finis

*Quæst. III.*

nis Logicæ discretivæ veri à falso, est contemplatio veritatis, & sic est speculativa simpliciter.

Secundò probatur conclusio nostra ex D. Thoma 1. 2. q. 51. art. 4. ad tertium dicente: *Etiā in scientijs speculativis alia rationalis scientia est Dialectica, quæ ordinatur ad inquisitionem veritatis; & alia scientia demonstrativa, quæ est veritatis determinativa.* En Logica ordinatur ut ad finem ad veritatem inquirendam: sed scientia cujus finis est veritas, est speculativa: ergo Logica simpliciter est speculativa.

Tertiò probatur conclusio ex nostro Ægidio 1. Priorum cap. 2. ad illa verba: *Dicimus autem scire, & per demonstrationem intelligere; supra quæ dicit Doctor N. Quia demonstratio est quoddam organum, & quoddam instrumentum, quo utitur intellectus ad intelligendum veritatem conclusionum, oportet quod ipsum scire, ad quod ordinatur demonstratio, & quod est per demonstrationem, sit demonstrationis finis.* En juxta Ægidium, quia demonstratio ordinatur ad scire, ipsam scire est finis demonstrationis: ergo cum demonstratio vel syllogismus sit ob-

jectum, & finis Logicæ, finis Logicæ est scire. At sola scientia simpliciter speculativa est propter scire, ut cum Philosopho docet pluries Doctor noster; ad differentiam practicæ, quæ est propter operari: ergo juxta nostrum Ægidium Logica est simpliciter speculativa.

11. A ratione probatur. Scientia, cujus finis est speculatio, & inquisitio veritatis, est speculativa simpliciter: sed Logica est hujusmodi: ergo est simpliciter speculativa. Major patet, quia talis scientia habet pro fine veritatem. Minor probatur. Munus Logicæ juxta P. Augustinum D. Thomam, & B. Ægidium laudatos supra, & allegatos, est discernere verum à falso: sed finis intentus in ista discretionem, est inquisitio, & speculatio veritatis; sicut finis prudentiæ discernentis virtutem à vitio, est inquisitio virtutis: & finis Theologiæ moralis discernentis opera recta à peccaminosis, est praxis rectitudinis: ergo finis Logicæ est speculatio, & inquisitio veritatis.

Secundò: Habitus perfectiens intellectum, ut speculativum, est simpliciter speculativus: sed Logica est perfectio intellectus, ut speculativi: ergo est simpliciter speculativa. Major patet, quia ha-

bitus practicus non perficit intellectum, ut speculativum. Minor probatur primò. Intellectus, ut speculativus, est indagator veritatis: sed Logica perficit intellectum, ut sic indagatorem; præbet enim modos sciendi, & indagandi veritatem; præscribitque ei regulas diffiniendi, dividendi, & argumentandi, quibus veritas indagatur: ergo.

Secundò probatur minor. Intellectus ut speculativus, respicit verum, ut verum; non autem verum ut bonum; nec verum ut agibile & operabile: sed Logica perficit intellectum in ordine ad verum ut verum, non autem in ordine ad verum ut bonum, nec ad verum, ut agibile: ergo Logica perficit intellectum, ut speculativum. Major patet, quia verum ut verum, est objectum intellectus, & limes ejus, verum ut bonum, est extra limites intellectus; item verum ut agibile, est pertinens ad potèntias activas; sola. n. extensione fit intellectus practicus; ut vidimus ex D. Thoma §. 1. Minor probatur. Logica non perficit intellectum ut directivum voluntatis, & aliarum potentiarum; intellectus sic directivus est qui respicit verum ut bonum, & ut agibile: ergo Logica &c. Hæc ratio est nostri Ægidij in Prologo Phi-

losophias; ad illa verba: Objectum autem potentie intellectivæ est verum, & per se intellectus fertur in veritatem; si autem fertur in bonum non est per se, sed ut habet ordinem ad voluntatem.

12. Confirmatur ex nostro Doctore ibidè dicente: Scientia autem practica, quæ in ipsum eligibile, vel artificiatum tendit, non est in intellectu secundum se, sed ut habet ordinem ad appetitum. Sed Logica est in intellectu secundum se, & non in intellectu, ut habet ordinem ad voluntatem: ergo non est practica, sed speculativa: Major est nostri Ægidij, & etiam D. Thomæ numero 1. allegati, ubi docet quòd sola extensio facit intellectum practicum; quare intellectus secundum se manet intra verum, & scientiæ hoc modo perficientes intellectum, sunt speculativa. Minor probatur. Nã Logica est in intellectu, ipsum dirigens ad vitandum errorem; error autem opponitur veritati, & sic intellectui secundum se. Item Logica non est in intellectu ad vitandum malum, oppositum bono, quòd est objectum appetitus ergo Logica est in intellectu secundum se &c.

Dices: Medicina est scientia

practica apud omnes: & tamen non est in intellectu, ut dicit ordinem ad appetitum, sed in intellectu secundum se: ergo principium Ægidianum, unde prabamus Logicam speculativam, non tenet. Respondeo negando minorem. Objectum enim medicinæ est corpus, ut sanabile; quare est formaliter sanitas ipsa, finis, & objectum medicinæ. At sanitas intenta, licet ab intellectu attingatur sub ratione veri, est tamen verum bonum appetibile, & sic dicens ordinem ad appetitum: ergo Medicina est habitus in intellectu, ut dicente ordinem ad appetitum.

Tandem probatur. Scientia cujus formale objectum est veritas, habet pro fine veritatem, & sic est simpliciter speculativa: sed Logicæ objectum formale est veritas: ergo est simpliciter speculativa. Major patet, quia vel in scientiis finis intrinsecus, & objectum formale sunt idem, ut docetur à nostro Villanova; vel saltem quale est objectum formale, talis est finis. Minor latè probabitur infra, quæstione de objecto formali Logicæ, & suadetur pro nunc doctrina data q. 1. §. 1.

Confirmatur: Scientia quæ solum demonstrat veritatem, non autem bonitatem,

est speculativa: sed talis est Logica ergo idem: probatur min. ex P. Augustino lib. 1. contra Cresconium cap. 20. dicente: Hanc enim artem, quam Dialecticam vocant, quæ nihil aliud docet, quàm consequentia demonstrare, seu vera veris, seu falsa falsis & nota ly nihil aliud docet, &c.

13. Iam verò, quòd Logica sit practica secundum quid. Probatur primò ex P. Augustino ubi proximè vocante Logicam artem, quia scilicet facit sua artefacta; ut demonstrat consequi vera ex veris, falsa ex falsis; artefacta illa sunt syllogismi. Tum ex D. Tho. 1. 2. q. 57. art. 3. ad 3. docente quòd in speculabilibus est aliquid per modum ejusdem operis, putà constructio syllogismi. Tum ex nostro Ægidio 1. Posteriorum, & locis supra datis, hoc modo vocante Logicam modum sciendi, & instrumentum scientiarum, quatenus eis ministrat artefacta diffiniendi, dividendi, & argumentandi: sed hæc instrumenta non sunt praxis propriè, aut proprijsimè, sed latè, ut constat ex dictis supra numero 1. ergo Logica

impropriè, & latè est

practica secundum quid.

(?)

## §. III.

*Expenduntur alia sententia  
cum suis fundamentis.*

14. **A**D fundamenta primæ sententiæ respondemus, & ad primum positum numero 6. Concessa maj. disting. min. sed Logica non est scientia, naturalis, aut moralis, concedo; non est scientia rationalis, nego min. & consequentiam. Quæstione præcedenti probatum est Logicam esse scientiam rationalem: ergo merito hæc est asserendum eam esse vel practicam, vel speculativam. Quare negare utrumque, quia Logica non est scientia, est negare ob principium nobis falsum juxta dicta quæstione præcedenti. Imò fundamentum hoc habet majorem dubium. Nam sunt quædam denominationes quæ solum conveniunt scientiæ, v. g. acquiri per demonstrationem; de his est certum, quòd nequeunt convenire habitui, qui non sit scientia. At ratio practici, & speculativi non est talis, nam convenit intellectui secundum se; prudentiæ, & alijs habitibus: ergo adhuc dato quòd Logica non esset scientia, non ideò deberet ei negari vel determi-

*De Proemialibus.*

natè esse practicam, vel determinatè speculativam, vel utrumque. Ad primam confirmationem dic Philosophum ibi, & 6. Metaphisicæ cap. r. divisisse scientias directas, inter quas nõ est Logica quæ reflexa est, ut vidimus. Loquendo de scientijs directis, non dantur nisi tres scilicet Philosophia Metaphisica, & Mathematica, quæ sunt speculativæ, tres item practicæ, scilicet Ethica, Politica, & œconomica. Ceterum si divisisset scientiam ut sic, quatenus comprehendit directas, & reflexas, numerasset Logicam, cum de mente Philosophi probatum sit eam esse speculativam. Ad secundam confirmationem ex Philosopho, concessio antecedenti, nego consequentiam. Disparitas est, quòd Problemata Logicæ non sunt scientia; nam scientia est ad unum determinata; Problema disputatur in utramque partem, & sic est indifferens ad utrumque probabile. Licet ergo Problema logicum non habeat finem proprium, sed extrinsecum, scilicet ejus ad quod ordinatur; at Logica ut scientia ad unum determinata, scilicet ad veritatè reflexam, habet finem intrinsecum, scilicet hanc veritatem: unde est determinatè simpliciter speculativa.

*Quæst. III.*

15. Ad secundum fundamentum numero 6. positum dist. antecedens. Logica deservit scientijs practicis, & speculativis & deservit ex indigentia sui, nego antecedens, ex sufficientia, & perfectione sua: concedo antecedens, & nego consequentiam quoad secundam partem. Ad probationem hujus secundæ partis dist. majorem, habitus nobilior nequit deservire ignobiliori, ex indigentia nobilioris, concedo maj. ex sufficientia nobilioris, nego maj. & concessa min. nego consequentiam.

Mathematica, quæ juxta Philosophum, & omnes DD. est scientia speculativa, dirigit plures artes practicas, quare illis deservit, sicut Logica scientijs. Hoc ideò, quia non deservit illis ex indigentia sui, sed ex sufficientia, & perfectione. Non enim Mathematica indiget artibus practicis, ut suum objectum attingat, & contempletur: sed potius est ita perfecta, ut se sola sufficiat plures artes dirigere. Sic Logica non pendet ab alijs scientijs, nec eis indiget, ut suum objectum attingat: quin imò reliquæ scientiæ pendent à Logica ita perfecta, ut non solum sibi, sed alijs sufficiat. Quare sicut Mathematica artibus, sic Logica scientijs deservit, non ex indigen-

## §. III.

tia, sed ex sufficientia, cum quo stat esse habitum nobiliorem practicis directis.

16. Ad tertium fundamentum nostri Gavardi numero 6. positum concessa auctoritate P. Augustini, de cuius mente satis constat tum hic, tum quæstione antecedenti, dist. maj. habitus ordinans suum objectum & ex indigentia, omitto maj. ordinans ex sufficientia, nego maj. & sub eadem dist. negata min. nego consequentiam. Non enim Logica ordinat suum objectum ad alias scientias ex indigentia sui, sed ex sufficientia; ipsa enim ut demonstrat passionem de suo objecto; item ut veritatem ejus contempletur scientificè, non indiget alijs scientijs. Foret autem habitus purè instrumentalis, si non haberet aliud officium, quàm dirigere alias scientias. Ceterum cum ex se habeat demonstrare consequentia vera ex veris, falsa ex falsis, & discernere verum à falso in propria materia, ut ostensum est q. antecedenti: ideò non est habitus instrumentalis, sed scientificus, & rationalis. Quare debet esse speculativus simpliciter.

Ad secundam rationem Gavardi ibi appositam nego primam partem, scilicet quòd non sit habitus speculativus.



Ad primam probationem in contrarium, data distinctione respondetur in forma, & in materia dicimus, quod sicut Mathematica est speculativa, & non sinit in cōtemplatione sui objecti, sed transit ad dirigendas artes practicas, sic Logica scientias, nec hoc est contra rationem speculativæ scientiæ, sed perfectio ejus, cum non ordinetur ex indigentia, sed ex sufficientia.

Ad secundam probationem aliqui respondent, quod Logica est *gratia sui* primariò, licet secundariò sit propter alias scientias. At hæc solutio contradicit D. Thomæ 1. Metaphysicæ lectione. dicentis de Logica: *Non queritur propter se, sed ut introducantur ad alias scientias.* Eandem doctrinam habet N. Ægidius, ut multis observat Vilanova hic.

Respondemus intellectum acquirere scientias, ut eis adjuvetur ad perceptionem sui objecti, quare, ut docet Ægidius in Prologo Philosophiæ, finis scientiarum est finis intellectus. Intellectus sicut habet duplicem tendentiam, directam, & reflexam, sic habet duplicem finem, scilicet veritatem directam, & veritatem reflexam. Attento fine directo intellectus, Logi-

ca non acquiritur gratia sui, quia Logica in se, & intra limites sui objecti, non attingit veritatem aliquam directam, quare relatè ad veritates directas Logica acquiritur propter alias scientias, & in hoc sensu loquuntur Philosophus, D. Thomas, & B. Ægidius. Attento fine reflexo intellectus Logica acquiritur gratia sui, quia ex se, & sine dependentia ab alijs scientijs, contemplatur veritatem reflexam, & adjuvat intellectum sola, sicut aliæ scientiæ relatè ad veritatem directam. In forma concessa maj. dist. min. sed Logica non est gratia sui, relatè ad veritatem directam, & finem directum intellectus, concedo min. rel. tē ad veritatem reflexam, & finem reflexum intellectus, nego min. & consequentiam.

Ad tertiam probationem dist. maj. scientia speculativa sui objecti non est factiva, media actione, quæ sit speculatio, nego maj. media actione quæ non sit speculatio, concedo maj. & dist. min. Logica est factiva syllogismi media actione, quæ est speculatio, concedo, quæ non est speculatio, nego min. & consequentiam. Si facere syllogismos sufficeret ad rationem practici, omnis scientia foret practica; quia omnis demon-

strat,

strat, & facit syllogismos: ergo quod Logica faciat syllogismum, non sufficit ad rationem practici. Hujus ratio est, quia format syllogismum per puram actionem intellectus quæ non est praxis, sed speculatio veritatis, ut dictum est numero 2. Nec format syllogismum, ut bonum, sed ut verum. Vel dicendum cum alijs Logicam esse factivam sui objecti non sistendo in actione, sed transeundo ad contemplandam in illo veritatem. Sic Arithmetica speculativa format numerum, sed speculativa est, quia non sistit in actione, sed transit ad veritatem in eo contemplandam.

Dices: Logica est factiva syllogismi vocalis: at iste fit per actionem externam, quæ est vera praxis, & non speculatio: ergo Logica est factiva sui objecti per actionem, quæ est praxis, & non speculatio. Respondetur dist. maj. Quoad externum sonum neg. maj. quoad significationem syllogismi mentalis, concedo maj. & dist. min. quoad externum sonum, concedo; quoad significationem nego min. & consequentiam. Logica non facit syllogismum vocalem, quoad sonos vocum; nam ita fit à potentia locutiva: fit autem à Logica, quatenus significat discursum menta-

lem; & hoc modo non fit actione externa, sed interna, quæ est speculatio. Vtere exemplo Arithmeticæ formantis externum, & visibilem numerum.

Ad reliqua, quæ adducit Gavardi ubi supra numero 6: constat quod vel sunt in favorem nostræ sententiæ, vel si adversantur, solvuntur ex dictis. Improbatur autem sententia ista ex ipsis verbis P. N. quæ adducit. Nam S. P. docet ibi Logicam prius sua instrumenta, & machinamenta formare, & notare, antequam in materia aliarum scientiarum fabricet illa. Ergo Logica in propria materia facit definitiones, divisiones, & demonstrationes, antequam in materia aliarum scientiarum diffiniat, dividat, & demonstrat: ergo non est merum instrumentum, sed scientia in propria materia. Patet consequentia, quia si foret merum instrumentum aliarum scientiarum, solam conficeret instrumenta in aliena materia, non demonstraret in sua.

18. Ad fundamenta secundæ sententiæ posita numero 7. Respondeo dist. maj. quoad secundam partem: Logica construens syllogismum procedit modo compositivo ad intra, concedo maj. ad extra, nego



nego majorem: & dist. min. quæ procedit compositivè, est practica, quæ cōpositivè ad extrà, cōcedo min. quæ ad intrà, nego min. & neg. consequentiã. Nulla est scientia quæ non faciat syllogismos dū demonstrat quare nulla est quæ non procedat hoc modo compositivè: unde si hoc sufficeret, ut Logica esset practica, nulla scientia foret speculativa. Format Logica syllogismos, dat regulas pro eis; sed hæc compositio non est ad extrà, sed intra intellectum; nec ut ibi sistat, sed ita contempletur, & speculetur veritatem; quare solum probatur inde secunda pars conclusionis nostræ, scilicet quod Logica sit practica secundum quid, quia in ea est aliquid per modum cuiusdam operis, puta constructio syllogismi, ut supra vidimus ex D. Thoma.

Ad secundum fundamentum concedo maj. & dist. min. quædam operationes intellectus sunt practica & c. quædam sunt practica per se, nego min. per accidens, concedo min. & nego consequentiam. Logica directiva actuum intellectus, eos respicit secundum id quod per se habent, non secundum id, quod habent per accidens. Atqui omnis actus intellectus ex se est speculatio, & solum per acci-

dens est practicus ille, qui extenditur ultra limites intellectus, & veri: ergo Logica respiciens actus secundum id quod habent ex se, non respicit illos ut practicos; & consequenter inde non erit practica. Adde quod Logica dirigit actus intellectus, ut sint veri, & ut attingant sine errore verum; non autem dirigit eos, ut sint boni, nec ut attingant sine vitio bonum. Quare illos dirigit ut speculativos, non ut practicos; & sic est plenè speculativa.

19. Dices: Logica dirigit intellectum docens syllogizare: sed aliquando intellectus syllogizat practice, ut evenit in dictamine conscientie: v. g. *Omne malum est fugiendum: sed frangere præcepta Divina est malum: ergo fugiendum: ergo tunc Logica dirigit actum per se practicum. Confirmatur. Per se pertinet ad Logicam cavere defectus syllogismi; v. g. quod constet quatuor terminis: sed omnis peccans juxta D. Thomam, & nostrum Aegidium syllogizat in quatuor terminis: ergo per se Logica debet dirigere ad vitandum talem defectum. Minor patet in hoc syllogismo practico: *Bonum est prosequendum: sed comedere carnes die veneris est bonum: ergo prosequendum. Termini sunt**

sunt quatuor, quia *bonum* in majori stat pro bono honesto, *bonum* in minori pro bono delectabili: quare sunt duo termini, quibus additis comestio, & prosecutio, inveniuntur quatuor.

Respondeo, quod sicut ante peccatum voluntatis procedit error in intellectu dictante, quare verissimum est quod *errant qui operantur iniquitatem*; ita ante operationem honestam voluntatis procedit dictamen verum intellectus. Hoc dictamen formatur per syllogismos illos practicos, de quibus replica, vel per similes, qui sunt actus intellectus in omni creatura deliberatè operante, licet non semper advertantur sub hac forma. Isti actus sunt practici, non per se, sed per accidens, quatenus intellectus exit extra limites sui objecti, quod est verum speculabile, & sub ratione veri attingit bonum, quod est objectum voluntatis.

Logica ergo dans regulas syllogizandi in quacunque materia, eas tradit ad vitandum errorem, non ad vitandum malum; quare dirigit illos syllogismos practicos, ut vitent errorem, non ut evadant malitiam. Quare actus illi v. g. primus est dictamen verum, & bonum, verum qua-

tenus est actus conformis objecto cognito; bonum quatenus dicitur voluntati quod debet, & continetur sub ejus objecto. Sic secundus actus est dictamen erroneum, & malum; erroneum, quia difforme objecto cognito; malum, quia dicitur voluntati quod est prohibitum. Logica ergo dirigit tales actus sub prima ratione, ut sint veri, & vitent errorem; non sub secunda ut sint boni, & vitent malitiam. Quare adhuc, ut directiva talium actuum, est speculativa: sicut tales actus per se sunt speculatio, licet per accidens sint practici.

Ad tertium fundamentum eodem numero 7. positum, respondeo distinctione supra data, quod attempto sine reflexo Logica propter se acquiritur; sed attempto sine directo intellectus, acquiritur propter alias scientias. Et concessa min. quod finis aliarum scientiarum sit speculatio, & praxis, dist. consequens: ergo & finis Logicæ, finis extrinsecus Logicæ, concedo consequentiam, intrinsecus, nego consequentiam; dist. min. subsumptã. Scientie dicuntur à fine ultimo, à fine intrinsecò, concedo min. à fine extrinsecò, nego min. & consequentiam.

Logica quæ propter se

acquiritur modo dicto; habet suum finem intrinsecum, scilicet speculari veritatem reflexam, & ab hoc dicitur speculativa simpliciter. Et licet attento fine directo intellectus, acquiratur propter alias scientias; finis illarum est extrinsecus Logicae, unde ab eo non sumitur ratio speculativi, aut practici. Sic licet quis adiscat Medicinam propter solum scire, & non ad medicanda corpora; scientia in illo est practica; quia licet finis adiscantis sit speculatio, est tamen extrinsecus Medicinae, quae à suo intrinseco fine est practica.

21. Hac sententia improbat à Thomistis ex eo quod ratio practici, & speculativi sunt differentiae oppositae, dividentes scientiam, sicut rationale, & irrationale dividunt animal: sed quia tales sunt istae differentiae, non possunt adunari in aliquo animali particulari: ergo nec ratio practici, & speculativi in aliqua particulari scientia, ut est Logica.

Hac ratio instatur in principijs Thomistarum doctentium Theologiam esse simul practicam, & speculativam: sed Theologia est scientia particularis, contenta sub ratione communi scientiae, quam dividunt differentiae il-

lae: ergo poterit & Logica esse simul practica, & speculativa. Quod si cum eis respondeas, dando disparitatem, quod Theologia est scientia superior, & quae in inferioribus sunt dispersa, in superioribus colligantur. At Logica est scientia inferior, quare in ea non possunt tales differentiae adunari. Si hoc respondeas, habes contra te rationem infra urgendam ex nostro Doctore; nam licet Theologia sit scientia superior, non potest habere duos fines ultimos; ergo nec in se colligere differentias practici, & speculativi.

Ob hac, & alia Doctor N. q. 13. Prologi lib. 1. Sententiarum docet, Logicam non esse practicam, aut speculativam, sed affectivam, quod consequenter de fide nostra docendum est. Eo quod cum habitus ab ultimo fine denominentur; finis Theologiae nostrae non est speculatio, aut praxis, sed dilectio. Id exprimit S. P. Augustinus multis locis, sed precipue lib. 1. de Doctrina Christiana cap. 35. ubi ait: *Omnium Divinarum Scripturarum plenitudo, & finis est dilectio.* Sed brevius lib. de Gratia novi testamenti cap. 18. diffiniens sapientiam Divinam, ait, *Sapientia est charitas Dei.* En Theologia nostra,

nostra; quae non scientia, sed sapientia est, cum sit per altissimam causam, est charitas, sed charitas est affectiva: ergo & Theologia. Ob id sapientiam, attenta nominis Etymologia, vocat P. N. *Sapientiam scientiam.* Tolle à Theologia affectionem, non erit sapida. Vide plura apud nostrum Lafosse pro sententia nostri Aegidij.

22. Improbat ergo secunda sententia ex doctrina nostri Aegidij sic. Scientia dicitur practica, vel speculativa, à fine ultimo intrinseco scientiae: sed nulla scientia, sive inferior, sive superior potest habere duos fines ultimos intrinsecè: ergo nulla potest esse simul practica, & speculativa. Major constat ex dictis. Minor probatur. Unus finis ultimus dicit negationem alterius; sicut enim non possunt dari duo dij, nec duae causae primae efficientes; sic nec duo fines ultimi: ergo nulla scientia &c. Antecedens latè constabit in Philosophia lib. 2. Pro nunc brevius ostenditur, quia finis ultimus est *ad quem omnia ordinantur*, ipse autem ad nihil. Sed si forent duo fines ultimi, unus non ordinaretur ad alium; & sic neuter esset, ad quem ordinantur omnia: ergo &c. Hoc est itacertum, ut quia pec-

cator dum mortaliter peccat, ponit in creatura affectivè suum ultimum finem, illum affectivè tollit à Deo, qui realiter, & in se est ultimus finis omnium.

Dices: idem intellectus potest esse simul practicus, & speculativus, & sic respicere duos fines ultimos; qui relate ad intellectum sunt inadæquati: ergo eadem Logica directiva intellectus poterit &c. Secundò: Logica per nos, ut ordinata ad alias scientias, habet extrinsecè duos fines ultimos aliarum scientiarum: ergo in se considerata intrinsecè, poterit duos fines habere. Tertiò: Eadem Logica potest habere rationem artis, & scientiae quae sunt differentiae dividentes habitum intellectualem: ergo & rationem practici, & speculativi, quae dividunt scientiam.

Respondeo ad primum negando antecedens loquendo de intellectu quoad sua essentialia: nam sic est tantum speculativus, & solum respicit unicum finem, veritatem. Ratio autem practici in intellectu est accidentaliter ratione extensionis ad opus, & bonum, quae sunt extra objectum intellectus; quare ut numero 1. vidimus ex D. Thoma sola extensio ad opus, facit intellectum esse practicum.

Hæc extensio accidentalis est, & finis ejus extrinsecus intellectui: quare nunquam probatur intellectum habere intrinsecè duos fines, sed unū intrinsecè, aliū extrinsecè. Ratio nostra procedit de duplici fine intrinsecè, & semper tenet.

Ad secundum concessio antecedenti, nego consequentiam. Disparitas est, quòd finis extrinsecè conveniens, respicitur à Logica, non ratione sui, sed ratione scientiæ, ad quam dirigit: sed non est una scientia directa, sed plures, quarum quælibet habet suum finem, ergo Logica ratione suæ entitatis non respicit fines scientiarum, sed ratione entitatis scientiarum, quæ sunt multæ. Nunc sic. Possunt plures entitates respicere diversos fines; sicut una entitas: ergo poterit Logica extrinsecè respicere duos fines, sicut intrinsecè.

Ad tertium dic: quòd propriè idem habitus nequit simul esse scientia, & ars; bene potest esse unum propriè, & aliud impropriè. Hoc evenit in Logica juxta dicta q. 2. & idem accidit juxta præsentem conclusionem, cum dicamus Logicam esse propriè speculativam, & impropriè practicam. Modo quo est ars, est factiva, & practica: sed totum secundum quid, &

similitudinariè.

23. Ad fundamenta tertiæ sententiæ posita numero 8. respondetur: & ad primum constat solutio ex dictis numero 16. pro nostro Gavardi. Ad secundum concedo maj. & dist. minorem: Logica non est perfectior Medicina, attento objecto, permitto min. attento modo procedendi, nego min. & consequentiam. Cum scientia speculativa procedat resolutoriè, & practica compositivè; scientia speculativa perfectior est practica ex modo procedendi. At excessus perfectionis potest aliunde compensari, ex objecto scilicet, ut Medicina practica sit perfectior Logica speculativa: maximè si cum Thomistis ponas objectum Logicæ ens rationis, quod superatur in perfectione à reali objecto Medicinæ. Aliunde etiam excessus hic compensatur, cum Logica sit cognitio reflexa, & Medicina sit cognitio directa: perfectior est cognitio directa, quàm reflexa.

At non erit improbabile Logicam plenè præponere Medicinæ, quod multis suadet. Tum quia Medicina curat morbos corporis, Logica animæ; datur enim Logica ad vitandum errorem, & falsitatem, quæ sunt malum animæ;

animæ; & quantum anima excedit corpus, tantum Medicina animæ corporalem. Tum quia sine Logica non potest acquiri scientificè Medicina; bene verò sine Medicina Logica. Quare Logica est independens, Medicina dependens: & sicut independentia perfectionem, dependentia imperfectionem importat. Tum tandem ex nostris principijs, Logicæ objectum est veritas reflexa, quæ superat in sua perfectione sanitatem corporalem; quantum anima corpus. Sed de his satis, cum sit dissidium nullius momenti.

Ad tertium constat ex dictis numero 16. in fine. Est enim Logica factiva sui objecti *ad intrà, non ad extrà*, rursus est factiva sui objecti, ut veri, non ut boni: nec sistit in factione, sed progreditur ad inquirendam veritatem. Ad illud de scientia media, dicendum, quòd scientia Dei est causa rerum, & sic est practica quando facit objectum, quia illud facit ad extrà, & ex imperio Divinæ voluntatis. Quare si scientia media esset factiva sui objecti, foret practica; & quia non est sic factiva, dicitur speculativa. Inde nil contra Logicam, quæ licèt faciat suum objectum, facit ad intrà; & ut verum, si-

cut aliæ scientiæ syllogizant; & Geometria angulum, & Arithmetica numerum format.

Ad primam confirmationem nego antecedens. Non enim finis Logicæ est facere syllogismos, nec ibi sistit, sistit autem quando acquisita veritate, & discreta à falsitate, illam contemplatur. Ad hoc facit syllogismos, qui sūt medium ad finem Logicæ ordinatum. Sic aliæ scientiæ syllogizant, non ut sistant ibi, sed, ut per syllogismos transeant ad inquirendam veritatem. Nec aliud est discrimen Logicæ ab alijs scientijs, nisi quòd istæ quarunt veritatem directam, Logica reflexam; illæ veritatem, quæ est in rebus; Logica veritatem, quæ est in actibus intellectus artificiosè dispositis. Hæc sententia improbat omnibus probationibus nostræ cõclusionis

24. Quarta sententia nobiscum sentit: sed primum fundamentum ejus positum numero 9. non est nobis conforme; quia supponit primum esse opus alterius potentia ab intellectu. Hanc definitionem improbavimus numero 3. cui nil addendum restat. Reliqua fundamenta confirmant conclusionem nostram, quare hætenus de sententijs, & de fundamentis earum.

## §. IV.

*Quæ veritas sit finis intrinsecus Logicæ explicatur.*

25. **D**E hoc specialiter inquit N. Villanova ubi supra toto cap. 4. & licet breviter, aliquid dicendum putamus, tum ad plenioram quæstionis hujus intelligentiam; tum pro dicendis circa objectum formale Logicæ.

In hoc dubio plures erunt sententiæ juxta varia principia DD. Quæ ad sequentes reduci possunt: prima affirmat esse veritatem in communi. Ita Lincæus tractatu 2. numero 21. eandem docere tenentur quotquot negant Logicam acquiri propter se; nam dato Logicam solum esse modum sciendi, & acquiri propter alias scientias, finis Logicæ erit finis aliarum scientiarum, & sic verum in communi.

Secunda sententia docet finem intrinsecum Logicæ esse se veritatem modi sciendi objectivi. Ita omnes Thomistæ, docentes objectum formale Logicæ esse ens rationis, non in communi, sed ut contractum ad modum sciendi

*De Præmialibus.*

di objectivum. Et probatur ex eorum dictis, quia Logica non est factiva sui objecti, ut sistat ibi, sed ut contempletur veritatem illius: sed apud ipsos objectum Logicæ est ens rationis quod reperitur in modo sciendi objectivo: ergo finis Logicæ intrinsecus est veritas modi sciendi objectivi.

Tertia sententia est nostri Villanovani, qui loco citato numero 271. dicit veritatem formalem aliarum scientiarum esse directam, consistentem in conformitate actus directi intellectus cum re extra animam; at veritas, quæ finis est intrinsecus Logicæ, est reflexa, & consistit in conformitate actus reflexi cum re ut concepta, scilicet ut distincta, divisa, & argumentata.

Nostri sententia est eum nostro Villanovano, & si diversimodè à nobis explicetur; quare dicimus finem intrinsecum Logicæ esse veritatem reflexam consistentem in conformitate intellectus cum secundis intentionibus repertis in conceptibus objectivis. Istam veritatem explicavimus supra q. 2. à numero 9. usque ad 15. quæ hic recolenda sunt; Et ex ibi dictis probatur conclusio nostra. Nam Logica est discretiva veri à falso jux-

ta

*Quæst. III.*

ta P. Augustinū ibi adductū: sed discernit ita quia inquit veritatem, ut in ea sistat: ergo finis Logicæ intrinsecus est illa veritas, quam discernit. At ista veritas est reflexa, & non est directa, ut ibi probatum est: ergo Logica habet pro fine intrinsecum veritatem reflexam.

Confirmatur: Finis intrinsecus habitus distincti ab alijs debet esse distinctus à fine aliorum habituum: sed finis scientiarum aliarum est veritas formalis directa: ergo finis intrinsecus Logicæ debet esse veritas reflexa. Secundò, scientia reflexa nequit respicere pro fine intrinsecum veritatem directam: sed Logica est scientia reflexa, ut supra probatum est, & ab omnibus admittitur: ergo finis Logicæ est veritas reflexa, vide loco citato.

26. Circa alias sententias observa, quod prima nobis non probatur, qui supra ostendimus quomodo Logica acquiritur propter se, vide numero 16. circa medium. Si ergo attento fine reflexo intellectus, acquiritur Logica propter se, & est scientia rationalis speculativa, debet habere finem intrinsecum proprium distinctum à fine aliarum scientiarum: ergo licet finis aliarum scientiarum sit

## §. IV.

finis extrinsecus Logicæ non est intrinsecus, & dubium procedit de intrinsecum.

Præterea: Verum in communi comprehendit omnes veritates directas, & reflexas: sed Logica nequit habere pro fine veritates directas: ergo nec verum in communi. Probatur minor. Finis intrinsecus debet esse assequibilis: sed Logica nequit assequi veritatem directam: ergo. Probatur minor; veritas directa nequit assequi per cognitionem reflexam; imò nec attingi: sed Logica est cognitio reflexa: ergo.

27. Secunda sententia verisimilior est prima, sed nec probatur nobis. Primò, quia juxta DD. illos ens rationis, quod est objectum Logicæ, consistit in esse ficto: sed Logica nequit habere pro fine veritatem entis ficti: ergo nequit habere pro fine veritatem modi sciendi objectivi. Probatur minor. Veritas entis ficti est veritas ficta: sed vera scientia nequit pro fine habere veritatem fictam: imò veritas ficta non est veritas; sed fictio veritatis, aut veritas apparens, sicut bonum apparens non est bonum, sed malum, aut fictum: ergo.

Secundò, veritas, quæ finis est Logicæ, est veritas, quam Logica discernit à falsitate,

M

finitate,

itate, ut ex P. Augustino probatum est: at ista veritas non est veritas entis rationis: ergo veritas finis Logicæ non est entis rationis. Probatur minor, veritas discreta à falsitate, est veritas entis veri distincti à falso, ficto, & apparenti: sed veritas entis rationis est veritas entis ficti, & apparentis ut ens, cum non sit ens: ergo.

Tertiò: Actus Logicæ affectivus suæ veritatis, est actus quo verum discernit à falso: sed actus cognoscitivus entis rationis, non est actus, quo verum discernit à falso: ergo veritas, quæ finis est Logicæ non est veritas entis rationis. Probatur minor. Actus cognoscitivus entis rationis est cognoscitivus entis, quod non est, ac si esset: sed per actum quo cognoscitur quod non est, ac si esset, non discernitur verum à falso; imò ita utrumque confunditur, ut non ens cognoscatur ut ens, & non verum, ut verum: ergo.

28. Hinc colliges discrimen nostræ sententiæ à secunda, quam improbamus. Nā adhuc dato, quod ens rationis consistat in esse ficto, cuius oppositum probabimus de secundis intentionibus libro sequenti. At pro nunc admisso, discrimen secundæ sen-

tentiæ, & nostræ clarum est. Hoc percipies notando sequentia.


Licet ens rationis sit ens fictum, attamen hæc propositio est verissima *ens rationis habet esse fictum*: ergo licet ens rationis non habeat veritatem, sicut nec entitatem veram; at propositio illa est vera, & habet veritatem, non fictam, & apparentem, sed realem. Patet consequentia ex Philosopho dicente lib. de 10. Categ. *Ab eo quod res est vel non est, propositio dicitur vera, vel falsa*. Id est, propositio est vera quando enunciat de objecto sicuti est in se: sed ens rationis in se est esse fictum: ergo propositio illa verè enuntiat; & sic est vera, non veritate ficta, sed reali.

Nunc sic. Ergo actus intellectus, vel propositio mentalis, qua enuntiamus *ens rationis habet esse fictum*; est propositio vera, & actus intellectus verus. Ergo actus ille ut conformis enti rationis, est veritas realissima, etiā si objectum illius actus sit ens fictum, & non habeat realem veritatem, sed fictam. DD. secundæ sententiæ ponunt veritatem entis rationis; nostra sententia cum Villanovano ponit veritatem actus intellectus conformis cum ente rationis: prima est veritas ficta,

ut

ut probatum est, secunda est vera, & realis, ut manet probatum. Prima est veritas quasi transcendentalis, secuta ad entitatem fictam entis rationis; secunda est veritas formalis, secuta ad intellectum conformem enti rationis co-

gnito. Vtraque tamen est reflexa, cum ens rationis sit reflexè cognoscibile: & ob id hæc secunda sententia est verisimilior prima, quia pro scientia reflexa ponit veritatem reflexam, & sic fictam.



## QUÆSTIO QUARTA.

*Utrum Logica sit simpliciter necessaria ad alias scientias?*

### §. I.

*Quædam notantur, & scientiarum, & artium divisio traditur.*

1. **U**T sciamus ad quas scientias Logica est necessaria, oportet scientiarum, & artium divisionem tradere, ut aliquali notitia, plenius quæstionem delucidemus. Sciëntia in communi, ut comprehendit omnes scientias, & se extendit ad omne scibile, potest vocari *Philosophia*, id est *amor Sapientiæ*, hoc enim latinè sonat, quod Græcè *Philosophia*. Nunc autem *Philosophia* dicitur pars præcipua scientiæ naturalis, quæ traditur libris de physico auditu, anima, coelo, mundo &c.
- Sub prima generalitate

dividitur *Philosophia* in *realem*, & *rationalem*. Realis est, quæ considerat res in rerum natura existentes extra intellectum. Rationalis est, quæ versatur circa actus rationis, vel intellectus.

*Philosophia* rationalis, est triplex, scilicet *Grammatica*, *Rhetorica*, & *Dialectica*. Ita docetur à P. Augustino lib. 2. de Ordine cap. 12. Nam *Philosophia* rationalis vel versatur circa actus rationis congruè proferendos, & sic est *Grammatica*, quæ curat de congruitate sermonis. Vel est de actibus rationis ornatè, & eleganter proferendis; &

ſic eſt *Rhetorica*, quæ vigilat ſupra ornatum verborum, ſugiens ſermonem inornatum. Vel tandem eſt circa actus rationis diſputando; & ſic eſt *Dialectica*. Hæc eſt tripartitio adæquata Philoſophiæ rationalis, quam Boëtius *Triſtium* vocat.

Philoſophia realis dividitur primò in *practicam*, & *ſpeculativam*. Hæc diviſio traditur à P. Auguſtino lib. 8. de Civitate Dei cap. 4. ubi ſapientiæ ſtudium dividit in tres partes, *rationalem*, de qua ſupra: *Moralem*, quæ in actione verſatur: & *naturalem*, quæ cõtemplationi data eſt. Quare Philoſophia realis *practica* eſt illa quæ reſpicit objectum factibile, & operabile; *ſpeculativa*, quæ reſpicit objectum contemplabile, & ſpeculabile. Iſta membra ſunt communiffima, & ſubdividuntur multipliciter.

2. Philoſophia realis *practica* dividitur primò in *Activam*, & *factivam*. *Activa* eſt recta ratio agendorum, & quaſi adminiculum prudentiæ. *Factiva* eſt idem ac ars propriè ſumpta. Quare activa ſubdividitur in omnes artes *Mechanicas*, ut *Laniſciis*, *Militaris*, *Nautica*, *Agricultura*, *Venatio*, *Medicina*, non quæ ſcientia eſt; ſed, quæ *Chirurgia* dicitur: *Theatrica*,

& *fabrefactiva*. Philoſophia autem realis *practica activa* dividitur in *Ethicam*, *Politicam*, *œconomicam*, *Monaſticam*, *Regalem*, *Ariſtocratiam*, *Democratiam*, ſub quibus utrumque *ius Civile*, & *Canonicum* continetur.

*Ethica* dirigit mores, & diſcernit virtutes à vitijs. *Politica* dirigit vitam civilem. *œconomica* moderatur ſumptus. *Monaſtica* regulat privatas hominis actiones. *Regalis*, vel *Monarchica* regit unicum, pluribus imperatorem. *Ariſtocratia*, eſt regimẽ aliquorum: *Democratia* eſt plurium.

3. Philoſophia realis *ſpeculativa* tripartitur à Commentatore lib. 6. *Metaphyſicæ* comm. 2. in *Metaphyſicam*, *Mathematicam*, & *Phyſicam*. *Metaphyſica*, quæ alio nomine dicitur *Divina* eſt cognitio etis ut ſic, vel etis ut abſtracti ab omni materia; ob id vocatur *Divina*. *Mathematica* eſt cognitio entis abſtracti à materia ſenſibili. *Phyſica*, alio nomine *Naturalis*, eſt cognitio entis abſtracti à materia ſingulari. De hac diviſione agit N. Egidius in Proëmio Philoſophiæ, ubi probat ejus ſufficientiam ex Commentatore.

*Metaphyſica*, quæ agit de ente in communi, prout comprehendit Deum, Angelos,

&amp;

& omnia corporalia, dividitur in *naturalem*, & *ſuper-naturalem*. *Naturalis* eſt quæ Deum cognoscit ex naturalibus effectibus, & lumine naturæ, ſicque vocatur *Theologia naturalis*. *Metaphyſica ſupernaturalis* eſt, quæ Deum attingit per lumen fidei & ex revelatis in ſacra Scriptura: hæc vocatur *Theologia ſupernaturalis*, imò abſolutè *Theologia*.

Obſerva cùm P. Auguſtino lib. 6. de Civitate Dei cap. 4. & 5. Quòd Gentiles triplicem *Metaphyſicam*, vel *Theologiam* finxerunt, ſcilicet *Mythicam*, *Naturalem*, & *Civilem*. *Theologia Mythica*, eſt illa quæ à Poëtis tradebatur fabulis; *Mythis* græcè eſt idem ac latinè *Fabula*: unde *Mythologici* dicuntur, qui fabulis dediti ſunt. Et quoniã iſtæ fabulæ Poëticæ theatris dicebantur, idèd nominabatur hæc *Theologia Theatralis*. *Theologia Naturalis* erat illa qua utebatur Philoſophi, qui Deum ex naturalibus effectibus demonſtrabant. *Civilis* tradebat modum colendi Deum, & hæc ſacerdotibus maximè congruebat. Oſtendit ibi P. Auguſtinus cap. 6. & 7. Quòd *Theologia fabuloſa* non eſt *Theologia*, cùm non veritatem, ſed fabulas diſquireret: ſic nec *Civi-*

*lis*, quia hæc coluit dæmonai varijs ſupertitionibus, non verum Deum. Remanet ergo ſola *Theologia naturalis*, quæ eſt vera *Metaphyſica* noſtra.

4. *Mathematica*, quæ agit de quantitate, quadripartitur in *Arithmetica*, *Geometria*, *Aſtronomiam*, & *Muſicam*. *Arithmetica* agit de numero, ut numerabilis; *Muſica* de numero ut ſonoro. *Aſtologia* de motu Aſtorum. *Geometria* de linea, quibus aliæ ſubalternantur, ut *perſpectiva* agens de linea viſuali, ſubalternatur *Geometriæ*; *Muſica* *Arithmeticæ*, &c.

N. Egidius in eruditiffimo Prologo in artē veterē, dividit ſcientias in utiles & inutilis. Utiles datæ ſunt, & reſtant aliæ aſſignandæ. Inutiles, quæ etiam ſunt prohibitæ; quinque ſunt, ſcilicet *Mau-tica*, *Mathæſis*, *Sortilegium*, *Præſtigium*, & *Maleficium*. Item *Magicæ*, quæ eſt ſcientia divinatoria, quinque ſunt ſpecies, ut *Pyromantia*, quæ divinat ex igne. *Æriomantia* ex aëre; *Idromantia* ex aqua; *Nigromantia* per invocationem dæmonum; *Geomantia* ex terra divinans. His dimiſſis ad utiles ſcientias revertamur.

Ultimum diviſionis membrum eſt *Phyſica*, quæ approprio

priato nomine vocatur *Philosophia naturalis*. Hæc tractat de rebus subjectis motui, & constantibus materia, & forma: unde tractat de corpore mobili. Dividitur in libros diversos, scilicet de corpore in communi mobili, & sic habet octo libros *Physicorum*; vel de corpore sub varijs affectionibus; & ita habet libros sequentes; scilicet de Cœlo, & Mundo; de Meteoris, de Generatione, & corruptione, de Anima, de Mineralibus, elementis, animalibus & plantis; de sensu, & sensato, de memoria, & reminiscencia; de somno, & vigilia; de juventute & senectute; de respiratione, & inspiratione; de nutrimento & nutribili; de sanitate, & ægitudine; de motu cordis, de morte, vita, & alijs, quæ ab Arist. recensentur, & à nostro *Ægidio* ubi proximè laudato.

5. Ad has scientias, & præcipuè ad eas, quæ rigorosam scientiæ rationem habent, necessariam Logicam dicimus: sed ut sensum quæstionis explicemus, notandum est duplex esse necessarium, unum *simpliciter*, aliud *secundùm quid*. Primum est id sine quo res haberi nequit; ut quia sine respiratione nemo potest vivere; respiratio est simpli-

ter necessaria ad vitam. Secundum est, quod conducit ad melius, & facilius habere rem. Sic equus est necessarius ad itinerandum, non taliter ut sine equo sit iter impossibile, sed ut sic commodius, & idè equus est necessarius *secundùm quid*. Dubiū non est an Logica sit secundum quid necessaria? Nemo dubitat quòd cum Logica facilius acquiruntur scientiæ, quàm sine illa: est ergo dubiū an sit simpliciter necessaria ad alias scientias?

Nec procedit dubium de Logica naturali, quæ est lumen naturale, quo discurremus. Tale enim simpliciter necessarium est: quare dubitatur solum de Logica artificiali, quatenus docet diffinire, dividere, & argumentari.

Scientia dividitur communiter in statum perfectum, & imperfectum. Scientia in statu imperfecto dicitur scientia unius, vel alterius conclusionis. Scientia in statu perfecto est scientia plurium conclusionum. De utraque procedit dubium; quam rectius dices scientiam totalem, aut partialem; nam cum scientificè habetur una conclusio, tunc non habetur, imperfectè, sed perfectè per demonstrationem: ergo licet sit scien-

scientia partialis, non est in statu imperfecto. Ceterum de nomine non est litigandum, dum constat de sensu, & re.

Potest etiam esse dubium de modo, quo Logica sit necessaria; an scilicet ut principium influens, an verò solum, ut dirigens intellectum acquirentem alias scientias? De hoc in fine quæstionis aliquid dicemus: nunc autem ad referendas sententias accedamus. Pro quo sit.

## §. II.

*Referuntur sententiæ cum suis fundamentis.*

6. Prima sententia docet Logicam artificialem non esse simpliciter necessariam ad acquirendas alias scientias in statu perfecto, nec in statu imperfecto. Sic plures, ut Moneda, Bajona, Ioann. à Sancto Thoma, Echalaz, & novissimè Magister Palanco, cujus probationes dabimus §. 5. dum solvamus argumenta. Fundatur primò hæc sententia. Quia habitus naturalis, & acquisitus non datur ad simpliciter posse, sed ad facilius, & melius: sed Logica est habitus naturalis, & acquisitus: ergo non est necessaria ad posse simpliciter, sed ut facilius acquirantur scientiæ.

Confirmatur ex M. Bajona. Habitus acquisitus distinguitur ab infuso, & supernaturali, quia iste dat posse ad actum; secus acquisitus: sed Logica est habitus naturalis acquisitus; ergo non dat posse, sed supponit in intellectu potentiam ad assensum scientificum. Sed assensus scientificus participat scientiæ: ergo Logica non est necessaria simpliciter, sed solum secundum quid, ad facilius.

Confirmatur secundo ex diffinitione scientiæ. Scientia est cognitio rei per causam: sed sine Logica potest quis habere cognitionem rei per causam: ergo sine Logica potest habere scientiam. Probatur minor. Potest quis cognoscere diem esse, ex quo videt Solem lucere: sed cognoscere diem esse, quia Sol lucet, est cognoscere rem per causam: ergo.

Tertio: Veritas scientiarum est distincta à veritate Logicæ & una ab alia non dependet: ergo poterit cognosci sine Logica, & sic quælibet scientia poterit sine Logica acquiri.

Quarto: Cognitio scientifica generat scientiam: sed sine Logica potest haberi cognitio scientifica: ergo sine Logica potest acquiri talis scientia. Probatur minor. Cognitio



gnitio scientifica est assensus; certus, & evidens per demonstrationem acquisitus: sed sine Logica potest quis habere talem assensum: ergo &c. Probat minor. Si rustico „ fiat hæc demonstratio: Om- „ ne totum est majus sua „ parte: sed corpus est totum, „ manus est pars: ergo cor- „ pus est majus manu. Rusticus firmiter assentitur huic conclusioni: sed assensus iste est habitus per demonstrationem, & sic scientificus: ergo &c.

Hæc sententia suaderi potest ex D. Thoma 1. Per „ hier. lect. 1. ubi ait: Ars „ quædam necessaria est, „ quæ sit directiva rationis, „ per quam homo in ipso a- „ ctu rationis ordinatè, faci- „ liter, & sine errore proce- „ dat: & hæc ars est Logica, „ idest rationalis scientia. En ubi S. Doctor dicit Logicam necessariam ad faciùs, non autem simpliciter. Idem ferè docet N. Egidius in Prologo ad lib. Post. Et S. P. Augustinus lib. 2. de Doctrina Christiana cap. 37. dicit quòd Logica multum adjuvat intellectum. Quod adjuvat, dat facilitatem, non autem posse simpliciter.

7. Secunda sententia huic opposita, docet Logicam simpliciter necessariam ad sciẽ-

tias in utroque statu acqui- rendas. Sic ex Thomistis Sotus, Lerma, & alij. Ex nostris Villanova, Gavardi, & ferè omnes. Fundatur primò: Ad rationem scientiæ requiritur, quòd conclusio reducatur in sua principia: sed Logica ignarus nequit conclusio- nem resolvere in sua principia: ergo nequit habere scientiam. Probat major. Ad scientiam requiritur cognitio rei per causam, & quoniam illius est causa, ut dicitur in diffinitione scientiæ: ergo requiritur reducere conclusio- nem in sua principia, quæ sunt illius causa.

Confirmat hoc Magister Soto referens plures Philosophos, qui in varios inciderunt errores propter defectum Logicæ. Nec reputatus fuit sapiens, qui non caleret Dialecticam: & ut referunt Arist. 1. Post. & Cicero lib. 1. Academic. quibus fuerunt ante Platonem Democrates, Anaxagoras, Empedocles, & alij in ea opinione, ut nihil possit ab hominibus sciri: quã obrè Socrates dixit: *Hoc unum scio, me nihil scire.* Hæc omnia evenerunt ex defectu Logicæ artificialis: ergo quia necessaria est ad alias scientias. Omitimus alia fundamenta de quibus §. sequenti.

Tertia sententia veluti

media dicit Logicam non esse simpliciter necessariam ad scientiam in statu imperfecto; bene verò ad scientiam perfectè acquirendam. Sic plures tum ex Societate, tum ex RR. Thomistis: imò allegati pro prima sententia, si Palancum excipias, potius pro ista allegari possunt.

8. Fundatur 1. Plus dependet assensus scientificus Philosophiæ ab habitu Philosophiæ, quàm ab habitu Logicæ: sed potest dari assensus scientificus Philosophiæ sine habitu Philosophiæ; ut patet in prima demonstratione philosophica, quæ nõ præsupponit habitum Philosophiæ, imò illum generat: ergo sine Logica potest haberi assensus scientificus Philosophiæ, & consequenter scientia quoad substantiam, vel in statu imperfecto. Major est certa, quia assensus ille scientificus dependet à Philosophia dependentia effectiva; ab habitu autem Logicæ depēdētia directiva; major autem est depēdētia à principio effectivo, quàm à directivo.

Confirmatur. Si alicui fiat hæc demonstratio in „ Darij: Omne totum est ma- „ jus sua parte: corpus est to- „ tum, & manus est pars: ergo „ corpus est majus manu. Rusticus sine Logica firmiter as-

sentitur conclusioni: sed assensus ille est scientificus: ergo sine Logica stat aliquis assensus scientificus, & consequenter scientia imperfecta. Probat minor. Assensus ille non est opinio; cum sit certus; nec est fides, quia non est propter attestationem dicentis; nec est lumen principiorum; quia non essentitur conclusioni immediatè, sed mediatè in vi illationis ex eo, quòd totum est majus sua parte: ergo refutat quòd assensus ille scientificus sit.

Confirmatur secundo. Ex eo quòd rusticus lumine naturali cognoscat totum esse majus sua parte; & quòd corpus est totum, & manus pars; convincitur ad assentiendum conclusioni assentiens corpus esse majus manu: sed sola evidentia convincit intellectum; ergo assensus ille est evidens. At etiam est certus, & habitus per demonstrationem: ergo est assensus scientificus.

Confirmatur tertio. Ad primum assensum scientificum Logicæ non requiritur habitus Logicæ: ergo nec ad primum assensum scientificum aliarum scientiarum. Patet consequentia tum à paritate, tum quia difficilius acquiritur Logica, quàm aliæ scientiæ: ergo si pro primo assensu scientifico Logicæ non re-

quiritur &c. Antecedens autem est certum, quia Logica non presupponitur ante id quo acquiritur: sed acquiritur per primam demonstrationem, vel primum assensum scientificum Logicae: ergo.

9. Hæc sententia videtur fundari in Philosopho, & D. Thoma 9. Metaphysicæ ubi habetur, quod *addiscens artem, operatur actionem artis sine arte.* Et rationem dat D. Thomas lect. 7. *Quia potest homo aliquantulum exire in scientia, & virtutis actum, antequam habeat habitum scientiæ, & virtutis.* En ubi S. Doctor cum Philosopho docet, quod licet sine Logica non possit scientia perfecte acquiri, potest tamen aliquantulum, id est quoad aliquam conclusionem. Sed clarius probatur ex D. Thoma 1. p. q. 17. art. 1. ubi ait: *Quod sicut in corpore infirmo datur principium intrinsecum movens, & inclinans ad sanitatem; ita in intellectu datur principium intrinsecum movens, & inclinans ad scientiam: id est lumen principiorum.*


Ex his sic probatur utraque conclusio hujus sententiæ: Sicut Logica adjuvat intellectum ad acquirendas scientias; sic Medicina adjuvat naturam ad acquirendam sani-

tatem: sed datur aliqua infirmitas, quæ vincitur à sola natura sine Medicina; licet non omnes infirmitates vinci possint à sola natura sine iuvamine Medicinæ: ergo poterit intellectus sine Logica acquirere scientiam unius vel alterius conclusionis, etiam si non possit sine Logica acquirere scientiam perfectam omnium, vel plurium conclusionum.

Confirmatur hoc à ratione. Licet intellectus sine auxilio speciali possit cognoscere hanc vel illam veritatem; non tamen omnes, & singulas veritates collectivè sumptas: ergo licet sine Logica possit acquirere scientiam unius, vel alterius conclusionis, non tamen scientiam omnium. Secundò licet voluntas sine auxilio speciali possit unum, vel alterum actum bonum elicere; non tamen actum omnium difficillimum, qualis est amor efficax Dei

Aut horis naturæ: ergo idem. Utraque paritas

est communis doctrina in tractatu de Gratia.



## §. III.

*Nostre sententia proponitur, & probatur.*

10. **N**oster Villanova sapienter, ut asserit, observat questionem istam potius esse de nomine, quam de re. Ostenditur, quia certum est hominē non indigere Logica, ut discurrat: sed discursus est assentiri conclusioni ex vi illationis: ergo hoc modo sine Logica potest assentiri. Quare, quod discutitur est; an ille assensus sine Logica sit scientificus an non? Quamobrem questio est an debeat vocari scientificus? Et sic questio est de nomine.

At ne contentio de solo nomine sit, & habeat aliquid de re, dicendum est, hic disputari, utrum assensus ille sine Logica habeat omnia requisita ad generandam scientiam, & sit scientificus? Asserunt DD. primæ & tertiæ sententiæ: negant AA. secundæ quam sequemur, quia putamus expressam in P. Augustino & veriore in principijs nostri Fundat. Doct.

Sit nostra sententia: Logica est simpliciter necessaria ad alias scientias in utroque

fratu acquirendas. Probatur ergo primo ex P. Augustino lib. 3. contra Academ. cap. 13. „ docente: Restat Dialectica, quam certè sapiens bene novit, nec falsum scire quisquam potest. Si verò eam nescit, non pertinet ad sapientiam ejus cognitio. Ecce ignorans Logicam, licet alia cognoscat, talis cognitio non pertinet ad sapientiam: ergo talis cognitio non est scientifica; & sic sine Logica nulla adhuc unius conclusionis potest haberi scientia juxta S. P.

Rursus ibidem cap. 17. ait Platonē Philosophiæ morali, & naturali subjunxisse: „ Quasi formaticem illarum partium, judicemque Dialecticam, quæ aut ipsa esset, aut sine qua sapientia omnino esse non posset. Perpende ly *omnino* ut videas nullo modo sine Logica posse esse scientiam, id est adhuc unius conclusionis.

Rursus lib. 2. de Ordine cap. 13. postquam Logicam vocat disciplinam disciplinam, eò quod regulat ut universalis disciplina omnes scientias; dicit: *Scit scire, sola scientes facere non solum vult, sed potest.* Si sola scientes facit: ergo sine illa nullus est sciens, nec datur assensus scientificus sine illa.

§. 11. Legite totum cap.  
13. libri tertij contra Acade-  
micos, & videbitis expressam  
sententiam nostram: adduce-  
mus autem hinc egregiam cō-  
mendationem doctricis Dia-  
lecticæ, licet prolixam, uti-  
lem tamen pro solvendis ar-  
gumentis. Ibi enim narrans  
quantum didicerit S. P. de  
Dialectica, sic dicit.

§ Ego vero plura, quam de  
§ quavis parte Philosophiæ.  
§ Nam primò omnes illas  
§ propositiones, quibus su-  
§ præ usus sum, veras esse  
§ ita me docuit. Deinde per  
§ istam novi alia multa vera.  
§ sed quam multa sint, nu-  
§ merate, si potestis. Si qua-  
§ tuor in mundo elementa  
§ sunt, non sunt quinque. Si  
§ Sol unus est, non sunt duo.  
§ Non potest una anima &  
§ mori, & esse immortalis.  
§ Non potest homo simul &  
§ Beatus, & miser esse. Non  
§ hic & Sol lucet, & nox est.  
§ Aut vigilamus nunc, aut  
§ dormimus. Hæc, & alia  
§ multa, quæ commemora-  
§ re longissimum est, per  
§ istam didici vera esse, quo-  
§ modo se habeant sen-  
§ sus nostri in se.

Et ut scias, quo sen-  
tu Logica tam multa docue-  
rit Augustinū, subdit: Ipsa  
verò docuit me, si cujus  
eorum, quæ per connexio-

§ nem modo proposui; pars  
§ antecedens assumpta fue-  
§ rit, trahere necessariò id,  
§ quod annexum est. Ea verò  
§ quæ per repugnantiam, vel  
§ disjunctionem à me sunt  
§ enuntiata, hanc habere na-  
§ turam, ut cum auferuntur  
§ cetera, sive unum, sive plu-  
§ ra sint, restet aliquid; quod  
§ eorum ablatione firmetur:  
§ Docuit etiam me, cum de  
§ re constat, propter quam  
§ verba dicuntur, de verbis  
§ non debere contendere &c.

En S. P. attribuit Logi-  
cæ doctrici scientiam suam  
de notissimis veritatibus, ut  
sunt, *Sol lucet: ergo dies est.*  
*Sol est unus: ergo non sunt duo*  
*&c.* Ergo sentit veritatem  
quamlibet, quantumcumque  
notissimam, non posse scien-  
tificè cognosci sine Logica.  
Nec ergo dabis veritates, istis  
notiores; nec ingenium Au-  
gustiniano perspicacius: er-  
go si auctissimum ingenium  
Augustini sola dirigente Lo-  
gica veritates illas, eo teste,  
scientificè cognovit; nullus,  
quantumcumque sit alter Au-  
gustinus, poterit sine Logica  
scientificè cognoscere veri-  
tatem notissimam. Ob id di-  
cit S. P. ubi supra, quòd *sola*  
*scientes facere potest; & quòd*  
*est formatrix aliarum scien-*  
*tiarum, quia sine Logica non*  
*sunt scientiæ, sicut sine cha-*  
*ritate;*

ritate non sunt merita, quæ  
formantur charitate, nec vir-  
tutes eadem formatae.

12. Hujus mirabilis  
asserti duas dat S. P. rationes.  
Vnam hinc, quia scilicet Lo-  
gica docet inferre consequens  
ex antecedenti per connexionem,  
aut disjunctionem; ut patet  
ex verbis datis. Docet argue-  
re à sufficienti numeratione  
partium, & à disjunctis. Do-  
cet vitare fallacias, & alia  
multa, quæ loco laudato in  
toto capite commendat. Ergo  
sola Logica ratione formæ  
syllogisticæ facit scientes, sine  
qua scientificè nihil cognosci  
potest.

Aliam rationem dedit S.  
P. lib. de quantitate animæ,  
c. 30. ubi dicit: An ignoras  
quibusdam Philosophis, &  
peracutis visum esse, ne  
id ipsum quidè, quod mēte  
comprehenditur, ad nomē  
aspirare scientiæ, nisi tam  
firma comprehensio sit; ut  
ab ea mens nulla ratione  
queat dimoveri? En juxta  
sententiam Philosophorum  
acutissimorum quod compre-  
henditur mente, non est sciē-  
tia, nisi adeò firmiter intelle-  
ctus assentiat, ut nulla ra-  
tione possit dimoveri: sed  
quod sine Logica cognosci-  
tur, non est tale: cum facile  
ignarus Logicæ possit dimo-  
veri: ergo sine Logica nulla

cognitio est scientifica.

Ut autem videas qua fa-  
cilitate dimoveatur ignarus  
Logicæ à veritate semel co-  
gnita, vide S. P. lib. laudato  
de quantitate animæ, ubi A-  
deodato defendente hanc dif-  
finitionem sensus, *est pati,*  
*quod animam non latet; ter-*  
*cedit argumentis sui Patris*  
*Augustini; imò eis ducitur*  
*ad concedenda duo contra-*  
*dictoria; & ad negandum, ta-*  
*lem definitionem ulli sensui*  
*convenire. Vide ibi à cap. 23:*  
*usque ad 28. nec credas te*  
*Adeodato ingeniosorem, qui*  
*sapissimè à suo Parenti inge-*  
*niosissimus probatur. Ergo*  
*quicumque sine Logica co-*  
*gnoscit veritatem, non scien-*  
*tificè, nec firmiter eam co-*  
*gnoscit.*

13. Secundò proba-  
tur assertio nostra ex D. Tho-  
ma loco laudato 1. Perhierm.  
lectione 1. ubi dicit: Ars  
quædam necessaria est, quæ  
sit directiva rationis, per  
quam homo in ipso actu  
rationis ordinatè, faciliter,  
& sine errore procedat: &  
hæc ars est Logica, idest  
rationalis scientia. En Lo-  
gica est necessaria ad vitan-  
dum errorem in actu rationis  
intellectus: sed quod necessa-  
rium est ad vitandum erro-  
rem, non est necessarium se-  
cundum quid, sed simpliciter  
ad

ad scientiam : ergo Logica juxta D. Thomam est simpliciter necessaria &c. Probatur minor. Vitare errorem est simpliciter necessariū ad scientiam, quæ immediatè opponitur errori : ergo quod est necessarium &c.

Tertiò : Probatur conclusio ex nostro B. Doct. in Prologo ad lib. Post. ubi ait :  
 ; Ne ergo propter potentiam admixtam malè rationem, & erremus in actibus rationis, inventa fuit Logica, quæ est huiusmodi actus directiva. En Logica inventa, & necessaria ad vitandum errorem in actibus rationis nostræ : sed vitare errorem est simpliciter necessarium ad scientiam in quocumque statu : ergo juxta nostrum Ægidium Logica est necessaria simpliciter ad scientias in quocumque statu.

14. A ratione probatur conclusio nostra. Primò : Scientia actualis juxta definitiones datas quæstione 1. est cognitio rei per causam certam, & evidens : sed sine Logica nequit dari cognitio certa, & evidens rei per causam : ergo sine Logica nequit dari scientia adhuc unius conclusionis, & consequenter est simpliciter necessaria &c. Probatur minor. Cognitio certa, & evi-

dens rei per causam, est cognitio certa tum ratione materiæ, tum ratione formæ : sed licet sine Logica possit dari cognitio certa ratione materiæ, non tamen certa ratione formæ : ergo &c. Major, & minor sunt probanda.

Probatur primò major, cognitio certa & evidens rei per causam, est cognitio immediatè negans cognitionem dubiam, quæ potest aliter se habere : sed cognitio potest aliter se habere tum ratione materiæ, tum ratione formæ : ergo &c. Major patet, aliàs eadem cognitio foret certa, & dubia ; potens aliter se habere, & non potens ; quod implicat. Minor etiam est certa, quia syllogismus in materia probabili potest aliter se habere ratione materiæ. Item syllogismus imperfectus est cognitio, quæ potest aliter se habere ratione formæ ; nam solus syllogismus perfectus habet inferre conclusionem certam ex parte formæ : ergo cognitio ut sic potest aliter se habere ratione materiæ, & ratione formæ.

Nunc probatur minor principalis. Cognitio certa ex parte formæ nequit haberi, nisi ab habente notitiam, & cognitionem formæ : sed sine Logica non potest dari cog-

## Quæst. IV.

gnitio formæ syllogismi perfecti : ergo sine Logica nequit dari cognitio certa ex parte formæ. Probatur major. Certitudo ex parte formæ est ipsa forma perfecta syllogismi, vel ab ipsa inseparabilis : ergo cognitio certitudinis formæ est cognitio ipsius formæ syllogisticæ, vel ab illa inseparabilis ; & consequenter cognitio certa &c. Secundò probatur major. Cognitio certa ex parte materiæ nequit haberi, nisi à cognoscente materiam : ergo nec cognitio certa ex parte formæ syllogisticæ, nisi à cognoscente formam syllogisticam.

15. Huic fundamento respondere possunt DD. contrariæ sententiæ, quod in simili respondent ad alia, quibus nostri probant quod adquirens scientiam, debet cognoscere bonitatem consequentiæ videantur apud alios. Igitur respondere possunt, quod ut cognitio sit plenè certa ex parte formæ, sufficit cognoscere exercitè formam, non autem requiritur cognitio signata illius. Est dicere, quod rusticus, cui fiat prima demonstratio Philosophiæ v. g. debet, ut certò assentiatur, cognoscere exercitè formam syllogisticam, non autem signatè ; idest non requiritur quod ante illam demonstra-

tionem habeat cognitionem illius formæ per Logicam ; sed sufficit quod in ipso exercitio demonstrandi cognoscat formam rectè concludere, & perfectam esse : & hoc fit sine Logica, per ipsum actum demonstrationis Philosophiæ.

Hæc solutio, qua scilicet utuntur contrarij ad enervanda fundamenta nostra, breviter multis impugnatur. Primò quia saltem juxta ipsos requiritur cognitio exercitè formæ syllogisticæ : sed hæc cognitio est Logica actualis : ergo semper tenet intètum nostrum, quod necessaria est Logica ut sit cognitio certa ex parte formæ. Probatur minor. Cognitio signata formæ syllogisticæ per vos est Logica habitualis, vel à Logica habituali præsupposita, & dirigente : ergo & cognitio exercitè. Patet hæc consequentia, quia cognitiones illæ habent idem objectum, scilicet eandem formam syllogisticam, & hæc nec signatè, nec exercitè cognoscitur, nisi cognitione Logicali.

Secundò, dato, quod sufficiat cognitio exercitè formæ, forma non cognoscitur per ipsam demonstrationem philosophicam : ergo ultra demonstrationem debent ponere.

nere aliam cognitionem terminatam ad formam syllogisticam, & hæc secunda cognitio est Logica actualis, vel habitualis. Probatur antecedens. Demonstratio illa philosophica est cognitio directa: sed per cognitionem directam nequit cognosci forma syllogistica, quæ est objectum reflexum, & cognitionis reflexa: ergo.

Tertiò: Dato, quòd ipsa demonstratio philosophica fit etiam cognitio formæ syllogistica, id non habet, ut est demonstratio, & cognitio directa; sed ut reflectitur supra demonstrationem, & cognitionem directam. Nunc sic: Ergo demonstratio philosophica, secundum quod est cognitio directa, solum attingit objectum directum Philosophiæ; & secundum quod est cognitio reflexa formæ attingit solam formam syllogisticam. At hæc cognitio, ut reflexè attingens formam syllogisticam, est logica, & non est cognitio philosophica: ergo adhuc juxta principia contraria non datur assensus aliquis scientificus sine Logica. Probatur minor. Cognitio illa est reflexa, & tangit objectum solius Logicæ, nec aliud attingit ut reflexa: ergo.

Explicatur. Ponamus simul in intellectu duas cogni-

*De Proemialibus.*

tiones, unam Philosophiæ demonstrativam; alteram quæ solum cognoscit formam syllogisticam demonstrationis: Illa prima est cognitio philosophica; secunda est cognitio logica, nam distinguuntur cognitiones per objecta. Nunc sic: sed ponendo unicam cognitionem, quæ habet duas tendentias, unam ad objectum Philosophiæ, alteram reflexam ad objectum Logicæ; ponitur eadem cognitio, quæ directè est philosophica, & reflexè est logica: ergo per solutionem datam non evertitur nostrum fundamentum; imò conceditur Logica saltem exercitè necessaria ad quamcumque scientiam.

Solum enim est differentia inter nostram, & contrariam sententiam juxta hanc solutionem, quòd nostra ponit signatè Logicam, hoc est cognitionem formæ syllogisticæ ante demonstrationem Philosophiæ: sententia verò contraria non ponit Logicam signatè, & antecedenter, sed exercitè, & simul cum cognitione philosophica. Hoc idem discrimen est inter Aristotelem, & Philosophos antiquiores, quòd antiqui tradebant Logicam simul cum alijs scientijs; secus Aristoteles qui primò Logicam, deinde scientias. Sed juxta Aristotelem

telem (Absurdum est quærere simul scientiam, & modum sciendi:) ergo ex modo dicendi nostræ sententiæ, & sententiæ contrariæ, sequitur eorum sententiam hoc absurdum incurere.

16. Tandem probatur conclusio nostra specialiter juxta nostra principia. Non potest cognosci veritas realis directâ cognitione scientifica, sine cognitione veritatis reflexæ repertæ in cognitione scientifica: sed prima cognitio est scientia actualis; secunda est Logica actualis: ergo sine Logica nequit ullatenus dari scientia. Minor constat ex dictis q. 2. & 3. ubi actum est de utraque veritate, & cum veritas directâ attingatur ab alijs scientijs, sola Logica attingit veritatem reflexam, quia sola agit de secundis intentionibus, cum quibus conformatur intellectus reflexè verus. Vide q. 2. à n. 10.

Major probatur. Cognitio scientifica alicujus veritatis est cognitio incompatibilis cum errore circa talen veritatem: sed qui cognoscit veritatem directam sine cognitione veritatis reflexæ repertæ in cognitione scientifica, potest errare circa veritatem directam: ergo non potest cognosci &c. Major est

certa, quia cognitio scientifica est cognitio certa, & evidens cum certitudine, & evidentia objecti non stat error circa tale objectum. Minor probatur his duobus syllogismis. (Omne animal est sensibile: sed homo est animal: ergo homo est sensibilis. Omne animal est sensibile: sed animal est homo: ergo homo est sensibilis.)

Ex quo sic. Qui non cognoscit in primo syllogismo tum veritatem directam, tum reflexam; non distinguit inter utrumque syllogismum: sed qui non distinguit inter utrumque syllogismum, potest errare circa veritatem realem directam: ergo qui cognoscit veritatem directam sine reflexa, potest errare circa directam. Major patet, quia uterque syllogismus solum differt in minori: & differentia est, quòd in primo subjicitur species, & prædicatur genus, scilicet (homo est animal; ) sed in secundo à contrario subjicitur genus, & prædicatur species, scilicet (animal est homo.) Quare intellectus in primo conformatur cum secundis intentionibus generis, & speciei, quæ sic perit subjici, & prædicari; in secundo non conformatur; quare in primo datur veritas reflexa consistens in ea conformitate,

mitate, & in secundo non datur, quia deficit illa conformitas: ergo qui in primo syllogismo non cognoscit veritatem istam reflexam, hoc est conformitatē illam cum secundis intentionibus, non distinguit inter utrumque syllogismum.

Tunc sic. Sed qui ita non distinguit, potest errare circa veritatem directam, quam cognoscit: ergo qui in primo syllogismo non cognoscit veritatem reflexam, potest errare circa directam. Probatur hæc minor. Qui non distinguit inter utrumque syllogismum, non distinguit inter minores utriusque syllogismi, sed talis potest errare circa veritatem directam: ergo. Probatur minor. Qui non distinguit inter has minores (homo est animal: animal est homo,) putat vel utramque esse universalem, vel utramque esse solum particularem: sed utrumque est error circa veritatem directam: ergo &c. Probatur. Qui iudicat utramque æquē universalem, errat, quia licet omnis homo sit animal; non tamen omne animal est homo. Qui putat utramque esse solum particularem, errat, quia licet solum aliquod animal sit homo, non tamē solum aliquis homo est animal: ergo qui æquē judi-

cat, & non distinguit inter utramque, errat, vel potest errare circa veritatem directam.

17. Hoc fundamentum desumimus ex P. Augustino lib. de Quantitate animæ cap. 25, ubi ait loquens de diffinitione hominis. (Si enim me rogaret, quid esset homo? Et cum hoc modo diffinirem, homo est animal mortale: non continuo quia verum est, etiam diffinitionē probare deberes; sed superposita ei particula, id est omnis, convertere illam, & intueri, utrum etiam conversa vera esset: hoc est, utrum, quemadmodum verum est, omnis homo animal mortale est, ita esset verum, omne animal mortale homo est: quod aliter invento, improbare diffinitionem propter illud vitium, quo aliena comprehendit: non enim solus homo est animal mortale, sed etiam quævis bestia.) Hæc S. P.

En diffinitionem hominis veram veritate directam, falsam tamen falsitate reflexa. Est vera veritate directam, quia homo in se est animal mortale; & propositio enuntiat de homine id quod est in se. Est falsa falsitate reflexa, quia ly (mortale) ponitur loco differentiæ, cum differentia non sit, sed ratio con-

niendi, & quasi genus. Quo fit, ut intellectus ignarus Logicæ est nesciēs cognoscere defectum per regulas logicales, quas P. Augustinus assignat, exponitur periculo errandi. Ecce periculum, si v. g. arguas à diffinitione ad diffinitum sic. (Homo est animal mortale: sed equus est animal mortale: ergo equus est homo.) En conclusio falsa ex præmissis veris; & totus defectus stat in majori, ubi loco diffinitionis ponitur veritas directam, sed deficit veritas reflexa: cum intellectus non conformetur regulis Logicæ & secundis intentionibus generis, & differentiæ, dans vicem differentiæ conceptui (mortale,) qui genus potest esse, non differentia.

Sed iste defectus nequit cognosci sine Logica; imò nec (exercitè) per ipsum actum directum illius syllogismi: ergo sine Logica potest quis errare circa veritatem directam, & sic non est possibilis cognitio scientifica veritatis directæ. Probatur hæc minor. Iste defectus juxta P. Augustinum solum cognoscitur addendo particulam (omnis,) & faciendo conversionem, sic (omnis homo est animal mortale: omne animal mortale est homo.) Vbi secunda est falsa, sed hæc con-

versio solum docetur à Logica, & est quasi reflexa cognitio veritatis directæ; itē cōversio ista petit actum intellectus distinctum ab actu syllogismi positi, ut patet: ergo iste defectus &c.

### §. IV.

*Expenduntur aliæ sententiæ cum suis fundamentis.*

18. **A**D fundamenta primæ sententiæ posita num. 6. respondemus, quod Logica non requiritur ad discurrendum substantialiter, requiritur tamen ad discurrendum modo artificiali, & scientifico. Sic ars salrandi non requiritur ad saltandum utcūque & quoad substantiam; bene verò ad saltandum modo artificiali. In forma dist. maj. habitus acquisitus non requiritur ad simpliciter posse, quoad substantiam, concedo; ad posse quoad modum, nego maj. & concessa min. nego consequentiam sub eadem distinctione. Assensus scientificus duo dicit, scilicet quod sit cognitio, & quod sit scientifica. Ad primum non requiritur Logica, sed ad secundum.

Sed insurgit Bajona, Ra-



tio scientifica non est modus afficiens actum intellectus, sed pertinet ad substantiam actus: ergo si intellectus sine Logica habet potentiam ad actus suos quoad substantiam, potest sine Logica habere assensum scientificum. Antecedens probatur. Cognitio dividitur in scientificam, & non scientificam, ut in species distinctas: sed quod constituit speciem diversam, pertinet ad substantiam actus: ergo ratio scientifica &c.

Respondetur neg. antecedens, ad probationem dist. maj. cognitio attendit substantiam ejus neg. ma. attēris modis potentibus afficere illam, concedo maj. & dist. mi. quod cōstituit speciē quoad substantiā diversam, concedo min. quod constituit speciem modaliter diversam, nego min. & consequentiam. Differunt cognitio scientifica à naturali, sicut saltus artificiosus à naturali saltu: at isti saltus non differunt specie substantiali, sed modali, nec actus quoad substantiam bipartitur specie: ergo nec cognitio scientifica, & non scientifica.

19. Ad primam confirmationem respondemus ut supra, dist. ma. habitus infusus distinguitur ab acquisito, quia dat posse ad actum quoad substantiam, concedo maj. quia

dat posse ad actum quoad modum, nego maj. & concessa min. dist. consequens: ergo Logica non requiritur ad posse, ad posse actus scientifici quoad substantiam, concedo consequentiam; ad posse quoad modum actus scientifici, neg. consequentiam. Habitus fidei infusus dat posse credere, sicut spes dat posse sperare, & hoc posse est ad substantiam, quia nullo modo natura potest elicere actus supernaturales credendi, & sperandi, nisi per habitus infusos. Logica non dat intellectui posse discurrere quoad substantiā, sed posse discurrere modo scientifico; & idē est habitus acquisitus, non infusus.

Ad secundam confirmationē respondeo primò, quòd scientia non est utcumque cognitio rei per causam, sed est certa, & evidens, certitudine ex parte materiæ, & ex parte formæ. At hoc modo nequit haberi sine Logica, ut probatum est num. 14. ergo minor in hoc sensu est falsa. Respondeo secundò juxta secundam rationem positam num. 16. Quòd scientia est cognitio rei per causam excludens omnem errorem: hic non excluditur sine cognitione reflexa veritatis reflexæ, ut probatum est ibi: ergo sine Logica nequit quis ita cognoscere rem

per

per causam, ut cognoscat scientificè. Nec probatio minoris urget; nam sine Logica potest quis cognoscere diem esse, quia Sol lucet, ad hoc nec cognoscit certitudine ex parte formæ, sed solum ratione materiæ; nec cognoscit excludendo errorem, nec scientificè: quare P. Augustinus num. 11. fatetur se debere Logicæ talem cognitionem, intellige scientificam, nam naturalē quilibet habere potest.

Ad tertiam confirmationem nego antecedens quoad secundam partē. Nam licet veritas aliarū scientiarū sit distincta à veritate Logicæ, quia hæc est reflexa, illa verò directa: at illa dependet à veritate Logicæ taliter, ut sine cognitione veritatis reflexæ non stet cognitio scientifica veritatis directæ, ut probatum est n. 16.

Ad quartam neg. min. ad probationem ejus neg. min. ad ejus probationē dic, quòd si rustico fiat talis demonstratio, assentitur firmiter ex parte materiæ, sed non ex parte formæ: unde non est satis certus ad scientiam. Dicimus secundò juxta rationem num. 16. quòd rusticus in illa demonstratione non distinguit inter has duas propositiones (manus est pars: pars est manus.) Harum prima est vera veritate reflexa, secunda

non, sed est falsa: ergo rusticus potest errare circa veritatem directam à se cognitā. Patet consequentia ex dictis numero 16. & 17. Si potest errare, non acquirit scientiā, quæ est incompatibilis cum errore circa veritatem scientificè cognitā.

20. Ad authoritates pro prima sententia adductas, dicimus illas stare pro nobis, ut ostensum est num. 13. Et licet juxta utrumque Beatum Doctorem Logica det facilitatem, stat quòd requiratur simpliciter ad actum scientificum. Sicut habitus charitatis requiritur simpliciter ad amorem Dei super omnia, ad quem dat etiam facilitatem. Ad authoritatem P. Augustini, eam corrige, nam S. P. dicit quòd (adjuvat intellectorem,) non autem (intellectum.) Sed quo sensu adjuvet, constat ex toto §. 3. adjuvat, ut sine Logica cognitio non sit scientia, aut sapientia.

Difficiliora sunt verba S. Parentis lib. de Doctrina Christiana cap. 37. ubi ait: (Plerumque citius ingeniosus videt non esset ratam conclusionem, quàm præcepta ejus capit.) Ergo ingeniosus sine præceptis logicalibus videt conclusionem esse ratam, & aliquando non esse ratam, Ergo cognoscit certitudinem vel



vel in certitudinem formæ; & si velis, veritatem reflexam sine Logica, vel antequam capiat præcepta logicalia.

Respondemus S. P. loqui de cognitione conclusionis ratione materiæ; non autem ratione formæ. Vel si de forma loquatur, potest exponi de conclusione, & vi illativa quoad substantiam, non de vi illativa quoad modum. Hujus ratio est, quia hoc secundo modo nequit cognosci nisi à capiente præcepta logicalia. Sed S. P. loquitur de ingenioso antequam capiat logicalia præcepta: ergo loquitur de cognitione conclusionis, vel solum ratione materiæ, vel ratione formæ quoad substantiam vis illativæ. Alioquin nec verba S. P. supra adducta possent subsistere.

Hæc sententia, cujus fundamenta soluta sunt, improbatu-  
r suis autoritatibus D. Thomæ, & Ægidij, quibus nostram probavimus. Rursus videtur contra P. Augustin. expressissimè adductum pro nostra sententia. Et cum in gravissimis Theologiæ quæstionibus sufficiat unica Augustini autoritas, ut improbetur sententia ei adversa: quid dicendum in quæstione ferè nullius momenti, ut hæc est, quam reddidere prolixam

RR. suis argumentis? Ad fundamenta secundæ sententiæ nil occurrat, nisi ea reducere ad probationes nostras datas §. 3. Ad fundamenta autem tertiæ sententiæ, quæ nostræ adversantur, respondemus. Et ad primum positum num. 8. dicimus instari sic. Plus dependet risibilitas à sua causa efficiente creata, quàm à rationalitate, à qua dimanat; patet hoc, quia major est dependentia à principio effectivo, quàm à dimanativo: sed potest dari risibilitas sine causa efficiente creata: ergo poterit dari sine rationalitate? Mala consequentia.

Respondetur secundo, dist. maj. Plus dependet assensus philosophicus ab habitu Philosophiæ, quàm ab habitu Logicæ, plus in ratione dependentiæ, concedo; in ratione talis dependentiæ, nego maj. In ratione communi dependentiæ major est effectiva, quàm directiva: sed in ratione talis dependentiæ hæc secunda est major, quia non est supplebilis, benè verò prima. Vel facilius, nego majorem, quia major est dependentia essentialis directiva, quàm accidentalis effectiva. Dependentia à Logica, directiva est, sed essentialis: dependentia ab habitu Philosophiæ effectiva est,

est, sed accidentalis, cum sine influxu habitus possit dari assensus philosophicus, ut docetur in argumento. Major est effectiva, quàm directiva, quando utraque est vel simul essentialis, vel simul accidentalis.

Ad primam confirmationem nego minorem. Ad ejus probationem concessio antecedenti nego consequentiam. Rusticus, cui fit illa demonstratio, assentitur firmiter illi conclusioni, sed non scientificè. Primò, quia non assentitur certitudine ex parte formæ. Secundò, quia non est certus certitudine excludente errorem, ut dictum est num. 19. in solutione quartæ confirmationis. Concedimus autem talem assensum non esse fidem, lumen principiorum, aut opinionem; negamus esse scientiam, & dicimus cum Parra, Villanova, & alijs talem assensum esse cognitionem quasi experimentalem; unde est reducibilis ad experientiam.

Ad secundam confirmationem nego minorem. Nam non sola evidentia, sed cognitio experimentalis vincit intellectum; & maxime in rusticis. Rusticus ille, cui fieret talis demonstratio, haberet evidentiam non scientificam, sed reducibilem ad

experimentalem: nec pro scientia sufficit evidentia, sed requiritur certitudo ex parte formæ; quæ non datur in rustico, ut ostensum est. Evidentia illa in rustico foret certitudo materiæ, non formæ. Tandem non est evidentia excludens omnem errorem, cum possit rusticus errare in minori illius demonstrationis, ut ostensum est.

Ad tertiam confirmationem respondetur dupliciter. Primò concessio antecedenti negando consequentiam. Nam sicut ad videndam lucem non requiritur alia lux, sed ipsa quæ est ratio videndi alia, est etiam ratio formalis videndi seipsam; unde ortum est illud axioma, (Quod est ratio formalis aliorum, est ratio formalis respectu sui.) Sic cum Logica sit veluti lux, & ratio formalis ad acquirendas alias scientias, est etiam ratio formalis acquirendi seipsam, nec requiritur ut Logica acquiratur, quòd præcedat alia Logica.

Respondeo secundo dist. antecedens, non requiritur habitus Logicæ signatè, & præsuppositivè, concedo antecedens, non requiritur exercitè, nego antecedens, & consequentiam. Non enim demonstratio logicalis fit sine

Logica: nam per primam demonstrationem acquiritur Logica, ut supponit arguens; ab ista pendet exercitè ipse assensus scientificus primæ demonstrationis logicalis; licet non signatè. Est dicere, quod licet non sit necessariū quod existat Logica dirigēs ante primam demonstrationem Logicæ; est tamen necessarium, quod existat in eo instanti quo assensus ille est scientificus, & ab ea sic exercitè existente pendet.

Quare nec sine Logica fit prima demonstratio Logicæ. Quid ergo de alijs scientijs?

Et licet difficile sit concipere, quomodo Logica fit effectus acquisitus per demonstrationem, & causa dirigens intellectum, ne erret in demonstratione, & cognoscat veritatem reflexam illius? Quia sic ponendo Logicam tenemur dicere, quod antecedit demonstrationem, ut causa directiva, & sequitur ad illam, ut effectus ejus, qui per demonstrationem acquiritur. Nihil autem potest præcedere, & subsequi sine contradictione. At hæc difficultas, quæ sine dubio magna est in Philosophia, & Theologia, quamque non possumus hic plenè discutere; specialis difficultas non est, ut patet exemplis.

*De Præmialibus.*

24. 1. in Philosophia libro 2. Physicorum dicitur quod ultima dispositio ad formam substantialem, est effectus ejus. En calor in summo disponens lignum ad formam ignis, ut effectus ignis subsequitur ad eum, & ut dispositio præcedit ad illum. Ergo poterit Logica ut directiva præcedere primam demonstrationem logicalem; & ut effectus acquisitus per primam demonstrationem subsequi ad illam.

2. in Theologia dicitur quod actus contritionis disponit peccatorem ad gratiā, qua justificatur; & quod est effectus ipsius gratiæ, ad quā disponit. En gratia ut causa contritionis præcedit contritionem; & ut effectus contritionis disponens subsequitur ad contritionem. Ergo idem de Logica, & ratio omnium est. Quia licet in eodem genere causæ non possit idem præcedere, & subsequi, bene verò in diverso; quod patet exemplis datis, nam gratia præcedit in genere causæ effectivæ, & subsequitur in genere causæ dispositivæ. Atqui Logica solum intelligitur præcedens in genere causæ directivæ, & subsequens in genere causæ effectivæ: ergo sine implicatione ponitur Logica dirigēs exercitè

*Quæst. IV.*

rite ad primam demonstrationem, quia ipsa generatur.

Hoc satis insinuat S.P. Augustinus num. 10. allegatus, ubi vocat Dialecticam *formatricem* aliarum scientiarum. Ergo sicut charitas ita est forma virtutum, ut ante illam virtutes sint informes, & per illam sint formatae: ita ante Logicam omnis demonstratio est informis, & per Logicam formatur, ut sic generet scientiam. Ergo pro illo priori, quo prima demonstratio Logica dispositivè præcedit habitum, est quasi informis, & ex se impotens generare scientiam; ceterum dum pro posteriori intelligitur habitus Logicæ formatrix exercitè, jam demonstratio illa est generativa scientiæ. Vnde nec sine Logica fit prima demonstratio, qua Logica acquiritur.

25. Ad auctoritates positas num. 9. respondemus nihil inde contra nos: nam sensus est, quod addiscens artem operatur actionem artis sine arte naturaliter, non modo scientifico, & artificioso; sicut sine virtute naturaliter potest homo elicere actum virtutis, non autem modo virtuoso. Hoc denotat ly *aliqua* in expo-

*§. III.*

sitione D. Th. Potest quidè homo sine arte discurre naturaliter, unum ex alio inferendo; at sine arte non discurret modo scientifico, & artificioso. Sed scientia solum acquiritur per discursum scientificum, & artificiosum, qualis est demonstratio: ergo sine Logica &c.

Ad 2. auctoritate D. Thomæ respondeo admittendo verba ut jacent. Ad rationem ex auctoritate formatam, nego majorè. Non enim dicit D. Thomas, quod ita Logica adjuvat intellectum ad scientias, sicut Medicina naturā ad sanitatem: sed dicit quod lumen naturale inclinatur ad scientias, sicut natura ad sanitatem. Hoc secundum est verum, quia lumen inclinatur, & influit in generationem scientiæ vincendo ignorantiam per cognitionem principiorum; sicut natura vincendo infirmitatem, influit in recuperationem sanitatis; primum est falsum, nec asseritur in verbis D. Thomæ, ut patet legitima.

Admissa tamen majori, illam distinguimus, sicut Logica & ita Medicina adjuvat naturam in ordine ad sanitatem, in ordine ad sanitatem artificioso modo acquirendam, concedo majori utcumque acquirendam, nego majori

& dist. minor. Datur infirmitas, quæ vincitur à sola natura, & tunc sanitas est recuperata modo artificioſo, nego min. modo naturali, concedo min. & nego conſequentiã. Sciëntia ſolùm eſt acquiſibilis modo artificioſo, quia ſolùm acquiritur modo ſciëntifico, & hic artificioſus eſt. Sanitas verò eſt recuperabilis modo naturali, & modo artificioſo: unde abſolutè paritas non tenet. Tenebit ſi fermo ſit de ſanitate acquiſita ſolùm modo artificioſo; ſed tunc falſa eſt minor argumenti. Cùm natura ſe ſola vincens infirmitatem, non acquirat ſanitatem modo artificioſo.

Ad confirmationem ibi inductam, admittimus utramque paritatem, & negamus conſequentiam. Nam idè eſt vera illa ſententia, quia cognoscere omnes veritates addit difficultatem ſupra cognitionem unius, vel alterius. Similiter dilectio Dei ſuper omnia addit difficultatem majorem, quàm elargitio eleëmofynæ: unde ad illam vincendam requiritur auxilium ſpeciale, quod non requiritur ad alios actus. At ſciëntiã, ſive unius, ſive plurium conſuſionum, habet eandem difficultatem, cùm ſciëntia adhuc unius conclu-

*De Præmialibus:*

ſionis debeat acquiri per demonstrationem formalem, & cognitionem veritatis reflexæ, quæ ſine Logica haberi non poteſt.

Dices: Intellectus ex ſe habet virtutem ad cognoscendum omne verum, quod eſt objectum adæquatum illius: ergo ſine habitu Logicæ poterit cognoscere veritatem reflexam, & ſic habere cognitionem certam formæ, & ſciëntificam. Reſpondeo quòd cognitio veritatis reflexæ eſt Logica actualis, vel habitualis: quare ſicut ex eo quòd intellectus habeat vim cognoscendi omne verum, non ſequitur quòd illud cognoscat ſine cognitione, ſic nec cognoscit verum reflexum, ſine cognitione veritatis reflexæ, & hæc eſt Logica ſaltem actualis.

26. Sententia iſta improbatuſ eisdem rationibus ſuis. Nam ſanitas nequit acquiri modo artificioſo ſine Medicina: ergo nec ſciëntia poterit acquiri modo artificioſo ſine Logica; ſed ſciëntia nequit acquiri, niſi modo artificioſo per demonstrationem, quæ eſt quoddam artefactum logicale: ergo ſciëntia ſolùm poteſt acquiri ab habente Logicã. 2. Nam juxta P. Auguſtinum ſuprà num. 10. ſine Logica ſapientia

*Quæſt. IIII.*

omnia omnino non poteſt eſſe: ergo nullo modo adhuc unius conſuſionis. Tertio: Faciliùs acquiritur ſciëntia 1. & 3. conſuſionis, quàm primæ: nam ſciëntia primæ conſuſionis acquiritur à ſolo intellectu juxta hos DD. ſciëntia verò ſecundæ & tertię acquiritur ab intellectu, adjuto habitu acquiſito per primam demonstrationem: ergo non erit major neceſſitas adſtruendi Logicam neceſſariam pro ſecunda & tertia conſuſione, quàm pro prima: ergo ſi pro prima conſuſione non ponit hæc ſententia Logicam neceſſariam, inconſequenter dicit eſſe neceſſariam pro ſequentibus.

*§. Ultimus.*

*Solvuntur alia argumenta contra noſtram ſententiam.*

27. **A**rgues 1. idè per nos eſt neceſſaria Logica ad quamcumque demonstrationem, quia eſt neceſſarium cognoscere conſuſionem certam etiam ex parte formæ: ſed ad hoc non eſt neceſſaria Logica: ergo non bene probatur noſtris fundamentis conſuſio noſtra. Probatuſ minor 1. Quia ut cognoscatur forma de-

*§. ultim.*

monſtrationis, ſufficit cognoscere hoc principium in quo fundatur, ſcilicet: *Quæ ſunt idem cum uno tertio, ſunt idem inter ſe*: ſed ut cognoscatur hoc principium, non requiritur Logica, quia ſolo lumine naturali notum eſt: ergo &c.

Explicatur: Cognoscere formam ſyllogiſticam, eſt cognoscere præmiſſas ratione formæ inferre conſuſionem, ſed præmiſſæ inferunt conſuſionem ex vi quòd extremitates, quæ in præmiſſis identificantur cum medio, in conſuſione identificantur inter ſe: ergo qui cognoscit illud principium *Quæ ſunt idem cum uno tertio &c.* cognoscit formam ſyllogiſticam, & demonstrationem ex parte formæ.

2. Probatuſ minor principalis: Vt cognoscatur conſuſio demonſtrativa certa ex parte formæ, ſufficit cognoscere bonitatem illationis, & conſequentiæ: ſed ad hoc non eſt neceſſaria Logica: ergo idem. Probatuſ minor. Bonitas conſequentiæ eſt eſſentia conſequentiæ: ſed eſſentiæ rerum ſunt veritates immediatæ, quas intellectus lumine naturali cognoscit ſine juvamine Logicæ, aut alterius habitus intellectualis: ergo &c.

3. Probatuſ minor. Vt

cognoscatur conclusio probabilis ex parte formæ, non est necessaria Logica: ergo nec ut cognoscatur conclusio certa ex parte formæ. Consequentia tenet à paritate, & antecedens probatur. Syllogismus factus sine Logica in materia aliarum scientiarum ad minus concludit probabiliter: sed qui ita concludit sine Logica, cognoscit sine Logica conclusionem probabilem ex parte formæ: ergo.

28. Respondetur ad argumentum negando minorem, ad probationem dist. majorem, sufficit cognoscere hoc principium (in abstracto) nego maj. ut applicatum formæ syllogisticæ, concedo maj. & dist. min. non requiritur Logica ad cognoscendum hoc principium (in abstracto,) concedo min. ut applicatum formæ syllogisticæ, nego minorem, & consequentiam. Aliqui negant hoc principium (*Quæ sunt idem &c.*) esse primum principium, quia primum principium nunquam fallit, & hoc principium fallit sapientum in divinis, tum in creatis. Quare ut non fallat debent ei addi variæ limitationes, de quibus vide Caramuelem, qui negat tale esse primum principium. In hac sententia ruit argumentum, quia licet prima prin-

cipia noscamus lumine natura, v.g. (*Quodlibet est, vel non est:*) fecus hoc (*Quæ sunt idem cum uno tertio &c.*) Ceterum admissio quod sit primum principium, dicimus, quod solo lumine natura sine Logica cognoscitur in se, & ut abstractum: at ut cognoscatur applicatum huic, vel illi syllogismo est necessaria Logica. Ratio est, quia sola Logica docet quomodo illud principium applicatur bene, & quomodo malè: ergo sola dirigit ad cognoscendum illud principium, ut bene applicatum. En syllogismus, cui malè applicatur. (*Homo est animal: sed equus est animal: ergo equus est homo.*) En syllogismus, cui bene: (*homo est animal: sed Petrus est homo: ergo Petrus est animal.*) In primo homo, & equus identificantur cum tertio, scilicet cum animali: & tamen in conclusione non identificantur verè, sed falsò inter se. Ergo licet lumen sine Logica sufficiat ad cognoscendum illud principium ut abstractum, fecus, ut applicatum.

Hinc pater solutio ad explicationem argumenti, & ad mille replicas hujus generis, quas omittimus. Solvantur omnia talia ex nuper dictis, unde concessa majori, dist. min. ex vi præcisè identific-

tifi:

ificationis cum medio, nego min. Ex vi identificationis cum medio, bene disposito cum distributiva suppositione, unitate simplicitatis, & alijs regulis logicalibus, quæ sine Logica cognosci non possunt, concedo minorem, & nego consequentiam. Vidistis exemplo dato quomodo extremitates *homo, & equus* identificantur cum *animali*; & tamen sequitur conclusio falsa, & erronea: ergo nisi adsit Logica dirigens ad cognoscendum quando præmissæ rectè disponuntur, & quando extremitates bene identificantur cum medio, nemo potest cognoscere conclusionem certam ex parte formæ, imò est expositus errori, ut exemplo dato constat.

Et quidem negari non potest dari multos syllogismos imperfectos; alios esse fallaces, & paralogismos: solus autem perfectus infert conclusionem certam ex parte formæ: ergo cum sola Logica tractet de syllogismo perfecto, imperfecto, & sophistico; & hoc non transeunter, sed laboriosè, & difficiliter in libris Priorum, Posteriorum, & Elenchorum, velle quod intellectus solo lumine naturali sine Logica id cognoscat, est velle chimæram; vel est dicere Logicam inutiliter

tempus terere in eis explicandis. Laudandus erit, qui adhuc logicus multo labore, & tempore infamptis, perfectè sciat id distinguere.

29. Ad 2. probationem minoris, dist. maj. sufficit cognoscere bonitatem consequentiæ, *in communi, & abstractam*, nego maj. contractam, & in particulari, concedo maj. & sub eadem distinctione nego min. & consequentiam. Ad probationem minoris, omitto majorem dubiam; omitto etiam minorem dubiam, & dist. consequens: ergo sine Logica potest quis cognoscere bonitatem consequentiæ, *in abstracto*, concedo consequentiam, ut contractam, nego consequentiam.

In hac probatione duo dubia assumuntur contra nos. Primum, quod bonitas consequentiæ est essentia consequentiæ, hoc multis probatur à Froilano, & alijs. Sed negatur à ceteris, qui dicunt, quod bonitas est passio consequentiæ, sicut veritas est passio propositionis. Nolumus disputare de hoc, nam quolibet dato argumentum nihil probat: quare admitto, quod contendit arguens scilicet esse essentiam consequentiæ quamobrem diximus omitti majorem dubiam.

Secundum dubium est,

an

an essentia rerum sint veritates immediatae, cognoscibiles lumine solo naturae. Ratio dubitandi est in essentia materiae primae, quantitatis, & alijs, quis credat lumine naturae cognosci essentiam materiae primae, quae est (Primum subjectum, ex quo aliquid fit, cum insit, & non secundum accidens.) Quantitas item est in concreto (semper divisibile in ea quae insunt, quorum utrumque vel singula unum quid, & hoc aliquid aptum est esse.) Assigna aliquem, qui solo lumine naturae cognoscat essentias istas, quae nec a peritis Logicae, & Philosophiae plenè cognoscuntur. Ergo cum hoc eveniat in essentijs entium realium, quales sunt materia, & quantitas; quid dicemus de essentijs reflexis, difficilioribus, ut sunt essentia consequentiae, & aliae similes? En dubium, & ratio dubitandi.

Sed age; admitto tibi minorem dubiam, scilicet, quod omnis essentia solo lumine naturae cognoscatur. Nostra solutio sistit in eo, quod talis essentia in abstracto potest cognosci solo lumine naturae, sed non ut contracta ad hunc vel illum syllogismum. Non enim omnis syllogismus habet bonam consequentiam;

*De Proemialibus.*

sed solus perfectus: ergo ut cognoscas in concreto bonitatem consequentiae, debes cognoscere syllogismum perfectum, & ipsum distinguere à sophistico, & paralogismo. Sed sine Logica non stat haec cognitio: ergo sine Logica non potest cognosci bonitas consequentiae in concreto, vel contracta.

30. Ad 3. probationem minoris nego suppositum antecedentis. Nullus datur ex parte formae syllogismus probabilis, aut probabilis conclusio, nam omnis syllogismus, si perfectus est, habet consequentiam bonam, & certam ratione formae: unde solum differt à demonstrativo ratione materiae, quia si est in materia necessaria, est demonstrativus, si in materia probabilis topicus. Iam verò sine Logica possunt fieri syllogismi probabiles; sed cum conclusio non sit certa, nec excludat errorem, aut formidinem; non petit in syllogizante certitudinem ex parte formae, quare non petit Logicam. Petit illam demonstrationem, & conclusio scientifica, quia est conclusio plenè certa, excludens errorem, & formidinem. Quare disparitas clara est.

Dices: Possumus sine Logica facere syllogismos pro-

*Quest. IV.*

probabiles: ergo & demonstrativos. Patet consequentia, quia solum differunt ratione materiae: sed qui potest syllogizare in una materia, potest in alijs: ergo si possumus &c. Respondeo distinguendo eodem modo antecedens, & consequens. Possumus perfectè, vel imperfectè, concedo: perfectè determinatè, subdisting. discernendo sine Logica perfectos ab imperfectis, nego: non discernendo, concedo antecedens, & consequentiam.

Sine Logica possumus discurre, & syllogizare in quacumque materia topica, aut demonstrativa. Hoc nobis suadent Iurisperiti, & Canonistae disputantes, cum multi Logicam ignorent. At quales firmant isti syllogismos sine Logica, scit bene, qui interfuit eorum disputationibus. Quandoque syllogizant bene, sed raro: quandoque, & saepius malè. Nunquam possunt sine Logica discernere inter perfectos, & imperfectos. Atqui solus perfectus in materia necessaria generat scientiam: & debet cognosci syllogismum esse perfectum, & certum ratione formae: ergo sine Logica &c.

Argues 2. Aliae scientiae inventae sunt ante

Logicam: ergo acquisitae sine Logica, & consequenter non est necessaria ad acquirendas scientias. Probatur antecedens. Ante inventionem Logicae factae sunt variae demonstrationes in materia aliarum scientiarum: ergo per illas inventae sunt scientiae. Patet consequentia, quia demonstratio generat scientiam de objecto demonstrato. Antecedens probatur. Logica inventa est per experientiam; viderunt enim homines discurrendo, quod aliqui modi arguendi convincebant; alij fallebant; alij aliquando sic, aliquando non: & ista experientia ducti, notarunt modum arguendi convincebantem, & dederunt regulas pro illo; modum item fallacem, & dederunt regulas vitandi illum &c. & sic est inventa Logica: at haec inventio supponit jam factos syllogismos convincentes, & demonstrativos: ergo &c.

Confirmatur. Dum Logica tradit regulas, quibus approbat syllogismum convincebantem v. g. in Darij, non ideo syllogismus iste convincit intellectum, quia approbatur à Logica; sed potius è contra, ideo approbatur à Logica, quia est convincens. Ergo regulae Logicae non faciunt, sed supponunt jam syllogismum illum convincere  
evi-

evidenter. Ergo id habet syllogismus ex se, & independenter à Logica, sed syllogismus ut convincens generat scientiam: ergo syllogismus ille sine dependentiâ à Logica generat scientiam; & consequenter Logica non est necessaria &c.

Hoc argumento utitur Mag. Palanco, supponens logicam, & alias scientias fuisse simpliciter inventas. Id falsum esse ostendit eleganter Collegium S. Thomæ Complutense in Prologo, ubi relatis tribus modis obtinendi scientias, scilicet per infusionem, per disciplinam, & per inventionem, dicit Logicam non esse simpliciter inventam; sed Adamo infusam cum reliquis scientijs, quod docent D. Thomas, & B. Egidius, ut esset posterorum Pater, & Magister. Ab Adamo traditæ sunt posterius usque ad Noë, qui filios, & nepotes edocuit ante divisionem Babilonicâ; & divisione facta, floruerunt sapientes ubique, ut Cadmus inter Phenices, Cecrops apud Athenienses, inter Ægyptios Mercurius, Iob inter Orientales, inter Hebræos Abrahamus, & varij Prophetæ usque ad Solomonem; ita ut nullum sit sæculum, quo aliquis non conservaverit scientias magis, vel minus

perfectæ. Hæc suadent Logicam non inventam simpliciter, sic nec ante, nec post scientias inventa est, sed per disciplinam tradita, & hoc ante scientias alias, ut probatur conclusione nostra. Sed demus Logicam inventam. Dicimus quod syllogismi convincentes, facti ante inventionem Logicæ, generabant scientiam informem, quæ potius erat reducibilis ad cognitionem experimentalem, quam ad scientificam, ut supra dictum est cum Parra, & Villanova: & suadetur rationibus nostris, quia ante Logicæ inventionem, nemo poterat esse certus de conclusione ex parte formæ, nec immunis à periculo errandi, sed ei expositus, ut probatum est. Ex his facile applica in forma negando antecedens. Ad probationem nego antecedens, ad ejus probationem admissa majori dist. min. Inventio Logicæ supponit syllogismos convincentes, materialiter, & reductivè ad experientiam, concedo min. formaliter convincentes, & scientificos, nego min. & consequentiam.

Ad confirmationem concedo antecedens, & dist. consequens. Regula Logicæ non faciunt, nec cognitio regula-

larum id facit, nego consequentiam, & cognitio regularum id facit, subdistinguo, facit convincere ratione materiæ, nego consequentiam, ratione formæ, subdist. effectivè, concedo consequentiâ, directivè, nego consequentiam. Ante approbationem Logicæ syllogismus convincens convincit: sed habet convincere ex parte materiæ, quod non pendet à Logica, & ex parte formæ, quod dependet à Logica, non effectivè, ut dicemus, sed directivè, quatenus dirigit intellectum, ut eliciat syllogismum perfectum; vel si factus sit, dirigit ad cognoscendam rectam formam, & certitudinem ex parte formæ. Quare ante approbationem Logicæ, & cognitionem logicæ formæ syllogistica, syllogismus est convincens materialiter, & certitudine quasi experimentalis, quæ vel non generat scientiam, vel scientiam informem generat: non autem est convincens scientificè; qualiter generat scientiam formatam. Hoc sensu dicitur Logica à P. Augustino quasi formatrix scientiarum.

32. Quæres, quomodo concurrat Logica ad alias scientias? Noster Villanova putat concurrere effectivè, & probat, quia in actu cujuscū-

que scientiæ reperitur rectitudo syllogistica: sed rectitudo syllogistica solum provenit effectivè à Logica: ergo Logica concurrat effectivè ad actus aliarum scientiarum, confirmatur ex nostris principijs datis num. 16. in quolibet syllogismo cujuscumque scientiæ datur duplex veritas, directa, & reflexa: sed veritas reflexa est objectum Logicæ à Logica factum: ergo Logica effectivè concurrat ad actus aliarum scientiarum.

Dicendum censemus Logicam solum concurrere directivè ad alias scientias. Ita colligitur ex P. Augustino supra n. 10. dicente, quod Logica docet docere; hoc est dirigit intellectum ut sciat docere, & demonstrare in materia aliarum scientiarum. Idem expressius docent S. Thomas, & B. Egidius ubi supra n. 13. quia Logica adstruitur necessaria, ut sit directiva actus rationis, ergo non est necessaria ut effectiva, sed ut concurrat directivè ad actus aliarum scientiarum. A ratione suadetur. Prudentia concurrat ad actus aliarum virtutum non effectivè, sed directivè, ostendendo quomodo fiant conformiter ad rectam rationem: Ergo Logica concurrat ad actus aliarum scientiarum.

scientiarum, dirigendo operationes intellectus, & conceptus objectivos, ut disponatur artificiosè, & conformentur secundis intentionibus modi sciendi, quo acquiruntur scientiæ.

Ad 1. rationem contrariæ sententiæ, nego min. Nam rectitudo syllogistica non à Logica effectivè, sed ab intellectu provenit ut instructo regulis Logicæ. Ad hoc sufficit concursus directivus. Ad confirmationem nego minorem quoad 2. partem. Nam veritas reflexa, quæ dicemus esse objectum Logicæ scientiæ, non fit à Logica, sed ab intellectu directo re-

gulis logicalibus. Consistit ea veritas in actu intellectus conformati secundis intentionibus: at non Logica, sed intellectus efficit suos actus, qui ut sint ita conformes, solum pendent à Logica dirigente, & ostendente quales sint secundæ intentiones, & quid perant: ergo Logica non est factiva sui objecti. Suprà id admissimus quæstione 3. quia non disputabatur de concursu Logicæ effectivo, vel directivo; cum dato quolibet idem argumentum fieret pro speculatione, aut praxi Logicæ.

*Omne corpus est mobile: Cælum est corpus: ergo cælum est mobile.* Vel tandem terminis logicalibus mixtis terminis aliarum scientiarum, v.g. *Diffinitio constat genere, & differentia: sed talis est diffinitio materia primæ: ergo constat genere, & differentia.* Logica utens proprijs terminis dicitur *Avalsa à rebus*: utens in materia aliarum scientiarum, dicitur *concreta rebus*: utens terminis mixtis, dicitur *mixta*.

Dubium non procedit de usu passivo Logicæ, hoc est de alijs scientijs, quæ utuntur Logica: nã hoc modo Logica utens distinguitur realiter à docente. Probat. Logica hoc modo utens non est Logica, sed est Philosophia, vel aliæ scientiæ, quæ Logica utuntur: sed aliæ scientiæ sunt habitus distincti realiter à Logica: ergo Logica hoc modo utens distinguitur realiter à docente. Sed notandum, quod logica sic passivè utens, non est utens, sed usa; sicut dum homo utitur calamo ad scribendum, calamus non est utens, sed usus, ut obserbat N. Doct. in 1. Sent. dist. 1. q. 3. art. 2. & ex ipso Gavardi hinc.

2. Procedit ergo dubium de logica activè utente. Et ratio dubitandi præcipuè sumitur ex D. Thoma, qui 4.

Metaphysicæ lect. 4. dicit: (Dialectica secundum quod est docens, habet considerationem de istis intentionibus, instituens modum, quo per eas doceri possit ad conclusiones in singulis scientijs probabiliter ostendendas; & hoc demonstrativè facit: ) & paulò infra. *Similiter dicendum est de sophistica.* Ecce juxta S. Doctorem Logica in omni sua parte tum probabilis tum sophistica, ut docens, procedit demonstrativè: sed habitus procedens demonstrativè, est scientia: ergo Logica ut docens est scientia.

Ibidem lect. 4. dicit de Logica: (Utens verò est secundum quod modo adjuncto utitur ad aliquid probabiliter concludendum in singulis scientijs.) En logica utens concludit solum probabiliter: sed conclusio probabilis generat habitum opinativum: ergo logica ut utens, non est scientia, sed opinio. Nunç sic. Sed habitus scientificus realiter differt ab habitu opinativo: ergo juxta D. Thomam Logica utens realiter differt à Logica docente. Vide q. 2. n. 6. quæ diximus circa hoc.

Eadem est ratio dubitandi in doctrina nostri Egidij, Nam in Prologo ad lib. Poster. dub. 17. dicit: (Cum er- go quæritur, utrum idem ag-



## QUÆSTIO QUINTA.

*An Logica docens, & utens distinguantur?*

§. 1.

*Quibusdam notatis referuntur sententiæ.*

7. **N**Ota Logicam docentem esse, quæ tradit regulas diffiniendi, dividendi, & argumentandi: utentem verò, quæ diffinit, dividit, & argumentatur, sive in propria materia, v. g. dum

dicitur: (Diffinitio est oratio explicans essentiam rei: sed oratio sic explicans, est clarior re explicata: ergo diffinitio est clarior diffinito) Vel in materia aliena Logicæ, & propria alijs scientijs, v. g.



generetur per rationes logicas, ut est utēs. & ut est docēs? dici debet quod non.) Et probat ferè eodem discursu D. Thomæ. Ergo juxta nostrum Doct. habitus Logicæ docentis realiter distinguitur ab habitu Logicæ utentis.

3. Propter hæc & alia, prima sententia docet tales habitus esse realiter distinctos. Citatur Suarez in Metaphysica disp. 44. sect. 13. n. 54. & alij quos refert Merino. Novissimè eam propugnat latè Mag. Froilanus. Et probatur 1. autoritate D. Thomæ supra explicata.

2. Quia actus Logicæ utentis nequit procedere ab habitu Logicæ docentis: ergo procedit ab habitu realiter distincto; sicque habitus Logicæ utentis distinguitur realiter ab habitu docentis. Probatur antecedens. Actus Logicæ utentis est opinativus, ut docetur à D. Thoma, & Ægidio ubi supra: sed actus opinativus nequit procedere ab habitu scientifico, qualis est logica docēs juxta eosdem Beatos Doctores: ergo &c. Minor patet, quia habitus solum inclinatur in actus sibi similes, opinio autem non est similis sed dissimilis scientiæ.

Confirmatur. Habitus scientificus nequit influere in actus extra suum objectum:

sed actus opinativus est extra objectum habitus scientifici: ergo actus Logicæ utentis, qui est opinativus, nequit procedere ab habitu Logicæ docentis, qui est scientificus. Probatur minor. Objectum habitus scientifici est verum ut seibile; & sic est verum determinatè tale: objectum autem actus opinativi est verum ut probabile, & sic non est verum determinatè, sed quod indifferenter potest esse falsum: ergo &c.

3. Probatur hæc sententia, quia in alijs artibus facilitas, quæ datur in usu, est realiter distincta à facilitate doctrinæ, ut patet in musica, qua potest quis esse facilis ad cognoscendas regulas, & difficilis in executione illarum: sed habitus est facilitas ad actum: ergo habitus utentis est realiter distinctus, & separabilis ab habitu Logicæ docentis.

Confirmatur 1. Experiētia docet plures calere regulas syllogizandi, & non posse syllogizare: at isti habent habitum doctrinæ, non habitum usus: ergo tales habitus sunt separabiles, & sic distincti realiter. Patet hæc 2. consequentia, quia realis separatio est signum distinctionis realis.

Confirmatur 2. Habitus do-

docētis non faciliat ad actus logicæ utentis: ergo isti proveniunt ab habitu realiter distincto. Probatur antecedens. Habitus docentis solum faciliat ad actus sibi similes, qui generatur: sed habitus logicæ docentis non generatur per actus logicæ utentis: ergo.

Confirmatur 3. In moralibus habitus, quo benè judicamus, dicitur *cautelia*, à qua est bonum judicium; & habitus, quo benè consiliamus, dicitur *Synesis*, à qua est bonum consilium: & habitus, quo imperamus, & exequimur, dicitur *Prudentia*: quare judicium, & consilium, quasi docens quid faciendum, sunt habitus distincti ab habitu exequente, & utente: ergo etiam in intellectualibus, doctrina, & usus erunt habitus distincti &c.

2. Sententia per oppositum docet Logicam docentem, & utentem esse eundem realiter habitum, & solum differre penes munera. Hæc sententia est communissima inter Thomistas, & Ægidianos, quam novissimè defendunt ex nostris Gavardi, & Villanova.

3. Probatur 1. Habitus, qui versantur circa idem objectum formale, non sunt distincti, sed unicus: sed lo-

gica docens, & utens versantur circa idem objectum formale, ut dicemus infra: ergo non duo; sed unus habitus est. Major saltem probat, quod non sunt distincti habitus specificè, cum unitas specifica sumatur ab objecto formali in habitibus. Quod ergo non sint distincti habitus numericè, probatur indirectè ex eodem principio, quia tales habitus docentis, & utentis, sunt in eodem intellectu: sed duo accidentia solo numero distincta non possunt esse in eodem subjecto: ergo semel quod non sint habitus specie distincti; non sunt habitus numero diversi; & sic nullo modo distincti.

2. Non sunt multiplicandæ entitates sine necessitate: sed nulla est necessitas ponendi Logicam utentem ut habitum distinctum à docente: ergo non est habitus distinctus. Probatur minor. Habitus datur ad vincendam difficultatem: sed ad vincendam difficultatem usus Logicæ sufficit habitus Logicæ docentis: ergo nulla est necessitas &c. Probatur minor. Difficultas utendi regulis demonstrandi, oritur ex eo quod quis non benè caleat regulas illas: sed per habitum Logicæ docētis vincitur dif-

107 Liber I.  
ficultas calendi regulas de-  
monstrandi: ergo.

6. Hinc colliges, du-  
plicem sapius esse difficul-  
tatem, unam formalem, al-  
teram materialem. Formalis  
datur, quando attingitur no-  
vum, & distinctum objectum  
formale; vel idem objectum  
per diversam potentiam. Ma-  
terialis, quando per ean-  
dem potentiam attingitur  
idem objectum formale, &  
solum nova datur extensio,  
vel modus attingendi obje-  
ctum formale. Ad vincen-  
dam difficultatem formalem  
requiritur novus habitus; qua-  
re non sufficit habitus Lo-  
gicæ pro demonstratione phi-  
losophica, quia est circa ob-  
jectum Philosophiæ distin-  
ctum ab objecto Logicæ.  
Nec sufficit habitus Musicæ  
docentis ad cantandum, quia  
usus iste pertinet ad poten-  
tiam gutturalem; distinctam  
ab intellectiva, quæ percipit  
Musicam docentem. At u-  
sus Logicæ est circa objectum  
formale logicæ docentis; &  
sit per eandem potentiam in-  
tellectivam: quare usus lo-  
gicæ non addit, nisi difficul-  
tatem materialem: sed pro  
vincenda difficultate mate-  
riali, non est ponendus habi-  
tus distinctus: ergo Logica u-  
tens non est habitus realiter  
distinctus à logica docente.

## De Proemialibus:

### §. II.

*Nostri sententia proponitur, &  
probatur.*

7. **N**ostri sententia est  
cum D.D. citatis  
pro 2. cum qui-  
bus dicimus Logicam docen-  
tem, & utentem esse eundem  
habitum realiter. Probatur  
hæc conclusio: ex P. Augu-  
stino lib. 7. de Ordine cap.  
12. ubi de Logica ait: (Quan-  
do ergo transiret ad alia fa-  
bricanda, nisi ipsa prius, qua-  
si quædam machinamenta, &  
instrumenta distingueret, no-  
taret &c. Hæc docet doce-  
re, docet scire &c.) En S. P.  
loquitur de Logica docente,  
ibi, *docet docere, docet scire.*  
Hæc Logica docēs transit ad  
*alia fabricanda*, en Logica u-  
tens; facit sua *machinamenta,*  
& *instrumenta.* & *notat*, en  
simul *docens,* & *utens* Sed jux-  
ta P. Augustinum hæc, & non  
alia, est docens, quæ transit  
ad fabricanda: ergo juxta  
S.P. logia utens est hæc, id est  
docens, non verò est alia a-  
docente.

Urgetur: Logica docens  
est quæ docet docere; Logi-  
ca utens est quæ transit ad  
fabricanda instrumenta logi-  
calia: sed juxta P. Augustinū  
hæc

### Quest. III.

hæc ipsa Logica, quæ transit  
ad fabricanda instrumenta, est  
quæ docet docere; ergo jux-  
ta S. P. Logica docens, est  
Logica utens; & cōsequen-  
ter non sunt habitus realiter  
distincti.

Probatur 2. ex D. Tho-  
ma, & B. Egidii locis supra  
datis n. 2. ubi uterque Beatus  
Doctor tenet, quod Logica  
docens procedit demonstra-  
tivè, En argumentum: Logi-  
ca procedens demonstrativè  
juxta utrumque Doctorem  
est Logica docens; at eadem  
Logica sic procedens, est Lo-  
gica utens: ergo juxta utrum-  
que Logica docens, & utens,  
non sunt habitus distincti, sed  
unicus. Probatur minor. Lo-  
gica procedens demonstrati-  
vè, est Logica demonstrans:  
sed Logica demonstrans est  
Logica utens: ergo &c. Pro-  
batur minor. Logica utens est  
Logica exercens regulas de-  
monstrandi: sed Logica exer-  
cens regulas, est Logica utēs,  
ut patet: ergo.

Urgetur. Logica dicitur  
docens quatenus dat regulas  
diffiniendi, dividendi, & ar-  
gumentandi; utens verò dici-  
tur, quatenus diffinit, dividit,  
argumentatur: sed juxta u-  
trumque Doctorem eadem  
Logica docens diffinit, divi-  
dit, & argumentatur: ergo  
juxta utrumque Logica do-

### §. I. 124

cens est utens. Major patet  
ex dictis n. 1. minor probatur.  
Logica docens juxta utrum-  
que Doctorem procedit de-  
monstrativè, id est demonstrat  
quod docet: sed demonstrat  
diffiniendo, dividendo, & ar-  
gumentando; cum demon-  
stratio sit argumentatio, quæ  
includit omnes modos sciendi,  
ut docet N. Egidius, & ex  
se constat: ergo.

8. Istæ rationes, &  
authoritates procedunt de  
Logica utente in propria ma-  
teria sua demonstrativa: qua-  
re in parte demonstrativa  
Logicæ usus, & doctrina per-  
tinent ad eundem habitum  
realiter. Sic intellige conclu-  
sionem nostram, & commu-  
nem sententiā. Ceterum, quia  
uterque Beatus Doctor dicit,  
quod Logica habet usum ad  
concludendum probabiliter  
in alijs scientijs; & sic con-  
cludens est opinio, & habitus  
distinctus ab habitu demon-  
strante; idè pro explicatio-  
ne utriusque Doctoris, alia  
conclusio defendēda est cum  
præcedenti.

Audi nostrum Egidium  
loco citato dicente: (Dica-  
mus ergo quod per rationes  
factas à Logico. (En Logica  
utens.) aliquando aggenera-  
tur in nobis sapientia; aliquan-  
do scientia; aliquando mo-  
dus sciendi; aliquando opi-  
nio;

nio; aliquando fides; aliquando suspicio; aliquando deceptio, aliquando ignorantia. Hæc D. N. ex quibus constat, quod usus regularum logicalium generat diversos habitus ratione materiæ diversæ, in qua exercentur regulæ logicæ. Sed Logica docēs est unicus habitus, qui non potest identificari cum habitibus realiter distinctis: ergo juxta nostrum Egidium Logica docens est habitus distinctus realiter ab utente.

9. Pro solutione hujus difficultatis, notandum est dubium, quod Villanova tangit in præsentī. Scilicet an assensus probabiles circa objectum scientiæ procedant ab habitu illius scientiæ? Noster Villanova negat, tenens quod habitus Philosophiæ v. g. solum influit in assensus scientificos objecti Philosophiæ, idem de alijs scientijs; quare omnes conclusiones probabiles Philosophiæ, & assensus illi probabiles oriuntur ab habitu Philosophiæ opinativo, qui distinguitur realiter ab habitu scientifico Philosophiæ. Probat hoc, quia habitus scientificus est habitus certus inclinans in actus certos, non in actus probabiles: ergo actus isti probabiles generat habitum opinativum

distinctum à scientifico, & ab eo procedunt subsequentes assensus probabiles.

Contrariam sententiam tenet N. Gavardi in hac quæst. art. 2. in solutione 2. argumenti. Et probat ex illo proloquio *Rectum est index sui et obliqui*. Sed objectum scientificum aliquando attingitur ab habitu scientifico per rationes certas, aliquando solum per probabiles; ergo idem est habitus, qui inclinatur in assensus scientificos, & in probabiles ejusdem objecti formalis. Hanc sententiam secuti sumus q. n. 23. vide ibi dicta.

Eam amplius confirmamus, quia in octo libris Physicorum, ubi Philosophia tradit notitiam corporis mobilis, paucissimæ demonstrationes fiunt, & ferè omnes conclusiones sunt probabiles, non autem certæ: ergo si probabiles non pertinet ad habitum scientificum Philosophiæ, sed ad opinativum; ferè in tota Philosophia versabitur habitus opinativus, & rarò scientificus. 2. licet habitus scientificus inclinatur in assensus certos, inclinatur etiã in media conducentia ad assensum certum, sed ut intellectus noster disputando perveniat ad veritatem certam, debet prius incedere per media

media probabilia: ergo inclinatur etiam habitus scientificus in assensus probabiles. Minor patet experientia. Nam plura nunc sunt nobis certa, quæ prolixis disputationibus inventa sunt ab antiquis: sed ante inventionem utrumque erat probabile; ergo &c.

10. His notatis, sic secunda conclusio nostra. **Habitus Logiciæ docentis realiter distinguitur à Logica utente in materia topica, sophistica propria, non autem in materia demonstrativa propria, si assensus probabiles non procedunt ab habitu scientifico; secus si procedant.** Explicatur: Logica utens in materia propria demonstrativa, est Logica demonstrans: sed Logica demonstrans est Logica docens, ut in 1. conclusione probatum est: ergo Logica utens in materia demonstrativa propria non est habitus distinctus à docente.

Rursus: Logica utens in materia probabili, & sophistica propria, est Logica faciens syllogismos probabiles: sed juxta dubium positum num. 9. habitus scientificus non efficit assensus probabiles, sed procedunt à distincto habitu; ergo si teneas hanc sententiam cum Villanova, debes dicere, quod Logica utens in parte topica, est distin-

ctus habitus à docente; imò Logica utens in parte sophistica, est habitus sophisticus, distinctus ab habitu scientifico docentis, & opinativo utentis in parte topica. Si tamen teneas cum Gavardi oppositam sententiam; idem habitus Logiciæ docentis est utens in omni parte, ob rationem datam.

11. Sit tertia conclusio: Logica utens in aliena materia, est habitus realiter distinctus à Logica docente. Probat ex nostro Doctore verbis datis num. 8. Nam per Logicam utentem in aliena materia, varij & distincti realiter generantur habitus: sed Logica docens est unicus habitus, qui non potest identificari cum varijs & diversis habitibus: ergo Logica utens in aliena materia est habitus &c. Vide dicta q. 2. num. 23. ut scias quo sensu neget D. Thomas usum Logiciæ in parte demonstrativa propria.

## §. III.

*Expenduntur aliæ sententiæ cum suis fundamentis.*

12. **A**n tequam veniamus ad sententias, expendenda est ratio dubitandi posita

sita num. 7. ex mente D. Thomæ, & Ægidij. Dicimus ergo quòd 1. autoritas D. Thomæ probat primam conclusionem nostram, & secunda autoritas conclusionem tertiam. Nam prima auctoritas dicit, quòd Logica docens demonstrativè procedit, id est demonstrat: sed Logica demonstrans est utens: ergo Logica docens & utens in propria materia demonstrativa, sunt idem habitus, & hoc docet prima conclusio nostra.

Secunda autoritas loquitur de usu Logicæ in materia aliarum scientiarum, de quo ibi dicit esse usum probabilem, & opinativum: at hoc solum probat, quòd habitus Logicæ utentis in aliena materia, est distinctus à Logica docente, quòd docet tertia conclusio nostra: ergo secunda autoritas, quin sit contra primam conclusionem, probat tertiam.

Ad auctoritatem nostri Ægidij ibi inductam, dicendum ibi loqui non de usu Logicæ in propria materia, sed in aliena, ut constat ex verbis sequentibus datis n. 8. ergo dū negat habitum eundem generari per Logicam docentem, & utentem; confirmat tertiam conclusionem nostram, & non infirmat primam quæ solum est de Logica utente

in propria materia.

13. Ad fundamenta primæ sententiæ posita num. 3. respondemus, quòd primū sumptum ab autoritate D. Thomæ solum probat de Logica utente in aliena materia; secus de utente in propria, maximè procedente demonstrativè. Quare si in hoc sensu defenditur prima sententia, cessat nobiscum controversia: si in alio, nihil probatur ex D. Thoma contra nos.

Ad 2. fundamentum dist. antecedens actus Logicæ utentis nequit procedere ab habitu docentis, actus utentis in aliena materia, conced. antecedens utentis in propria, subdisting. in propria materia topica; omitto antecedens, in propria materia demonstrativa, nego antecedens, & consequentiam sub distinctione data. Ad probationem antecedentis dist. maj. Actus utentis est opinativus, utentis in aliena materia concedo maj. in propria, subdistingo, in propria demonstrativa, neg. maj. in propria topica aut sophistica, concedo maj. & omitto minorem, quæ potius deberet negari juxta dicta num. 7. & nego consequentiam.

Docet uterque Doctor quòd usus Logicæ in aliena materia est opinativus, ut ostendit

stentum est; item usus Logicæ in materia propria topica, & sophistica; secus in materia propria demonstrativa: ergo usus in materia propria demonstrativa, non est opinio, sed scientia, & sic habitus idem cum docente. Usus autem in propria materia topica, & sophistica, opinio est: ceterum procedere potest ab habitu scientifico, qui ex eo quòd inclinet in assensus certos, inclinatur etiam in media ad illos; & assensus probabiles sunt medium ad assensum certum, ut dictum est num. 9. cum Gavardi. Sed demus contrarium cum Villanova; tunc usus Logicæ in parte topica erit habitus distinctus à docente, ut dicimus in 2. conclusione. Sed quia verisimilior est sententia Gavardi; ideo standum primæ solutioni.

14. Ad confirmationem secundi fundamenti, si teneas sententiam Villanovani, concede totum. Si teneas sententiam Gavardi, concede maj. & neg. minorem. Ad probationem minoris dist. maj. objectum habitus scientifici est verum ut scibile, ut scibile per omnes actus, nego maj. ut scibile per rationes certas, & indagabile per rationes probabiles, concedo maj. & dist. min. Objectum actus opinativi est verum pro-

babile, & indifferens ad falsitatem; objectum reduplicativè, omitto minorem; objectum specificativè, nego min. & consequentiam; vel aliter, objectum actus ut actus est, concedo min. objectum actus, ut procedentis ab habitu scientifico, nego min. & consequentiam.

Objectum habitus scientifici est verum certum, & scibile: quare si habitus posset tendere semper in objectum suum per rationes certas, nunquam tenderet per syllogismos probabiles, sed per demonstrativos. Ceterum cum hoc sit nobis impossibile, quia solis disputationibus & labore indagamus veritatem; ideo habitus scientificus tendit sæpe in objectum scibile per rationes probabiles, quæ sunt medium ad inquirendam scibilitatem, & certitudinem. Sic procedens utitur actibus probabilibus, qui licet reduplicativè ut tales sunt, respiciant objectum incertum; tamen sumptis specificativè, habent idem objectum, ac habitus scientificus, à quo procedunt: & sic respiciunt objectum, ut scibile, & determinat certum, & sic vellent actus illud attingere, sed non possunt sic per rationes tantum probabiles.

15. Ad 3. fundamentum positum num. 4. concess-

sis præmissis, negamus consequentiam. In musica usus pertinet ad distinctam potētiam, ac doctrina, quare addit difficultatem formalem vincendam per habitum distinctum à docente. Usus verò Logicæ pertinet ad intellectum, ad quem etiam spectat doctrina; unde non est necessarius habitus distinctus ad vincendam hanc difficultatem, quæ ad summum materialis est. Vide dicta num. 6.

Ad 1. confirmationem dist. maj. non possunt syllogizare ex defectu materiæ, concedo, ex defectu habitus syllogizandi, nego maj. & negata min. nil nobis probatur. Ex duplici capite potest provenire difficultas syllogizandi; vel quia ignorantur regulæ; vel quia memoria non ministrat terminos, & materiæ ad syllogizandum. Qui habet Logicam docentem, calet regulas; quare si difficilis est in syllogizando, hoc est defectu materiæ, & terminorum, non defectu habitus. Sicut velox scriba, si materia nō ministratur, non scribit velociter; hoc non defectu habitus, sed defectu materiæ.

Ad secundam confirmationem nego antecedens: ad probationem ejus, nego min. Nego quod Logica do-

cens non generetur per actus Logicæ utentis. Nam habitus docentis acquiritur per demonstrationem: sed demonstratio est actus Logicæ utentis, ut probatum est: ergo Logica docens generatur &c. & licet non generetur habitus Logicæ docentis per actus utentis in materia topica; quia tamen isti adjuvant ad indagandam veritatem certâ objecti Logicæ, idè etiam inclinatur in illos habitus Logicæ docentis.

Ad 3. confirmationem, concessio antecedenti, neg. consequentiâ. Disparitas est, quod judicium, consilium, & prudentia respiciunt eundem actum sub diversa ratione formali, v. g. consilium respicit actum ut consiliabilem, judicium ut judicabilem: quare datur, posito uno, nova difficultas formalis vincenda per habitum distinctum. Logica verò docens, & utens, respiciunt idem objectum sub eadem ratione formali; quare usus non addit formalem difficultatem supra doctrinam. Adde: quod consilium pertinet ad intellectum: judicium verò practicum, non ad solum intellectum, sed etiam ad voluntatem, quia ex motione voluntatis habet intellectus imperare, & judicare practicè. Quæ spectant ad varias po-

tentias, addunt difficultatem formalem, vincendam per novum habitum. Logica non sic, cum ad eandem potentiam pertineat usus, & doctrina.

16. Hæc sententia improbat eisdem testimonijs D. Thomæ, quæ pro se adducit, ut vidimus: rursus rationibus, quibus nostra conclusio probatur. Et si solum loquitur de usu Logicæ in aliena materia, nobiscum consentit, ut patet ex 3. conclusione nostra.

Ad fundamenta secundæ sententiæ posita num. 5. nil addendum est, nisi ea confirmare, & trahere ad nostram sententiam. Vna restat difficultas pro intelligentia D. Thomæ & B. Egidij; & est de Logica in propria materia.

Eam propono sic: Iuxta utrumque Doctorem ubi supra, Logica docens est demonstrativa in parte topica, etiam & sophistica. Logica verò utens in parte topica, & sophistica, non est demonstrativa, sed opinativa; concludit enim per usum probabilem: ergo in eisdem partibus topica, & sophistica, distinguuntur habitus docentis & utentis. Urgetur. Quia Logica docens in parte demonstrativa demonstrat, diximus, quod erat utens in ea parte: sed juxta utrumque Doctorem Logica docēs

demonstrat etiam in parte topica, & sophistica: ergo est utens in his partibus, sicut in demonstrativa. Sed in demonstrativa utens, est scientificus habitus, non opinativus: ergo nec in topica, & sophistica utens, erit opinativus, aut sophistus.

17. Respondeo, quod omnis materia Logicæ, potest considerari dupliciter, vel signatè ut speculabilis, vel exercitè ut practicabilis. Partes Logicæ ut speculabiles, ferè non distinguuntur; & distinctio earum est materialis, quia omnes sunt demonstrabiles, & scientificè cognoscibiles. Quo fit, ut Logica tam docens, quam utens, dum procedit demonstrativè circa objectum speculabile, se extendit ad omnes partes: & demonstrat non solum de demonstratione quod generat scientiam, sed de syllogismo topico, quod generat opinionem, de sophistico, quod generat errorem. En Logica ut docens, se extendit ad omnes partes, circa omnes demonstrans: & cum demonstrare sit uti, etiam ut utens se extendit ad omnes partes; & se habent omnes, ut una materia demonstrabilis, quin obstat earum distinctio quæ materialis est relatè ad Logicam demonstrativam.

Si tamen materiæ Logica

ca consideratur exercitè, ut practicable, tunc dividitur in tres partes, quæ sunt *demonstrativa, topica, & sophistica*. Hæc distinctio est formalis respectu Logicæ, quia in prima parte se exercet demonstrativè, in secunda probabilitè; in tertia fallaciter: & cum actus isti sint usus formaliter distincti: idè materia Logicæ ut practicable, & exercenda, dividitur in tres partes formales; & hoc modo Logicæ utens in parte topica, & sophistica, non est habitus demonstrativus. Hic est sensus utriusque B. Doct.

Sume duo exempla hujus doctrinæ. Primum sit in peccato. Peccatum est materia sanctè cognoscibilis, sed non est sanctè practicable: Unde Deus impotens peccare, cognoscit peccata; imò ipse solus verè peccata cognoscit. Sic pars topica, ut objectum est speculabile, est scientificè cognoscibilis; ceterum non

est scientificè practicable; quia solum exercetur per syllogismos probabiles, qui non sunt scientifici, sed opinativi.

Sit secundum exemplum in ente rationis ficto. Ens rationis fictum est verè cognoscibile, at non est verè practicable. Est verè cognoscibile, quia sine fictione cognosco, & affirmo hæc veritatem, *ens rationis habet esse fictum*. Non est verè practicable, quia nequit formari ens rationis fictum, nisi per cognitionem fingentem, quæ non est vera, sed fingens, & cognoscens objectum aliter, ac est in se. Sic pars topica Logicæ ut speculabilis potest attingi scientificè; sed ut practicable non, nisi opinativè. Ex his patet ad rationem dubitandi; cujus gratia dicta sunt hæc. Vide suprâ q. 2. num. 2. quo sensu negat D. Thomas usum Logicæ in materia demonstrativa.

## QUÆSTIO SEXTA.

*Vtrum Logica sit una in specie?*

### §. I.

*Quibusdam notatis referuntur sententiæ.*

**L**ogica dupliciter potest considerari, scilicet ut scientia est, & ut qua-

litas est: ut enim docet P. Augustinus lib. Categ. cap. 7. *Disciplina est Categoria qualitatis*

### Quæst. VI.

*tatis*; quare cum Logica sit disciplina, restat quod qualitas sit. Et cum suprâ ostensum sit Logicæ esse scientiam; hinc est, quod Logica habet quod sit scientia, & quod sit qualitas. Nunc non quarimus de unitate Logicæ ut qualitas est, de hoc enim agemus quæstione sequenti; unde præsens quæstio est de unitate Logicæ, ut scientia est.

Unitas est triplex; generica, specifica, & numerica. De generica non est difficultas, quia quidquid est scientia continetur sub genere scientiæ, & habet unitatem genericam; sed suprâ q. 2. probatum est Logicam esse scientiam; ergo continetur sub genere scientiæ, & habet unitatem genericam. De unitate numerica non est quæstio, quia unitas numerica accidentium sumitur à subjecto in quo sunt; ergo tot erunt Logicæ numero distinctæ, quot sint homines habentes Logicam. Quare tota quæstio est de unitate specifica, quæ sicut species constat ex genere, & differentia, ita specifica unitas. Et est querere: An Logica non solum habeat rationem communem scientiæ, sed differentialem, qua specificè differat ab alijs scientijs?

2. Hæc dubium pendet ab alio; nam prius viden-

dum est, à quo scientiæ sumunt suam unitatem? Pro hujus dubij decissione nota, quod objectum formale (de quo postea) dividitur in objectum *quod*, & objectum *quo*. Objectum formale *quod* est illud quod ratione sui attingitur à scientia, vel potentia. Objectum *quo* est illa ratio formalis ratione cujus objectum *quod* attingitur. Id alijs terminis fonte clarioribus traditur, scilicet in objecto formali *quod* datur ratio *quæ*, & ratio *sub qua*. Sic potentia visiva habet pro objecto formali *quod* coloratum: id quod videtur, est ratio *quæ*; color vero est ratio *sub qua*. Sic dum cognosco hominem, illum cognosco sub ratione veri; & amo illum sub ratione boni; unde ratio *quæ* est homo; ratio *sub qua* relatè ad intellectum est verum, relatè ad voluntatem bonum.

Supposito ergo, quod quidquid attingitur ab intellectu, attingitur sub ratione veri; & quod homo v. g. aliter consideratur à Logica, aliter à Philosophia, aliter à Metaphysica, aliter à Mathematica; de hoc est controversia; unde sumitur hæc diversitas in scientijs attingentibus eundem hominem v. g. sub ratione veri? Ratio dubitandi est, quia respectu ejusdem ob-



Et, eodem modo affecti, non possunt versari scientiæ specificè diversæ: ergo vel illæ scientiæ non erunt speciè diversæ; vel debet dari diversitas attingendi illud objectū.

3. Thomistæ RR. docent quòd diversitas scientiarum provenit à diversis abstractionibus à materia. Quod ut intelligas, nota, quòd sicut intellectus est potètia spiritalis, ita quod intelligitur debet esse spirituale, vel spiritualizatum. Objecta autem materialia, & corporea, quæ sensibus percipiuntur, sunt materialia; quare ut spiritualizentur, oportet illa denudare à conditionibus materialibus; ista sunt singularitas, sensibilitas, & potentialitas; à quibus denominantur tres materiæ, scilicet materia singularis; materia sensibilis; & materia intelligibilis. Quando ergo objectum consideratur sine sua singularitate, tunc datur abstractio à materia singulari. Quando cognoscitur sine sensibilitate, datur abstractio à materia sensibili. Quando tandem consideratur sine potentialitate metaphysica, tunc est abstractio à materia intelligibili; & hæc vocatur abstractio ab omni materia.

Dicunt ergo Thomistæ, quòd scientiæ differunt spe-

cificè inter se, quatenus cognoscunt objectum suum sub diversa abstractione à materia; unde ab ista abstractione diversa sumitur unitas specifica scientiarum. Quare dicunt quòd Philosophia sumit suam unitatem ab abstractione à materia singulari; Mathematica est una in speciè per abstractionem à materia sensibili; Metaphysica per abstractionem à materia intelligibili, vel ab omni materia. Hinc pro Logica ponunt specialem abstractionem, ut sit scientia specificè distincta ab alijs, & dicunt esse abstractionem ab omni materia negativè propter imperfectionem. Ita novissimè Froilanus.

Hæc doctrina fundatur in D. Thoma 1. p. q. 85. art. 9. ad secundum, & Opusculo 70. Item in Prologo lib. de Sensu, & sensato. Et alibi sæpius. Eadem doctrina traditur à N. Fundat. Doct. in 1. Sent. p. 1. Prol. princ. 1. q. 2. §. Primam declaratur. Et 1. de Generat. text. 1. & de Sacram. altaris Theor. 30. & alibi sæpè. Sed præcipuè in Prologo ad libros Philosophorum, ubi approbat dictū Philosophi 6. Meta. dicentis: *Tres sunt modi essentialis Philosophiæ, videlicet naturalis, mathematicus, & divinus:* quod

quod explicat de Philosophia, Mathematica, & Metaphysica. Et hæc dicitur divina, quia considerat objectum abstractum ab omni materia, quæ consideratio Divina est, quia cum Deus solus careat omni materia, quod abstrahitur ab omni materia, est quasi divinum.

4. A ratione probari potest hæc sententia primò Quia distinctio specifica scientiarum debet sumi à ratione *sub qua*; non verò à ratione *qua*: sed ratio *sub qua* in scientijs est abstractio à materia: ergo scientiæ differunt specificè penes diversas abstractiones à materia. Minor cum consequentia tenet, & major probatur. Distinctio specifica scientiarum est distinctio formalis: sed distinctio formalis sumi debet à ratione *sub qua*, non autem à ratione *qua*: ergo. Probatur minor. Distinctio formalis debet sumi à forma, vel ab eo quod magis habet rationem formæ: sed ratio *sub qua* est forma etiam respectu rationis *qua*: ergo.

Urgetur: Ratio *qua* comparata cum ratione *sub qua*, est veluti ratio materialis comparata cum formali: ergo distinctio formalis specifica scientiæ debet sumi non à ratione *qua*, sed à ratione *sub qua*. Patet consequentia ex

dictis. Antecedens probatur. Ratio *qua* est veluti objectū materiale, si comparatur cum ratione *sub qua*: ergo. Probatur antecedens. Objectum materiale est quod attingitur ratione alterius: sed ratio *qua* attingitur ratione abstractionis, quæ est ratio *sub qua*: ergo.

Confirmatur. Objectum quod, vel ratio *qua*, accipit suam unitatem à ratione *sub qua*: ergo scientiæ non sumunt suam unitatem à ratione *qua*. & objecto quod, sed ab objecto quo, vel ratione *sub qua*. Patet consequentia. Nam propter quod unum quodque tale, & illud magis: sed objectum quod est unum unitate accepta ab objecto quo: ergo scientia erit una à ratione *sub qua*, vel objecto quo.

Confirmatur 2. Plures scientiæ versantur circa idem objectum quod, v. g. Metaphysica, & Philosophia considerantes hominem: sed non potest sumi distinctio harum scientiarum ab objecto, quod, semel quòd hoc sit unum at-tactum ab utraque: ergo recurrendum est ad diversam abstractionem sub qua attingitur à dictis scientijs, ut scientiæ diversificentur.

5. Noster Gavardi tom. 1. suæ Theologiæ q. 3.



Pro<sup>m</sup>. art. 1. docet, quòd unitas scientiarum sumitur à ratione *quæ*. Pro hac citat nostros Gerardum, Toletum, Puteanum & alios. Et probat ex nostro Ægidio in Prologo lib. Sent. parte 1. princip. 2. q. 3. & princ. 1. q. 3. §. *Propter primum*; ubi dicit: ( Ex quo apparet, quòd scientiæ duplex actualitas attribuitur, una ab objecto, à quo recipit speciẽ; alia à lumine: nam si lumen dat actualitatẽ objecto, & objectum dat actualitatẽ scientiæ, oportet lumẽ scientiæ actualitatem attribuerẽ. Actualitas tamen, quæ datur scientiæ ab objecto, est magis per se ipsi scientiæ cum ab ea habeat unitatem, & distinctionem, quàm actualitas luminis. ) Hæc Beatus Doct.

Pro cujus intelligentia nota, quòd abstractio à materia dicitur lumẽ, quia sicut materia obscurat objecta, ne intelligantur; abstractio à materia dicitur lumen, quia illuminat objecta, spiritualizando ea, ut intelligantur. Duo ergo asserit Doctor N. hic: primum est, quòd lumen, & objectum dant scientiæ actualitatem: secundum est, quòd actualitas objecti est magis per se, quàm actualitas luminis.

Primum probat sic. Lu-

men dat actualitatem objecto; sed objectum dat actualitatem scientiæ: ergo lumen dat actualitatem scientiæ. Patet consequentia, quia quòd est *causa causæ, est causa causati*: sed lumen dans actualitatem objecto est causa formalis objecti: ergo est etiam causa formalis scientiæ, quæ formaliter actuatur ab objecto.

Secundum probat sic. Id quod dat scientiæ unitatem, & distinctionem, est magis per se scientiæ, quàm illud quod non dat talem unitatẽ, & distinctionem: sed objectum actuans scientiam dat ei unitatem, & distinctionem, secus lumen: ergo actualitas objecti est magis per se ipsi scientiæ, quàm actualitas luminis.

En juxta Ægidium objectum est id à quo recipit *speciem* scientiæ; en etiam eadem recipit ab objecto, & lumine actualitatem; sed actualitas data ab objecto, dat scientiæ unitatem, & distinctionẽ; secus actualitas data à lumine. Ergo juxta nostrum Doct. scientiæ sumunt suam unitatẽ specificam ab objecto, vel ratione *quæ*; non autem ab abstractione, vel ratione *sub qua*.

6. Hanc doctrinam plene

plenẽ sequimur, tum quia expressam in nostro Fundat. Doctore, tum quia eadem traditur à D. Thoma 1. p. q. 1. art. 3. & 7. ubi S. Doct. ut probet Theologiam esse unam scientiam, non recurrit ad specialem abstractionem sui objecti à materia, sed ad unitatem formalem objecti, quatenus omnia, quæ attingit Theologia, attingit sub ratione revelati: sicut quidquid visus attingit, attingit sub ratione colorati: ergo quia sentit S. D. unitatem scientiæ sumi ab unitate objecti, non verò ab abstractione à materia. Vide nost. Gavardi ubi supra prolixè disputantem de hoc contra Ioannem à S. Thoma: sed res est ita clara, ut S. Thomas non egeat interprete, sed lectore.

Dum ergo locis datis num. 3. uterque B. Doctor dicit, scientias distingui penes diversas abstractiones, loquantur de unitate, & distinctione generica. Et patet, quia solum assignant tres abstractiones pro Metaphysica, Physica, & Mathematica: at Mathematica est solum una genericè, & est divisibilis in plures species, ut sunt Geometria, Arithmetica, Astrologia, & aliæ: ergo loquantur de scientijs quoad

unitatem genericam, non specificam.

A ratione probatur hoc. Primò, quia distinctio specifica scientiarum non potest sumi ab eo in quo conveniunt: sed in abstractione à materia conveniunt multæ scientiæ, quæ alioquin specie differunt: ergo distinctio specifica scientiarum non sumitur ab abstractione à materia; sed ab objecto *quod*. Major patet, nam distinctio hominis ab equo, nequit sumi ab animalitate, in qua conveniunt. Rursus ab eo, in quo conveniunt res, potius sumitur identitas, & convenientia, quàm inconvenientia, & distinctio. Minor probatur. Philosophia & Medicina, quæ specie differunt, conveniunt in abstractione à materia singulari. Geometria, Arithmetica, & aliæ species Mathematicæ, conveniunt in abstractione à materia sensibili: & idem de alijs scientijs, quæ subalternantur Philosophiæ, & Mathematicæ: ergo &c.

7. Dices cum RR. scientias mathematicas convenire in una abstractione, quæ realiter est una, sed virtualiter, vel formaliter est multiplex, quia quasi partitur, dum applicatur Geometriæ per diversa principia formalia, ac applica-

tur Arithmeticae, & alij.

Benè ergo abstractio à materia Mathematica, partitur in varias species per rationes formales diversas. Sed quod partitur in species, est genus, à quo nequit sumi distinctio specifica, ut probat ratio nostra exemplo animalitatis: ergo distinctio specifica scientiarum non sumitur ab abstractione à materia, sed ad summum ab illis diversis principijs, per quæ procedunt scientiæ.

Secundò: Peto à te, unde Geometria petit procedere per diversa principia, ac Arithmetica? Si dicas, quòd quia est scientia specie diversa: tunc circulas vitiosè. Nam idè est scientia specie diversa per te, quia procedit per principia diversa: & idè juxta solutionem procedit per principia diversa, quia est specie diversa. Hic est circulus. Si dicas, quòd petit sic procedere, quia abstrahit à materia sensibili. Contra, quia etià Arithmetica sic abstrahit. Ergo restat dicendum, quòd Arithmetica petit procedere per principia diversa, ac Geometria, quia habet distinctum objectum quod, scilicet Geometria quantitatem mēsurabilem, Arithmetica quantitatem numerabilem: ergo tota ratio distinguēdi specificè has

### De Proemialibus

scientias, & procedendi per diversa principia, non est abstractio à materia, in qua conveniūt, sed est objectum quod distinctum.

3. Si scientiæ haberent idem objectum quod formale, non peterēt diversam abstractionem à materia, nec procederent per diversa principia: ergo tota ratio distinguēdi scientias est diversitas objecti formalis quod. Probatur antecedens. Si Arithmetica, & Geometria haberent pro objecto formali quod quantitatem numerabilem, peterent eandem abstractionem à materia sensibili, & procederent per principia formalia aptata numeris, sicut modò sola Arithmetica, unde ergo in hoc casu probaretur oppositum? ergo &c.

2. probatur à ratione. Si ab abstractione, & non ab objecto formali quod sumeretur unitas specifica scientiarum, non esset necessarium pro distinguendis scientijs, distinguere, & inquirere diversa objecta scientiarum: sed hoc contradicit libris, & scriptis DD. qui in unaquaque scientia curant, & disputant de objecto formali ejus, nil curantes de abstractione sub qua procedit: ergo quia unitas specifica non sumitur ab abstractione à materia, sed à formali

### Quest. VI.

mali objecto.

Confirmatur. Sensus interni, & externi, qui aliquomodo abstrahunt à materiis potentia item, maximè spirituales, non differunt specie per diversas abstractiones, sed per diversa objecta, & rationes quæ: ergo nec scientiæ. Consequentia patet à paritate, & à ratione, quia si stat distinctio potentiarum, & sensuum inter se sine tali recursum, stabit in scientijs. Antecedens patet, quia visus sumit suam unitatem specificam à colorato, auditus à sono, gustus à sapore &c. Intellectus à vero; voluntas à bono; & sic de alijs: ergo &c.

9. Nec urgent fundamenta contraria. Ad primum de mente D. Thomæ & nostri Egidij positum n. 3. patet ex dictis num. 6. Loquitur enim uterque Doctor de unitate generica, vel specifica subalterna, ut benè advertit Suarius in Metaphysica disp. 1. non autem est fermo ibi de unitate specifica ultima, & atoma, de qua nūc, ut ostensum est.

Ad rationes inductas n. 4. respondemus, & ad primam neg. maj. ad probationem concessa maj. nego min. ad ejus probationem nego min. Nego quòd abstractio

fit quasi forma respectu objecti quod. Ratio est, quia id est forma quod actualitè, & determinat aliud: atqui abstractio non determinat objectum quod, sed à contrario, objectum quod determinat, & contrahit abstractionem: ergo potius objectum quod est forma respectu abstractionis. Probatur minor ex dictis num. 6. & 7. Abstractio Mathematicarum est partibilis in varias species, & applicabilis per principia diversa, sicut animal per rationalitatē, & irrationalitatē. Sed ratio determinans & petēs diversa principia formalia, est objectum quod, ut ostensum est: ergo &c.

Nec magis urget explicatio, ad quam nego antecedens, ad probationem concessa maj. dist. min. ratio quæ attingitur ratione abstractionis, dantis actualitatem specificam, nego min. dantis actualitatem genericam, concedo min. & nego consequentiam. In hac distinctione continetur doctrina Egidij data num. 5. quam reservavimus hic explicandam.

10. Dicit Egidius, quòd lumen (id est abstractio) dat actualitatem objecto; & & inde probat, quòd lumen dat actualitatē scientiæ. Quæ actualitatem? Nonne specificam?

cam? Minime: quia eandem dat scientiæ: quod ibi negat Ægidius. Ergo lumen dat objecto, & scientiæ actualitatē genericam. Quare sicut per diversas abstractiones sciētiae habent unitatem genericam, vel speciem subalternam; ita objecta scibilia habent etiam genericam unitatem. Actualitas verò specifica datur scientiæ ab objecto *quod* ut ait Ægidius ibi, & objectum *quod* dat etiam abstractioni actualitatem specificam, contrahendo illam per principia formaliter diversa, ut num. 6. & 7. ostensum est.

En ergo solutio, & ratio alia pro nobis. Abstractio dat objecto unitatem genericam, quia non habet aliam: objectum dat abstractioni unitatem specificam, quam habet objectum in se, & non habet abstractio. Sed formalior est unitas specifica objecti, quàm generica abstractionis: ergo si scientia debet sumere unitatem ab eo quod est formaliter in objecto adæquatè sumpto, debet illam sumere ab objecto *quod*, non ab objecto *quo*, vel ratione *sub qua*.

Observa quòd hìc vocamus objectum *quo*, vel ratio *sub qua* abstractionem à materia. Ceterùm hæc nomina etiã reperit̃ur in objecto formali *quod*. Nam coloratum v. g.

est objectū *quod*, & duo dicit, scilicet colorem, & rem habentem colorem: res dicitur ratio quæ videtur; color ratio *sub qua* videtur, vel objectum *quo* visus. Ceterùm hìc ad vitandam confusionem sumimus objectū *quo*, & rationem *sub qua* pro sola abstractione, reliqua vocamus objectum *quod*, vel ratio quæ.

11. Ad 1. confirmationem num. 4. positam neg. antecedens. Nego quòd objectum formale sumat suam unitatem ab abstractione, nisi loquaris de unitate generica. Nam ostensum est, quòd potius abstractio, quæ est una genericè, sumit suam unitatem ab objecto *quod*: sed *propter quod unumquodque tale & illud magis*: ergo scientiæ non sumunt suam unitatem ab abstractione, sed ab objecto *quod*.

Ad 2. confirmationem retorqueo illam, ut suprã n. 6. Plures scientiæ, ut Mathematicæ, attingunt objectum sub eadem abstractione: ergo ab illa non sumitur distinctio scientiarum. Respondemus negando majorem: non dantur scientiæ quæ tangant idē objectum formale, licet conveniant in objecto materiali. Philosophia, & Metaphysica considerant materialiter eundem hominem, sed non forma-

maliter; quia Philosophia respicit hominem ut mobilem, Metaphysica hominē ut ens: istæ sunt rationes *quæ* formaliter diversæ, & ab eis oritur distinctio specifica utriusque scientiæ.

12. His notatis, sententia docet Logicam esse unam unitate generica, non autem unitate specifica. Pro hac nullum Doctorem expressè vidimus, ceterùm in simili id docent de Philosophia Cajetanus, Capreolus, & Ferrar. Imò id suaderi potest conformiter ad doctrinam aliorum, ut patebit ex fundamentis.

Fundatur 1. Quia logica elicit plures assensus scientificos, & plures probabiles: at isti non possunt procedere ab unico habitu specifico; ergo habitus Logicæ est unus genericè, non autem specificè. Probatur minor. Habitus, à quo procedunt assensus scientifici, est habitus scientificus; item à solo habitu opinativo procedunt actus probabiles: sed habitus scientificus, & opinativus, sunt diversæ speciei: ergo.

2. Logica non est simplex qualitas, sed composita ex pluribus habitibus: sed non est composita ex pluribus numero distinctis: ergo ex pluribus specie diversis; & con-

sequenter non est una specificè, sed genericè. Major docetur à multis, & ferè ab omnibus Ægidianis. Minor est certa, quia duo accidentia solum distincta, non possunt esse in eodem subjecto: sed in eodem intellectu datur Logica sic composita: ergo &c.

3. Scientia, cujus objectum non habet unitatē specificam, sed genericam, solum est una genericè: sed Logicæ objectum solum habet unitatem genericam: ergo Logica solum est una genericè. Probatur minor. Objectum Logicæ est modus sciendi: sed modus sciendi solum habet unitatem genericam: ergo. Probatur minor. Modus sciendi dividitur in diffinitionem, divisionem, & argumentationem: sed istæ sunt species distinctæ modi sciendi: ergo divisum solum habet &c.

4. Per demonstrationem factam circa diffinitionem, non generatur scientia divisionis: ergo quia hæc est species diversa ab illa. Probatur antecedens. Per demonstrationē circa diffinitionem, non excluditur error circa divisionem, potest enim quis scire diffinite, & ignorare dividere: sed scientia divisionis est incompatibilis cū errore circa divisionem; cū relatè ad idē objectum non possit dari scientia,

scientia & error in eodem intellectu: ergo,

13. secūda sentētia docet Logicā esse unam in specie atoma, Ita omnes communiter. Eā ex professo probat Magister Froylan. Quia illa est una scientia specificē, quæ attingit unicum objectū formale, vel quæ attingit omnia sub unica ratione formalī: sed omnia, de quibus tractat Logica, attinguntur sub eadem ratione formali: ergo Logica est una in specie. Major patet, nam idēō potentia visiva est una, licet attingat colores specie diversos, quia omnes illos attingit sub ratione colorati, quæ est una formaliter, idem de intellectu attingente omnia sub ratione veri. Minorē probat. Quia omnia, de quibus est Logica, attinguntur sub eadem abstractione à materia. Hoc latē probat, & contra hoc solvit argumenta: sed in eis non immoramur, quoniam ex dictis constat nobis nihil suaderi.

## §. II.

*Nostri sententia probatur.*

**S**IT nostra conclusio: Logica est una scientia in specie atoma. Ita om-

nes DD. communiter: & probatur ex P. Augustino lib. 2. de Libero arb. cap. 5. ubi ait: ( Si summum bonū omnibus unum est, oportet etiam veritatem, in qua cernitur, & tenetur, id est sapientiam, omnibus unam esse.) En juxta S. P. Sapientia una est, quia objectum ejus unum est. Ergo cum objectum Logicæ sit unū omnibus hominibus, Logica omnibus hominibus erit una in specie.

Ne autem putares Logicam esse multiplicē in specie, quia multa attingit specie diversa, v.g. diffinitionem, divisionem, & argumentationem, subdit ibi S. P. ( Num idēō sequitur, ut ipsa sapientia etiam non sit una, communis omnibus, quia ea bona, quæ in illa cernunt, & eligunt homines, multa, & diversa sunt? Si enim hoc putas, potes & de luce solis dubitare, quod una sit; quia multa, & diversa sunt, quæ in ea cernimus. En S. P. dicit scientiam esse unam, licet diversa attingat; & probat à paritate lucis solaris, quæ una est, licet diversa manifestet: ergo quantumcumque Logica attingat diversa objecta partialia, specie diversa, erit una in specie.

Hujus ratio colligitur ex paritate Augustiniana. Idēō lux

lux Solis est una, quantumcumque manifestet objecta diversa; quia diversitas illa de materiali se habet ad lucē: sed etiam diversitas objectorum partialium Logicæ de materiali se habet ad Logicam: ergo sicut lux Solis est una, sic scientia Logicæ una est. Probat minor. Idēō rerum diversitas de materiali se habet ad lucem Solis, quia lux illa respicit res omnes visibiles, sub ratione eadem formali illuminabilis: at etiā Logica respicit omnia logicalia sub eadem ratione formali modi sciēdi; in qua conveniunt: ergo &c.

15. Probat 2. ex Angelico Magistro 1. p. q. 1. art. 3. ubi ad probandū Theologiam esse unam scientiam in specie, assumit hoc principium: ( Est enim unitas potentia, & habitus consideranda secundum objectum; non quidem materialiter, sed secundum rationem formalem objecti; puta homo, asinus, & lapis, conveniunt in una ratione formali colorati, quod est objectum visus.) Sed omnia, quæ tractantur in Logica, conveniunt in una ratione modi sciendi, qui est objectum Logicæ: ergo Logica est una in specie.

Probat 3. ex nostro Fundat. Doct. q. 2. Prologi

ad lib. Sent. art. 5. §. Propter hoc, ubi loquens de actualitate luminis, & objecti quod, ut determinet, à qua sumenda est unitas scientiæ, dicit: (Ista duplex actualitas sic differt, quia actualitas luminis est quid generale; unde unum lumen intellectus agentis sufficit ad dandam actualitatem omnibus scientiis humanis: sed ex actualitate subjecti (subjectum vocat objectum) consequitur scientia specialem unitatem: unde secantur scientiæ quemadmodum & res, de quibus sunt scientiæ, non quemadmodum & lumina, quibus innituntur.) Hæc D. N.

Ex quibus etiam à ratione sic. Scientiæ ab eo sumunt unitatem specificam, à quo distinctionem, & multiplicationem: sed scientiæ sumunt multiplicationem, & divisionem specificam ab objecto, non autem à lumine: ergo pro unitate Logicæ probanda, recurrendum est ad unitatem objecti, non autem ad unitatem abstractionis, & luminis. Minor probatur, tum autoritate Philosophi inclusa in verbis Egidij, scilicet, quod scientiæ secantur quemadmodum, & res. Tum quia actualitas luminis est quid generale, ut dicit D. N. & supra ostensum est num. 6. sed ab eo quod est generale pluribus

ribus scientijs, non potest sumi distinctio, & unitas specifica scientiarum: ergo non ab abstractione, sed ab objecto formali, quod, sumitur unitas specifica scientiarum.

Nunc sic. Sed objectum formale, quod, Logicæ est unum unitate formali: ergo Logica est una sciëntia in specie atoma. Probatur minor. Objectum formale, quod, Logicæ est modus sciendi apud omnes, licet disidium sit in explicando qualiter modus sciendi sit objectum Logicæ. De quo q. 8. Sed modus sciendi ut sic est formaliter unicum objectum Logicæ: ergo Logica est una in specie atoma.

Nota, quod species dicitur atoma & infima, quando non est divisibilis in plures species: species verò quæ divisibilis est in alias, dicitur species subalterna. Sic Mathematica non est species sciëntiæ infima, quia est divisibilis in plures scientias, specie diversas. Est tamen species subalterna, quia specificè differt à Metaphysica, & Philosophia naturali, ut dictum est num. 3. Quæ autem dicta sunt hic pro nostra conclusione, probant Logicam esse unam specificè atomè, quia probant non esse divisibilem in plures Logicas specie diversas.

## §. III.

*Solvuntur argumenta contraria.*

16. **A**D fundamenta contraria, quæ posita sunt num. 12. respondetur, & ad primum nota quæ diximus q. 5. n. 9. Quare respondemus dupliciter, primo negando, quod habitus scientificus non eliciat assensus probabiles. Iuxta quam sententiam nihil contra nos ex 1. argumēto, cui nego minorem.

Ceterum admissa sententia nostri Villanovani, scilicet quod assensus probabiles cujuslibet scientiæ procedunt ab habitu opinativo, distincto à scientifico: nihil etiam probatur contra nos in 1. fundamento. Nam licet Logica faciat assensus probabiles, non facit illos, ut scientia est, sed ut opinio est: ergo ut scientia solum facit assensus scientificos: ergo ut scientia est una in specie. Sed nostra conclusio est quod Logica est una scientia in specie: ergo nil probatur contra nos.

Si tamen Logica consideratur non ut scientia præcisè, sed ut habitus: certè ex fun-

fundamento illo probatur, quod Logica non est unus habitus, sed duplex, scilicet habitus scientificus, & habitus opinativus, sed nostra conclusio non quærit, nec aliquid statuit de Logica, ut habitus est; id enim reservamus pro quæstione sequenti: ergo contra conclusionem nostram de Logica scientia, nil probat primum fundamentum. In forma concessa majori, omitto minorem dubiam. Ad probationem minoris omitto majorem quoad secundam partem juxta dicta q. 5. & dist. min. habitus scientificus, & opinativus, sicut diversa speciei, sunt scientiæ diversa speciei, implicas in terminis, quia opinio non est scientia: sunt habitus diversa speciei, concedo min. & nego consequentiam.

Ad 2. fundamentum omissa pro nunc majori, de qua q. sequenti, & concessa minori, dist. consequens: ergo Logica est cõposita ex pluribus habitibus specie diversis, diversis in ratione qualitatis, concedo consequentiam, diversis in ratione scientiæ, nego consequentiam. Qui putant Logicam non esse simplicem qualitatem, sed cõpositam, non volunt quod Logica, ut scientia, sit cõposita ex pluribus scientijs;

sed ex pluribus habitibus, quæ inter se faciunt unam specificè scientiã. Quare cõpositio Logicæ est solum in ratione qualitatis non in ratione scientiæ. Ratio est, quia multiplicitas scientiæ sumitur à multiplicitate objecti formalis: sed objectum formale Logicæ est unum, & non multiplex: ergo in ratione scientiæ est una, non multiplex. Ratio ponendi qualitates diversas est ad vincendas difficultates diversas: sed intra objectum Logicæ scientiæ dantur diversæ difficultates, ut videbimus: ergo Logica non est una qualitas simplex, sed cõposita, & multiplex.

17. Ad 3. fundamentum respondetur 1. inlando in omnibus potētis, sensibus, & scientijs. Objectum intellectus est verum, quod non est unum specificè, sed genericè, cum sit divisibile in veritates specie diversas. Objectum visus est coloratum, quod etiam est unum genericè, nam dividitur in colores specie diversos. Objectum Theologiæ, & cujusvis scientiæ, est scibile, quod dividitur in scibilia specie diversa: ergo intellectus non erit unica potentia specificè, sed genericè; visus item non erit sensus unus unitate specifica, sed ge-

nerica? Falsa consequentia, alias intellectus unus solum genericè, esset divisibilis in varias species intellectus; visus item in varios sensus, specie distinctos.

Objectum ergo scientiæ vel potentiæ potest considerari dupliciter, vel in esse entis, vel in esse objecti. Si coloratum v. g. consideratur in esse entis, sic est unum genericè, dividitur in varias species coloris, ut in album, nigrum, fuscum &c. Si consideretur in esse objecti, sic est unum specificè, quia non dividitur in album, & nigrum, ut in varias species objecti, sed ut in varias partes ejusdem objecti. Quare licet album, & nigrum sint species coloris diversæ, non sunt species diversæ objecti visus, sed partes ejusdem objecti speciei potentiæ visivæ. Sic de objecto Logicæ; nam modus sciendi entitativè sumptus, dividitur in varias species; at diffinitio, divisio &c. nō sunt variæ species objecti Logicæ, sed partialia objecta, id est partes objecti Logicæ, unde in formaliter respondeo.

Ad 3. fundamentum neg. min. ad probationem ejus nego min. ad ejus probationem dist. maj. Modus sciendi dividitur in diffinitionem, divisionem &c. dividitur in ef-

se entis, concedo maj. in esse objecti, subdist. dividitur ut in species distinctas objecti, nego maj. ut in partes ejusdem objecti speciei, vel ut in objecta partialia, concedo maj. & sub eadem distinctione, nego min. & consequentiam.

18. Sed replicabis. Modus sciendi dividitur in suas species, ut in objecta specificè distincta: ergo in esse objecti non habet unitatem specificam, sed genericam. Probat antecedens. Modus sciendi entitativè, dividitur in diffinitionem, divisionem &c. ut in species distinctas: ergo etiā modus sciendi in esse objecti dividitur &c.

Confirmatur. Vel Logica agit de modo sciendi secundum rationem communem diffinitioni, divisioni &c. vel secundum rationes particulares modi sciendi diffinitivi, divisivi &c. Si primum: ergo Logica non distinguit diffinitionem, à divisione, quod est falsum. Patec hæc consequentia. Quia diffinitio, & divisio non distinguuntur in ea ratione, in qua conveniunt: ergo si Logica solum cognoscit illas in ratione communi utrique, non distinguit inter utramque. Si secundum: ergo diffinitio v. g. non solum est pars objecti Logicæ, sed est spe-

species objecti diversa ab alijs speciebus. Probat consequentia. Quia diffinitio solum est pars modi sciendi in communi; non autem est pars, sed est integra species modi sciendi particularis: ergo si Logica respicit modos sciendi secundum rationes particulares, diffinitio non solum erit pars objecti Logicæ, sed species objecti, ab alijs diversa.

Respondemus ad replicam neg. antecedens, ad probationem concessio antecedenti, nego consequentiam. Diffinitio constat ex dictis, & ex exemplis datis pro instantia. Diffinitio enim specifica diffinitionis à divisione est formalis relatè ad rationem communem modi sciendi entitativè; non autem relatè ad modum sciendi objectivè sumptum. Ratio est, quia Logica formaliter attingit modos omnes sciendi sub ea ratione in qua conveniunt, non autem sub ea ratione, in qua differunt inter se. Contra hæc solutionem expressè militat confirmatio, quæ desumpta est ex D. N. loco citato n. 9.

Respondetur ex ipso, quod Logica formaliter agit de modo sciendi secundum rationem communem; & materialiter agit etiam de mo-

do sciendi secundum rationes particulares. Ut enim Logica distinguat diffinitionem à divisione, sufficit quod materialiter attingat differentias illas particulares. Ergo cum formale objectum sit ratio communis modi sciendi, diffinitio non est species objecti, sed pars illius rationis communis objectivæ: unde dividitur objectum Logicæ in partes, & objecta partialia, non in species. In forma ad antecedens applica diffinitionem datam formaliter rationi communi, & materialiter rationibus particularibus. Et ex dictis nega subsumptas.

19. Ad quartum fundamentum positum num. 12. dic, quod scientia de diffinitione, est scientia, quæ formaliter est de modo sciendi in communi, & materialiter est de diffinitione secundum rationem particularem. Hæc scientia per demonstrationem circa diffinitionem acquisita, non est scientia divisionis secundum rationem particularem, sed secundum rationem communem modi sciendi, in qua convenit cum diffinitione. Quare scientia illa excludit errorem circa diffinitionem secundum utramque rationem, & circa divisionem secundum rationem

communem tantum. Ratio est, quia scientia excludit errorem circa objectum de quo est scientia, & modo quo est: sed scientia de diffinitione formaliter, solum est scientia de divisione secundum rationem communem modi sciendi: ergo solum excludit errorem circa divisionem secundum rationem communem. Ergo dum admittit errorem circa divisionem, est solum circa rationem particularem divisionis, de qua non est scientia diffinitionis.

20. *Quæres*: Quid deficit scientiæ de diffinitione, ut attingat divisionem secundum rationem particularem? *Respondeo*, quod deficit solum applicatio habitus ad materiam divisionis. Vt enim supponit argumentum, Logica solum acquiritur per demonstrationem circa diffinitionem: ergo usque dum Logica demonstrat circa divisionem, non applicatur materiæ divisionis: ergo non attingit divisionem secundum rationem particularem ullo modo. Non formaliter, quia rationes particulares, non attinguntur formaliter; non materialiter, quia per solam demonstrationem in materia particulari applicatur habitus ad rationes particulares, sup-

ponitur enim nullam esse factam demonstrationem de divisione. Ergo Logica acquisita circa diffinitionem, est Logica de divisione secundum rationem communem, non autem secundum rationem particularem. Ergo excludit errorem circa divisionem secundum rationem communem, non autem secundum rationem particularem.

In forma disting. antecedens, non acquiritur scientia divisionis secundum rationem communem, nego antecedens: secundum rationem particularem divisionis, concedo antecedens, & nego consequentiam, quia scientiæ non sunt distinctæ per objecta secundum rationes particulares distincta, ut probatum est. Ad probationem antecedentis disting. majorem, non excluditur error circa divisionem secundum rationem communem, nego majorem: secundum rationem particularem, concedo majorem; & disting. minorem. Scientia & error sunt incompatibilia, circa idem objectum secundum eandem rationem, concedo; secundum diversas, nego min. & consequentiã

## QUÆSTIO SEPTIMA.

*Verum Logica sit simplex qualitas?*

§. I.

*Quibusdam notatis referuntur sententia.*

1. *S*upponendum est primo. Logicam esse qualitatem de primo genere qualitatis, & dicitur *Habitus*. Hoc patet ex dictis, quia Logica juxta P. Augustinum est scientia, vel disciplina: sed disciplina est qualitas de primo genere qualitatis, & dicitur *habitus*: ergo Logica est qualitas de primo genere. Minor est expressa in P. Augustino libro de Decem Categ. cap. 7. ubi ait: *Disciplina est categoria qualitatis*. Et explicans quod sit de primo genere, scilicet *habitus*, ostendensque quid habitus sit, ait cap. 12. *Habitus affectio est animi longo tempore perseverans, ut est virtus & disciplina*. En disciplina est de genere qualitatis, & est habitus. En etiam quid habitus sit: juxta quam diffinitionem traditur alia pro omnibus habitibus, etiam corporis; & est *Facilitas relicta ex frequentatis actibus ad similes actus*.

Cum Logica sit scien-

tia, & habitus, vel qualitas; merito dubitatur, an sit una scientia; & an sit unus habitus? De primo actum est questione præcedenti: de secundo nunc agendum est; & quærimus, an taliter sit unus habitus & una qualitas, ut unica & indivisibilis se extendat ad omnes conclusiones Logicæ; an vero sit multiplex habitus, vel qualitas composita ex multis habitibus? Iam vides ex titulo dubium procedere de Logica habituali, non de actuali: primo, quia Logica actualis non est habitus, sed actus. Secundo, quia nulli dubium est, Logicam actualem esse compositam ex pluribus actibus realiter distinctis, quales sunt actus definiendi, dividendi, & argumentandi.

2. Prima sententia docet Logicam esse simplicem qualitatem. Idem docet de qualiter alia scientia. Hæc sententia est expressa in D. Thoma 1. 2. q. 54. art. 4. ubi ait: ( Si consideramus habitum se-



secundum ea ad quae se extendit, sic invenimus in eo quamdam multipliciter: sed quia haec multiplicitas est ordinata ad aliquid unum, ad quod principaliter respicit habitus; inde est quod habitus est simplex qualitas, non constitutus ex pluribus habitibus, etiam si ad multa se extendat. (En S. D. negat Logicam componi ex pluribus habitibus: & rationem assignat, quia omnia ad quae se extendit, ordinantur ad unum objectum principale, a quo habitus sumit suam unitatem.

Hanc sententiam sequuntur omnes RR. Thomistae, non autem omnes antiqui, quia aliqui tenuerunt contrariam sententiam, ut advertit Cajetanus in expositione articuli laudati. Ex alijs tenent eandem sententiam Rubius, Caberus, Vazquius, Salas, Valentia, & Quiros. Quibus adde ex nostris Aragonium, Villanovam, Gavardi, & alios, sequentes D. N. in 1. Sent. dist. 17. p. 2. q. 1. art. 1. ubi negat charitatem augeri per additionem novae charitatis. Inde colligunt, Logicam acquisitam per primam demonstrationem, non augeri per additionem novi habitus, dum se extendit ad alias conclusiones per demonstrationes subsequentes.

### De Proemialibus.

3. Hac sententia a ratione probatur 1. ratione insinuata a D. Thoma ubi supra. Habitus attingens plura, ut ad unum ordinata, est una scientia, unus habitus, & simplex qualitas: sed Logica attingens varia objecta materialia, attingit sola, ut ordinata ad demonstrationem, quae est principale objectum intentum a Logica: ergo est una simplex qualitas.

2. Logica adaequatè sumpta est facilitas ad omnes conclusiones logicas: sed haec facilitas est simplex qualitas: ergo Logica adaequatè sumpta, est simplex qualitas. Probatur minor. Habitus acquisitus per primam demonstrationem, est simplex qualitas, ut fatentur contrarij: sed habitus hic est facilitas ad omnes conclusiones logicas: ergo. Probatur minor. Hic habitus est facilitas ad omnes conclusiones ei similes: sed omnes conclusiones Logicae sunt similes primae conclusioni: ergo. Probatur minor. Illae conclusiones sunt similes primae, quae habent idem motivum specificum assentiendi: sed motivum assentiendi omnibus conclusionibus Logicae est idem, scilicet modus sciendi, qui est objectum Logicae: ergo &c.

3. Logica est habitus attingens

### Quaest. VII.

tingens omnia sub eadem ratione formali: ergo est simplex qualitas. Probatur consequentia. Ideò intellectus plura & diversa attingens, est simplex qualitas, quia omnia attingit sub eadem ratione formali: ergo si Logica omnia attingit sub eadem &c.

Et confirmatur. Quod intellectus sit potentia data a natura, & non acquisita nostris actibus, non facit quod sit simplex qualitas: ergo ideo simplex qualitas est, quia omnia attingit sub eadem ratione formali. Probatur antecedens. Intellectus, & voluntas non sunt habitus nostris actibus acquisitus, sed a natura datus: & tamen utraque potentia simul non est simplex qualitas, sed composita: ideo, quia attingunt plura sub diversa ratione formali veri, & boni: ergo quod intellectus solus, sit simplex qualitas, oritur ex quo omnia tangit sub eadem ratione formali veri. Nunc sic. Sed Logica omnes conclusiones suas tangit sub ratione unica formali modi sciendi, ut supra ostensum est: ergo Logica ad omnia se extendens, est simplex qualitas.

4. Logica est habitus ad minus se extendens, quam potentia, & ad magis se extendens, quam actus, quo

generatur: sed actus se extendit ad unam conclusionem Logicae, potentia intellectiva non solum ad omnes conclusiones logicales, sed philosophicas, metaphysicas, & omne cognoscibile: ergo habitus Logicae unicus & simplex, se extendit ad omnes conclusiones logicales. Major probatur 1. quia habitus est medium inter potentiam, & actum, & sic participat ab extremis, & recedit ab eis; quare ad minus se extendit, quam potentia: &c.

2. Probatur eadem major. Quod magis aliquid recedit ab actu, eo magis est indifferens, & ad plura se extendit: sed habitus magis recedit ab actualitate quam actus; & potentia magis quam habitus: ergo habitus ad magis se extendit quam actus, & ad minus, quam potentia. Minor patet, quia actus est determinatio habitus, & habitus est determinatio potentiae: ergo &c. omitimus alias probationes, tum ne plura dubia contrarijs apponamus, tum etiam quia sententiam istam infra probaturi sumus.

3. Secunda docet Logicam & quamcumque scientiam esse compositam qualitatem ex tot habitibus, quot formantur demonstrationes circa conclusiones specificè diversas:

quare per demonstrationem circa definitionem generatur unus habitus, per demonstrationem circa divisionem alter habitus; & sic de ceteris. Unde Logica non est unus simplex habitus, sed multiplex, & compositus. Ita docent Scotistæ cū suo subtili Doct. Nominales omnes; ferè omnes DD. Societatis: quibus adde ex nostris Gregorium Ariminensem, qui q. 3. Prol. in. 1. Sent. per tres articulos idcōfirmat accuratissimè. Ipsum sequitur N. Lafosse tom. 1. suæ Theologiæ q. 2. Proëm. cap. 1. & N. Ægidius Lusitanus li. 11. de Beatit. q. 8. ar. 5. & fundatur à nostris de mēte Ægidij q. 26. super prædicam. ad 3. ut observat N. Villanova.

Hæc sententia fundatur primò à nostro Lafosse, auctoritate P. Augustini Epist. 112. ad Paulinam cap. 2. dicentis: *Nostra scientia constat ex visis rebus & creditis.* Ex quo sic. Habitus qui constat ex rebus creditis, & visis, non est simplex, sed composita qualitas; sed juxta P. Augustinum nostra scientia sic constat: ergo juxta eundem Theologia, & quæcumque scientia nostra, non est simplex qualitas: Probat major. Habitus constans ex creditis, & visis, videt, & credit, quare se exercet, & inclinatur in fidem, & scientiã:

sed habitus inclinans in actus essentialiter diversos, non est simplex, sed composita qualitas: ergo.

2. fundatur ab eodem ex D. Thoma 2. 2. q. 24. art. 5. dicente: (Distinctio in formis est duplex, una quidem secundum speciem, alia autem secundum numerum. Distinctio secundum speciem in habitibus est secundum objectorum diversitatem; distinctio verò secundum numerum est secundum diversitatem subjecti. Potest ergo contingere quòd aliquis habitus per additionem augeatur, dum extenditur ad quædam objecta, ad quæ prius non se extendebat, & sic augeatur scientia Geometriæ in eo, qui de novo incipit scire aliqua Geometralia, quæ prius nesciebat.) Ecce expressè S. Thomas admittit augmentum habitus Geometriæ per additionem: ergo per novam conclusionem logicalem additur habitus habitui præcedenti, & sic Logica adæquatè sumpta est habitus compositus ex pluribus.

3. Probat à ratione ex nostro Gregorio, & alijs. Habitus Logicæ acquisitus per primam demonstrationem circa definitionem, v. g. non est facilitas inclinans in divisionem, aut argumentationem: ergo ut de-

tur

tur inclinatio, & facilitas in hæc, oportet cum habitu primo ponere alios aequisitos per demonstrationes subsequentes. Patet consequentia, & antecedens probatur 1. Quia habitus solum inclinatur in actus similes eis, quibus generatur: sed definitio non est similis divisioni, & argumentationi: ergo.

2. probatur antecedens. Quia si habitus ille circa definitionem esset inclinatio, & facilitas circa alia, sequeretur quòd habitus esset inclinatio, & facilitas in conclusiones, quas nunquam novimus: at hoc est chimericum; nemo enim est facilis cognoscere quod nunquam cognovit: ergo &c.

3. Probat idem antecedens. Quia experientia docet, quòd repetitis actibus circa definitionem, & acquisita facilitate circa illam, remanet difficultas in dividendo, & argumentando: ergo quia habitus 1. acquisitus, non est facilitas ad alias conclusiones subsequentes.

4. Probat idem. Nam qui habet habitum primæ conclusionis non habet habitum omnium: ergo habitus primæ non inclinatur, & faciliat ad omnes. Probat antecedens. Qui habet scientiam unius conclusionis non

habet scientiam omnium; quis enim dicat tantam Logicam habere incipientes, quàm consummati Magistri? Ergo qui habet habitum primæ conclusionis non habet habitum omnium.

4. fundamentum à ratione formatur sic. Habitus illi sunt distincti, qui habent diversas generationes, & corruptiones; intensiones, & remissiones: sed habitus Logicæ sunt hujusmodi: ergo sunt diversi circa diversas conclusiones, & consequenter Logica est composita qualitas. Minor probatur per singula. Et 1. circa diversam generationem. Nam causa generans habitum circa primam conclusionem, non generat habitum circa secundam, ut supra multipliciter probatum est: ergo sunt multæ & diversæ generationes habituum. Secundò. Quando causæ generantes sunt diversæ, tunc sunt diversæ generationes: sed in Logica sunt multæ demonstrationes circa diversas conclusiones, & quælibet demonstratio est causa generativa scientiæ: ergo sunt multæ, & diversæ habituum generationes.

Circa corruptionem sic. Potest corrumpi habitus tertie conclusionis, manente habitu 1. conclusionis: ergo ha-

bitus illi habēt diversam corruptionem. Patet consequentia, quia si haberent eandem, corrupto uno, non maneret alter. Antecedens patet experientia, nam sapiens habens habitum plurium conclusionum obliviscitur aliquarum; at tunc oblivione corrumpitur habitus circa illam conclusionem: ergo.

Circa intensionem sic. Per actus circa diffinitionem intenditur habitus Logicæ diffiniētis, non habitus Logicæ dividētis: ergo ut intendatur habitus dividendi, oportet exercere actus dividendi. At actus isti sunt diversi: ergo etiam intensiones habituum.

Circa remissionem. Quæ habent eandem remissionem, remisso uno, remittitur aliud: sed omittendo actus dividendi, & exercendo solos actus diffiniēdi, remittitur habitus divisionis per non usum, non autem remittitur habitus diffinitionis, imò tunc intenditur: ergo habitus circa illas duas conclusiones habet diversam remissionem.

8. Confirmatur. Si habitus acquisitus de 1. conclusione foret habitus etiā centesimæ cōclusionis sequeretur, quòd habitus iste dupliciter posset augmentari, scilicet, vel per actus repe-

*De Præmialibus.*

titos circa primam, vel per actus repetitos circa centesimam: sed hoc est falsum: ergo id ex quo sequitur. Probatur minor. Si habitus ille eodem modo augmentaretur per actus utriusque conclusionis, sequeretur, quòd repetitis actibus diffiniēdi, cresceret notitia divisionis, & è contrasat hoc est falsum, ut docet experientia: ergo. Probatur sequela majoris. Quia calor aquæ augmentatur ab igne, & à Sole, à quocumque augmentum sit, inclinatur & efficit calor eodē effectus: ergo si &c.

Confirmatur 2. ex contrarietate. Nam habitus diffiniēdi non compatitur cum errore circa diffinitionem: at compatitur cum errore circa divisionem: ergo habitus diffiniēdi, & dividendi sunt habitus distincti Major, & minor sunt certæ, quia scientia, & error de eodem objecto non possunt compati in eodem intellectu. Item experientia docet, quòd habens habitum diffiniēdi potest errare circa divisionem. Consequentia probatur. Si habitus diffiniēdi foret habitus dividendi, aquè excluderet errorem circa utrumque: ergo si non excludit errorem circa divisionem non est habitus dividendi; & sic habitus de utroque

*Quest.*

VII.

que est distinctus. Secundo. Nam error circa divisionem debet excludi per habitum ei oppositum, & cum eo incompatibilem: sed habitus diffiniēdi non est incompatibilis cum errore circa divisionem, ut ostensum est: ergo requiritur habitus distinctus pro divisione.

9. 3. sententia est Soncinatis, & aliquorum Thomistarum, quos supresso nomine citat Cajetanus in expositione articuli 4. q. 54. citati pro 1. sententia. Isti putant quòd habitus nihil aliud est juxta D. Thomam nisi species intelligibiles: sed in Logica & qualibet scientia sunt multæ species intelligibiles: ergo habitus Logicæ est qualitas composita ex tot partibus, quot fuerint species illæ. Minor cum consequentia tenet, & major docetur à D. Thoma multis locis de quibus vide Cajetanum. Hoc modo explicant D. Thomam docentem 1. 2. q. 52. art. 2. scientiam augeri per additionem. At scientia augetur dum nova species acquiritur: ergo scientia consistit in aggregato diversarum specierum circa idem objectum formale. Hanc sententiam docet P. Hurrado, & ex Societate aliqui. Sed dicunt, quòd adhuc dato habitum scientiæ differre à spe-

§. I.

157

ciebus, scientia non est simplex qualitas. Soncinas verò, & alij Thomistæ hoc dato, dicunt esse simplicem qualitatem.

§. II.

*Nostra sententia proponitur, & probatur.*

10. **S**icut inter DD. reputatur dubia mens D. Thomæ circa hoc; ita mens nostri Ægidij nō est adeò clara in hac questione, ut certior sit in ejus principijs una sententiā præ altera, quod advertit N. Villanova & constat ex locis datis supra pro utraque sententia. Id tamen movet nos primam eligere, tum quia conformior doctrinæ Ægidianæ; & Thomisticæ; tum quia est difficilis, non premitur angustijs, quibus altera constringitur pro unione illorum habituum partialium ad efficiendam unam scientiam, & pro alijs componendis, de quibus vide P. Suarium tom. 2. Metaphysicæ disp. 44. per totam; ubi eximie, & prolixè tractat omnia, adhærens 2. sententiæ.

Dicendum est nobis cum 1. sententia Logicam esse simplicem qualitatem. Probatur primò

primo ex P. Augustino lib. 2. de libero arb. cap. 9. ubi ait: (Num idè sequitur, ut ipsa sapientia non sit una, communis omnibus, quia ea bona, quæ in illa cernunt, & eligunt homines, multa, & diversa sunt? Si enim hoc putas, potes & de ipsa luce Solis dubitare quòd una sit; quia multa & diversa sunt, quæ in ea cernimus.) Istam auctoritatem suprà adduximus ad probandum Logicam esse unam scientiam in specie: eandem reproducimus ad probandum esse simplicem qualitatem.

Ex illa argues sic. Primò juxta P. Augustinum sapientia est una, licèt plura & diversa attingat: ergo Logica erit etiam una, licèt plura & diversa objecta partialia contempletur. Consequentia patet, tum à paritate, tum exèplo lucis inducto: tum ex probationibus nostris quæstione præcedenti. Nunc sic. Sed si Logica non esset simplex qualitas, Logica non esset una scientia, sed multiplex: ergo ex P. Augustino probatur Logicam esse simplicem qualitatem. Minor conceditur expressè à Merino in præsentis: & communiter dicitur Nominales tot Logicas concessisse, quot habitus. Sed probatur. Nam si

Logica non est simplex qualitas, non est unicus habitus, sed multiplex: sed quilibet ex eis est scientia; cum quilibet sit *habitus per demonstrationem acquisitus*: ergo Logica, si non esset simplex qualitas, non esset una scientia, sed multiplex.

Sed expressiùs de Logica loquens S. P. lib. 2. de Doctrina Christiana cap. 35. ait: (Scientia diffiniendi, dividendi, atque partiendi, quamquam etiam rebus falsis plerumque adhibeatur, ipsa tamen falsa non est, neque ab hominibus instituta, sed in ratione comperta.) En Logica se extendens ad diversa, non est pluraliter multiplex, sed scientia in singulari; modo quo juxta P. Augustinum suprà laudatum sapientia attingens plura & diversa, est sapientia in singulari & una: sed si esset composita qualitas, non foret una, ut arguebamus: ergo juxta P. Augustinum Logica est simplex qualitas.

11. Secundò: Probatur ex D. Thoma 1. 2. q. 54. art. 4. ad 3. dicente: (Si consideremus habitum secundum ea, ad quæ se extendit, inveniemus in eo quamdam multipliciter; sed quia illa multipliciter ordinatur ad aliquid unum, ad quod principi-

pa.

paliter respicit habitus, inde est quòd habitus est qualitas simplex, non constituta ex pluribus habitibus, etiam si ad multa se extendat.) Certè nil clarius potuit S. D. dicere pro nostra sententia.

Tertiò probatur ex nostro Fundat. Doct. q. 8. Prolog. in lib. Sent. ubi pro unitate Theologiæ arguit sic: (Quod non est scientia una, non est scientia; quia per idè habet aliquid esse, & unum esse, ut scribitur in 4. Metaphysicæ: sed Theologia est scientia: ergo est una.) Muta minorem sic: sed Logica est scientia: ergo est una: sed non esset una, si foret qualitas composita, ut probatum est: ergo est simplex qualitas. Vel muta etiam majorem. Quod non est qualitas una, non est qualitas: sed Logica est qualitas: ergo una, & non multiplex.

Urgentiùs probatur ex nostro Doctore in 1. Sent. dist. 17. p. 2. q. 1. art. 2. ubi negat augmentum charitatis fieri per additionem gradus ad gradum. Hoc probat dupliciter, primo (quia ex prima charitate, & ex charitate de novo addita, fieret una charitas major.) At hoc est impossibile, quia solum ex potentia & actu fit unum per se; tunc autem forent duo entia

in actu; nisi dicas, quòd charitas nova est forma charitatis præexistentis; & hoc est ponere formam formæ, quod est inintelligibile.

2. id probat: (Quia si adderetur aliqua charitas charitati primæ, tunc essent in anima duæ charitates, quòd stare non potest: quia vel differenter specie, vel numero? Specie non: quia omnes charitates sunt in eadem specie virtutis. Numero non: quia accidens non numeratur, nisi numeratione subjecti &c.) En juxta principia Ægidij intensio qualitatis non fit per additionem gradus ad gradum. Qualitas item non augetur per additionem novæ qualitatis. Ergo dum augetur habitus Logicæ, & cujuscumque scientiæ per extensionem ad novas conclusiones, tunc non additur novus habitus præcedenti. Sed ille primus extenditur, & perficitur.

12. Hinc sumitur duplex ratio fati efficax pro nostra sententia ex verbis citatis nostri Ægidij. Formatur sic. Semel acquisito habitu Logicæ per primam demonstrationem circa diffinitionem v.g. novus habitus non acquiritur per secundam demonstrationem circa divisionem: ergo idem habitus primæ demon-

mon-

monstrationis, qui est simplex qualitas extenditur ad omnes conclusiones Logicæ. Patet consequentia, quia per secundam demonstrationem non acquiritur novus habitus, nec etiam acquireretur per tertiam & subsequentes, cum eadem ratio sit omnium; quare habitus simplex 1. conclusionis se extendet ad omnes conclusiones & sic erit simplex qualitas.

Antecedens probatur. Si acquireretur novus habitus per secundam demonstrationem, iste vel constitueret scientiam distinctam à primo habitu; vel simul cum primo habitu unitus constitueret unam scientiam. Sed primum est falsum; secundum est impossibile: ergo semel acquisito &c. Minor quoad primam partem constat tum ex dictis quæst. præcedenti ubi probatum est Logicam esse unam scientiam in specie; tum ex communi Philosophorum consensu, dicentium Logicam esse unam, & non dari plures Logicas; & ut advertit P. Suarius supra laudatus, nullus est Nominalis expressè cōcedens dari plures Logicas, licet hoc eis tribuatur, fortassis, quia est sequela doctrinæ suæ.

Quoad secundam partem probatur minor ex N.

*De Proemialibus*

Ægidio. Nam juxta Philosophum 8. Metaphysicæ (Ex quibus fit unum; unum se habet in potentia respectu alterius.) Sed habitus 1. conclusionis, non se habet in potentia respectu habitus 2. nec è contra: ergo ex eis nequit fieri unus habitus, nec consequenter una scientia.

13. Confirmatur. Ex duobus illis habitibus non potest fieri unus, nisi vel unione compositionis actus, & potentiæ; vel unione continuativa partium quantitatis; vel tandem unione ordinativa plurium ad unum tertium. Non enim est excogitabilis altera unio; nam præter istas sola restat unio aggregationis, quæ habet lapides in acervo, quæ est unio per accidens. Sed neutra ex tribus potest esse inter duos illos habitus 1. & 2. demonstrationis logicalis: ergo si Logica est una scientia, est una unitate simplicis habitus, & qualitatis. Minor probatur per singula.

De 7. unitate compositionis sic. Ex duobus entibus in actu non fit unum per se unitate compositionis, nisi unum sit potentia, aliud actus; sed nullus ex illis habitibus est potentia respectu alterius; nullusque est alterius actus & forma, cum non sit major

ra-

*Quæst. VII.*

ratio cur primus actuetur à secundo, quam secundus à primo: ergo inter illos habitus non est unio compositionis.

De unitate continuationis sic. Partes hoc modo unitæ, sunt partes divisibiles, quæ uniuntur puncto indivisibili continuativo: ut patet in quantitate: sed habitus illi non sunt in se divisibiles, sed sunt duæ simplices qualitates item non est excogitabile medium aliquod indivisibile quo continentur, & uniantur, ut patet, quia nullus contrariæ sententiæ illud hucusque designavit: ergo habitus illi non uniuntur unione continuativa.

De unitate ordinis sic. Quia diffinitio non ordinatur ad divisionem, nec utraque ad argumentationem: nec è contra, ergo nec habitus diffinitionis ordinatur ad habitum divisionis &c. Patet consequentia, quia habitus in se sunt inconexi, & independentes ab invicem; unde solum per objecta possunt ad invicem ordinari. Antecedens probatur. Una species non ordinatur ad aliam contemtam sub eodem genere: sed diffinitio, divisio, & argumentatio sunt species contentæ sub eodem genere modi sciendi: ergo &c. major patet, quia rationale non ordinatur ad irra-

*§. II.*

tionale contentum sub genere animalis, nec è contra, minor ultrà cōceditur à contrariis.

Observa, quod omnes species modi sciendi ex se non ordinantur ad invicem; at verò à Logica scientia ordinantur diffinitio, & divisio ad argumentationem. Sicut 1. & 2. operatio intellectus ex se non ordinantur ad 3. bene vero intellectus eas ordinat ad illam. Nostra probatio fundatur in primo sensu, quia contrarij multiplicat habitus juxta multiplicatam conclusionum secundum se: & si hoc modo multiplicantur; hoc modo non habent unitatem ordinis. Ceterum quia conclusiones omnes Logicæ ordinantur à Logica ad unum objectum attributionis, quod juxta D. Thomam est demonstratio, & juxta Ægidium est syllogismus; inde probat D. Thomas habitum omnium conclusionum esse simplicem qualitatem, & unicum, ut ut vidimus num. 11.

14. 2. ratio ex nostro Ægidio pro nostra conclusione formatur sic. Si habitus primæ conclusionis esset distinctus ab habitu secundæ, isti duo habitus vel differrent specie, vel differrent numero: sed primum est falsum; & secundum est impli-

X

ca-

catōriū : ergo habitus utriusque conclusionis non est duplex, sed unicus, & simplex qualitas. Major patet, quia si differunt, aliqua distinctione differunt : ergo vel generica, & hoc magis repugnat ; vel specifica, vel numerica, de qua nunc probatur. Minor quoad primam partem ex dictis num. 12. constat.

Quoad secundam partem probatur minor. Duo accidentia solo numero distincta non possunt esse in eodem intellectu, aut subiecto : sed illi duo habitus forent duo accidentia solo numero distincta, & in eodem intellectu : ergo cum hoc implicet, implicat tales habitus solo numero differre. Hęc probatio solum tenet in principijs Ægidij de accidentibus realibus, non verò de intentionalibus ; ut ipse docet in solutione ad 4. loco citato. Et ratio est, quia accidentia intentionalia non sumunt suā unitatem numericam à subiecto in quo recipiuntur, sed à principio effectivo : quare in eodem puncto acris possunt esse diverse intentiones lucis. De accidentibus realibus non sic.

Quod breviter suadetur ex nostro Doctore. Iuxta Philosophum .Metaphysicæ accidentia realia sumunt unitatem,

& distinctionem numericam à subiecto, in quo recipiuntur : sed accidentia recepta in eodem subiecto, conveniunt in eo ; & nemo potest differre ab alio per id in quo convenit cum eo : ergo implicat quòd accidentia sint in eodem subiecto ; & quòd numericè differant. Hinc dicitur ab Arist. ubi supra. (Quæcumque sunt in eodem subiecto, & differunt, differunt specie.) Ergo cum habitus 1. & 2. conclusionis Logicæ sint in eodem intellectu, non possunt esse numericè distincti : ergo vel specificè differunt, quòd est falsum : vel nullo modo, & sic sunt unicus simplex habitus, & convincitur intentum.

15. Tertia ratio pro nostra conclusione formatur sic. Habitus acquisitus per primam demonstrationē Logicæ est potens se extendere ad omnes conclusiones Logicales ; sed talis habitus est simplex qualitas : ergo habitus se extendens ad omnes conclusiones Logicæ est simplex qualitas. Minor conceditur à contrarijs. Major probatur. Habitus acquisitus per primam demonstrationem, v. g. circa diffinitionem, attingit diffinitionem sub ratione formali modi sciendi ut sic : sed hoc ipso potest

potest se extendere ad omnes conclusiones Logicales : ergo &c. Major patet, quia prima demonstratio Logicæ attingit diffinitionem sub ratione formali specificativa scientiæ Logicæ ; ratio ista est modus sciendi ut sic. Idem patet in omni scientia, cuius actus attingunt objecta particularia sub ratione formali specificativa scientiæ. Item actus cuiuscumque potentia attingit objecta particularia sub ratione specificativa potentia, ut intellectio sub ratione veri, volitio sub ratione boni, quæ sunt rationes formales specificativæ intellectus, & voluntatis.

Minor probatur. Habitus attingens diffinitionem sub ratione communi modi sciendi, est potens attingere omnes conclusiones contentas sub illa ratione communi : sed nulla est conclusio in Logica, quæ non contineatur sub ratione communi modi sciendi : ergo habitus ille potest se extendere ad omnes conclusiones logicales. Minor cum consequentia tenet, & major probatur. Ideo potentia visiva unicus simplex potest attingere omnes colores, quia quæcumque attingit, videt sub ratione formali colorati, sub

qua omnes colores continentur. Intellectus item potest attingere quodcūque objectum, quia quodcūque continetur sub ratione communi veri, quæ est ratio specificativa intellectus : ergo &c.

16. Confirmatur. Aliquis habitus attingit diffinitionem ut modus sciendi est, & sub ratione communi modi sciendi : at non habitus partialis ; nec item habitus totalis compositus ex pluribus partialibus : ergo solus habitus totalis simplex. Major patet, quia diffinitio non solum est scibilis, ut est talis modus sciendi, sed etiam ut continetur sub ratione communi modi sciendi. Minor quoad primam partem probatur sic. Habitus partialis, si datur, solum attingit diffinitionem, ut est talis modus sciendi : ergo habitus partialis non attingit diffinitionem sub ratione communi modi sciendi, vel ut modus sciendi est.

Quoad 2. partem probatur. Habitus compositus ex pluribus, non aliter attingit objecta sua, quàm habitus partiales ex quibus componitur. Hoc patet, quia totum nihil aliud est quàm partes ex quibus componitur, ut dicitur 2. Physicorum : ergo si nullus ex habitibus partiali-

partialibus attingit diffinitionem, quia modus sciendi est; vel quia continetur sub ratione communi modi sciendi, habitus totalis non potest hoc modo diffinitionem attingere.

Explicatur. Quia Philosophia, Mathematica, & alia scientia, non attingunt sua objecta, ut scibilia ut sic, sed ut taliter scibilia; ideo ex habitibus Philosophia, Mathematica, & aliarum scientiarum, non resultat unus habitus compositus attingens omne scibile, sub ratione generali scibilis ut sic: ergo si habitus partiales Logicae non attingunt diffinitionem sub ratione communi modi sciendi; nec etiam habitus totalis ex eis compositus sic attinget diffinitionem. At debet dari habitus talis, ut probatum est: ergo talis erit simplex, se extendens ad omnes conclusiones.

Hac ratio, qua etiam utuntur Thomistae, efficax est; sed nisi explicetur amplius contradicit alteri rationi Thomistarum, data n. 4. En contradictio. Ibi dicitur, quod habitus determinat potentiam, & sic ad minus se extendit, quam potentia; item actus determinat habitum, & sic ad minus se extendit, quam habitus: sed habitus totius Lo-

gica unice se extendit ad modum sciendi ut sic: ergo prima demonstratio logicalis, quae est actus Logicae non attingit modum sciendi ut sic. Contrarium intendit hac ratio tertia.

Rursus. Iuxta dicta num. 4. actus est determinativus habitus: sed si actus diffiniendi attingeret modum sciendi ut sic, non esset determinativus habitus, sed aequè patens: ergo dicere hic talem actum attingere diffinitionem ut modus sciendi est ut sic, contradicit veritati, & dictis n. 4. Probatur minor. Diffinitio non est determinativa modi sciendi communis, nisi ut est talis species modi sciendi; sicut homo sub ratione animalis non est determinativus animalitatis, sed sub ratione rationalis: ergo si prima demonstratio non attingit diffinitionem, ut talis modus sciendi est, sed sub ratione communi modi sciendi, t. demonstratio non erit actus determinativus habitus sed aequè patens, quod contradicit veritati, & dictis n.

18. Ut hac dissolvas, quod actus duo habet munera, scilicet determinare habitum, & illum specificare; de primo constat ex dictis num. 4. secundum pa-

tet ex communi consensu Philosophorum docetium, quod (habitus, & potentiae specificantur per actus; & actus per objecta.) Hoc nunc supponendum est, & alibi probandum, ne doctrinas à recta quaestionum serie removeamus. Hinc colliges, quod quatenus actus specificat potentiam & habitum, debet aequè se extendere: quatenus autem determinat habitum, debet coarctari, & ad minus restringi. Primum patet, quia specificativum, & specificatum, sunt in eadem specie, & sic aequè patent. Secundum etiam est certum propter replicam factam.

Difficultas est, quomodo idem actus sub diversis numeribus possit aequè, & minus se extendere, quam habitus. Item, cur actus ex se determinatus ad objectum particulare, potest attingere rationem communem formalis objecti? Respondeo quod primum non est contradictio; quia contradictoria sunt affirmatio & negatio ejusdem de eodem & secundum idem. Equare, & non equare habitum, non affirmantur de actu secundum idem, sed secundum diversa munera. Equat enim ut specificativum habitus; non aequat, ut determinativum habitus est. Haec sunt

munera diversa, ut notavimus.

Respondeo ad secundum, quod aliud convenit actui ex vi suae entitatis, aliud in virtute habitus, cujus est exercitium, & specificativum. Actus ratione suae entitatis est determinatio potentiae, & ad objectum particulare determinatur. Ceterum actus ut exercitium potentiae, & habitus, quasi elevatur, ut in virtute ejus attingat plus, quam ei convenit per suam entitatem; unde elevatur, ut attingat rationem specificativam communem habitus & potentiae. Constat hoc: quia intellectus v. g. solum per suos actus potest attingere verum ut sic: at nulla intellectio particularis & determinata ratione suae entitatis attingit verum ut sic, ergo nisi ponamus quod intellectio in virtute potentiae elevetur ad attingendum verum in communi; nunquam intellectus illud poterit attingere. Idem constat in alijs potentijs, scientijs, sensibus, & habitibus.

19. Ex his constat ad replicam num. 17. positam. Actus ratione suae entitatis est determinativus habitus, & potentiae; & hoc intendit ratio data num. 4. Ceterum actus ut specificativus habitus, vel potentiae elevatur,



tur, ut in ejus virtute attingat rationem communē specificativam potentiæ, & habitus, & sic illam æquat. Hoc intendit ratio facta num. 15. & 16. Hæc non contradicunt sibi invicem; imò sic debent intelligi, ut rationes specificativæ habituum, & potentiarum attingantur à potentijs, & habitibus, quæ aliter non possent attingi per actus, ut ostensum est.

### §. III.

#### *Solvantur argumenta contraria nostræ sententiæ.*

20. **A**D fundamenta primæ sententiæ posita num. 2. nil occurrit, cum sint in favorem nostræ sententiæ. Observandum tamen, quòd D. Thomas, & N. Ægidius probant unitatem habitus, se extendentis ad plura; ex eo quòd omnia ordinantur ad unum, quòd principaliter intendit scientia. Hanc rationem multis oppugnant Nominales, Scotistæ, & alij RR. Societatis, quorum oppugnationes libentissimè exciperemus, si ipsi darent nobis aliud principium, unde sumeretur unitas specifica, & distinctio scien-

tiarum. At tale principium non assignant, imò Merinero, & alij succumbentes oneri, dicunt tot esse Logicas, quot habitus logicales. Ergo dum nobis non cõstet de alio principio unitatis scientiæ meliori, quàm assignato à DD. nostris, illud tenendum est, & oppugnationes, utcumque dissolvendæ.

21. Ad fundamenta 2. sententiæ, quæ directè militant contra nostram, respondemus, & ad primum positum num. 5. dicimus S.P. Augustinum non loqui de scientia nostra in singulari, ut est specialis scientia, sed in generali de omni cognito à nostro intellectu, quo sensu quidquid cognoscimus sive fide, sive opinione, sive scientia, id scimus, & dicitur scientia nostra; sicut diceres scientiam Dei id, quòd Deus cognoscit. Quòd ergo non sit scientia in particulari ea, de qua loquitur ibi P. Augustinus constat: nam non est Theologia, quia hæc non videt, nec est de visis, sed de creditis, & revelatis. Rursus non est Philosophia, Metaphysica, aut alia scientia naturalis, quia nulla credit, sed videt, hoc est cognoscit per demonstrationem evidentem, & non procedit ex revelatis. Ergo autoritas illa S.P. non est de scientia ri-

go-

gorosa, & in particulari: sed de omni cognitione nostra confusè, & copulativè sumpta

In forma ad rationem nostri Lafossie concedo maj. & dist. min. juxta P. August. nostra scientia constat ex visis, & creditis, nostra scientia particularis, nego min. nostra scientia communis, sumpta pro cumulo omnium cognitionum nostrarum, concedo min. & nego consequentiam; quia Logica de qua nunc, non est cumulus omnium cognitionum nostrarum; sed habitus specialis acquisitus per demonstrationes logicales. Prætereà, si quid inde probaretur, nil sanè, nisi quòd Logica est composita ex habitu fidei, & habitu scientiæ. Hoc nemo intendit adhuc in Theologia, quam qui ponunt compositam; dicunt componi ex multis habitibus scientificis.

22. Ad secundum fundamentum ex D. Thoma de sumptu, respondere possumus cū Cajetano illā autoritatē adduci exēplariter, nō doctrinaliter, nā D. Th. adducit exēplū in Geometria: sed autoritates exemplares debēt intelligi juxta doctrinam daram, ubi quæstio ex professo discutitur: ergo cum augmentū scientiæ ex professo explicetur à D. Thoma 1. 2. q. 54. ar. 4. exponēda sūt omnia jux-

ta doctrinā hujus articuli. Sed in hoc articulo negat S. D. scientias extendi per additionem habitus ad habitum, ut patet ex dictis num. 11. Ergo dum 22. q. 24. art. 5. dicit Geometriam augeri per additionem, explicandum est, ut negetur additio novi habitus ad præcedentem.

Respondere possumus 2. nostrum Doct. Fundat. expressè probare charitatem, & alias qualitates augeri nō per additionem, ut vidimus ex dictis. n. 11. & 12. ergo autoritas sonans augmentum scientiæ per additionem, non potest juxta nostri Doct. principia admitti, ut sonat.

23. Respondeo tertio cum N. Doct. ubi supra 1. Sent. dist. 17. p. 1. q. 1. art. 2. §. Propter hoc, ubi dicit. ( Dicendum est aliter, quòd ordo graduum in forma, potest esse secundum essentiam, vel secundum esse. ) Hoc explicat, quia gradus essentiæ cujuscūque formæ est sicut ultima unitas numeri constituens speciem; sed numerus nequit augeri in unitate aliqua nisi maneat essentia numeri, & transeat ad aliam speciem: ergo nec forma aliqua potest eadem manens augeri per additionem gradus in essentia.

Esse autem cujuscunque formæ accidentalis est *in esse*, hoc

hoc est inherere subjecto: sed hoc pendet à dispositione subjecti; ergo cum subjectum sit magis, vel minus dispositum, forma quantum ad esse suscipit gradus magis, & minus. Hinc colliges, quod est duplex additio graduum juxta Doct. nostrum: una graduum in essentia, & hæc non est possibilis formæ, nisi forma mutetur specificè. Altera graduum in esse; & hæc est possibilis formæ immutata. Ceterum cum hæc additio sit major inherentia in subjecto ratione majoris dispositionis subjecti, hæc 2. additio non est propriè additio graduum ad gradum in forma, sed est major radicatio formæ in subjecto, magis disposito.

Ex hac doctrina, quæ defertur pro difficili quæstione de intensione qualitatis, colligitur solutio autoritatis D. Thomæ nobis objectæ: Dicendum est S. Thomam admittere augmentum habitus Geometriæ per additionem secundum esse, non per additionem secundum essentiam. Hanc secundam contendit argumentum, sed eam negat D. Thomas adhuc in eadem autoritate. Nam ponit, quod diversitas numerica habituum sumitur à distinctione subjectorum; diversitas specifica à

diversitate formali. objectorum: sed ille, qui de novo incipit scire aliqua Geometralia, non mutat objectum formale, sed solum materiale, vel partiale Geometriæ; rursus exemplum procedit de habitu Geometriæ in eodem intellectu: ergo additio habitus non fit per additionem novi habitus distincti specificè, nec distincti numericè; sed solum est additio gradus secundum esse, vel major radicatio habitus in intellectu.

24. Sed dices. Habitus potest intendi, & extendi; quare est capax duplicis augmenti intensivi, & extensivi. Sed additio habitus secundum esse, ut explicatur à nostro Ægidio est solum augmentum intensivum: ergo cum loquatur D. Thomas de augmento extensionis, solutio nostra non est ad rem. Major patet ex D. Thomæ 1. 2. q. 52. art. 1. ubi distinguit illud duplex augmentum. Minor etiã constat, quia additio secundum esse, est major radicatio habitus in subjecto: sed hæc est augmentum intensivum: ergo tenet minor. Consequentiã etiam patet, quia D. Th. ibi loquitur de Geometria extensa ad novas conclusiones: ergo loquitur de augmento extensivo habitus, non

non de intensivo.

Et confirmatur. Quia aliter Geometria augetur per repetitionem primæ demonstrationis, aliter per extensionem ad nova Geometralia: sed per primam repetitionem Geometria intenditur, & augetur secundum esse: ergo per extensionem ad nova Geometralia, augetur extensivè & consequenter secundum gradus in essentia.

25. Respondetur ad hæc ex D. Thomæ eodem loco 1. 2. q. 52. art. 2. ubi adducit doctrinam datam ex nostro Ægidio; & statuit quod habitus se extendens ad novas conclusiones extenditur non per additionem aliquorum habituum, sed per acquisitionem novarum specierum circa illas conclusiones. Pro quo intelligendo observa, quod intelligendo objectum acquirimus species illius. Habitus non est multitudo specierum, ut videbimus contra tertiam sententiam; ceterum adjuvat potentiam intellectivam, inclinatur, & faciliat ad utendum illis speciebus. Igitur quando habitus se exercet circa unam solum conclusionem, tunc solum intenditur, quia nullam novam speciem acquirit, sed utitur præcedentibus semper majori intensione, & facilitate. At quæ-

do habitus se exercet circa novas conclusiones, tunc intenditur simul, & extenditur: intenditur quia frequenter actus, quibus subjectum magis disponitur, & habitus magis radicatur. Extenditur, quia acquisitis novis speciebus, habitus illas disponit, & inclinatur potentiam, ut per illas se exercent.

Cum ergo id quod addatur in isto augmento extensivo, non sit novus habitus numero, aut specie distinctus; idèo attentò habitu nulla fit additio in gradu secundum essentiam, ut docet uterque Doctor, sed solum quantum ad esse. At quia acquiritur nova species objecti, per quã habitus se extendit ad novam conclusionem, idèo augmentum hoc est extensivum; & revera est per additionem novæ entitatis; non novæ de genere habitus, ut intendunt contrarij, sed novæ de genere speciei expressæ.

Hinc cessant objecta præcedenti. Respondemus concessa maj. dist. min. additio de qua N. Ægidius loquitur, est additio, & augmentum intensivum, quando nova species non acquiritur, concedo min. quando acquiritur, subdist. est augmentum solius intensivum, nego min.

cupulo quāta in Magistro consummato. Nam Magister habet scientiam plurium conclusionum sub ratione particulari, quam non habet discipulus. Ceterum hoc non arguit novum habitum, sed magis extensum ob plures species conclusionum in particulari. Vide dicta numero 25.

18. Sed dices: Habitus acquisitus per demonstrationem circa definitionem, v. g. non respicit, nec attingit rationem communem modi sciendi: ergo doctrina data non tenet. Probatur antecedens. Habitus non potest plus se extendere, quam sua causa: sed causa per quam generatur habitus est actus: & actus non attingit rationem communem modi sciendi, sed particularem modum definitionis: ergo.

Respondetur ex dictis n. 13. quod actus ratione suae entitatis solum attingit objectum particulare, sub ratione particulari. Ceterum actus ut specificativus potentiae, & in virtute ejus attingit rationem communem, & objecta sub ratione communi specificativa. Hoc probatum est num. citato. Nunc dicimus quod actus non est causa habitus ratione suae entitatis, quia causa nequit producere effe-

ctum sibi inaequalem. At actus ut specificativus potentiae, & in virtute ejus producit habitum; ceterum sic aequè patet ac habitus. In forma nego antecedens, ad probationem concedo maj. & dist. mi. actus non attingit rationem communem, actus ut specificativus potentiae intellectivae, nego min. actus ratione suae entitatis, concedo min. ceterum sic non est causa habitus.

Dices. Actus in virtute potentiae producit habitum: ergo etiam ratione suae entitatis. Sed ratione suae entitatis respicit solum rationem particularem: ergo habitus sic productus ab actu, solum respicit rationem particularem.

Respondemus negando primam consequentiam, ratio est: Nam non est possibilis habitus, qui non se extendat plusquam actus entitativè sumptus: sed non est possibilis effectus plus se extendens quam causa: ergo non est possibile, quod actus entitativè sumptus producat habitum. Consequentia tenet, minor est certa, & major probata est num. 4. Ob eandem rationem actus, qui est specificativus intellectus sub ratione communi actus, nequit potētiam specificare sub ratio-

ne

ne particulari talis actus: quia si sic: sequeretur quod specificatum ad plus se extenderet, quam specificativum, & hoc est impossibile. Vide dicta num. 18.

29. Ad quartum fundamentum 2. sententiae positum num. 5. respondemus cōcessa maj. nego primo, quod habitus secundae conclusionis non sit genitus in prima cōclusionis; ad primam probationem in contrarium, dic illam reproducere, quae jam soluta sunt in fundamento 3. Ad 2. probationem concessa maj. dist. minorem. Demonstrationes Logicae sunt multae, & qualibet est generativa scientiae, generativa, vel perfectiva, concedo min. generativa praecise, subdist. si inveniatur habitum, jam productum, nego min. si non inveniatur, concedo min. & nego consequentiam. Qualibet demonstratio est potens generare habitum, si non inveniatur productum, quia omnes sunt ejusdem virtutis: sed si inveniatur productum, non producit sed perficit. Quare demonstratio non est determinatè generativa scientiae, sed vel generativa, vel perfectiva.

Et instatur in doctrina contraria, nam circa primam conclusionem non datur nisi unus habitus: & tamen

possunt plures formari demonstrationes: ergo cum sola prima generet habitum, reliquae non generant; sed unicè perficiunt. Sic juxta nostra principia omnes ordines non imprimunt nisi unicum characterem: hic imprimitur ab ordine primo; reliqui ordines perficiunt, & extendunt illum, quem alioquin producerent, si non invenirent impressum.

Circa corruptionem, nego etiam min. Ad probationem ejus dist. antecedens. Potest corrumpi habitus tertiae conclusionis manente habitu primae, habitus tertiae sub ratione communi, nego, sub ratione particulari extensiva; concedo antecedens, & nego consequentiam. Diximus quod habitus primae cōclusionis est habitus omnium sub ratione communi: sed licet obliviscamur 3. conclusionis manet habitus primae sub ratione communi: ergo habitus 3. sub eadem ratione manet; & sic non corrumpitur. Deficit oblivione habitus ut extensus ad 3. conclusionem, at extensio nil addit supra habitum, nisi solum speciem 3. conclusionis: ergo illa sola species deficit, non entitas habitus.

Ergo ex hac probatione solum sequitur, quod species repraesentativae objectorum par-

particulatium differāt ab habitu scientiæ, quod libenter concedimus contra 3. sententiam.

Circa intensiōem, nego etiam min. Ad probationem utere distinctione data. Cūm habitus diffiniendi, & dividendi sub ratione communi sit idem, iste æquè intenditur per actus diffiniendi, ac per actus dividendi. Est ergo habitus ille quasi virtualiter extensivè diversus, quatenus attingit conclusiones sub ratione particulari: & hoc modo concedimus quòd per actus diffiniendi intenditur ad actus diffiniendi in particulari, & non ad actus dividendi. Sed quid inde? Nihil sane, nisi quòd habitus ille ut respicit diffinitionem, sit virtualiter extensivè diversus à seipso, ut respicit divisionem. Hac virtualis distinctio stat cum simplicitate qualitatis, quam defendimus.

Circa remissionem, nego etiam minorem. Ad probationem applica distinctionem datam, & dic, quod pro intensiōe. Adde: quòd si corruptio, ad quam ultimò tendit remissio habitus, non arguit nisi distinctionem specierum ab habitu; ita à fortiori remissio. Siquidem per non usum specierum acquisitæ paulatim obscurantur, ac tandem

deficiunt. Habitus autem non pendet ex hoc, cūm in prima conclusione aut alijs repetitis conservetur.

30. Ad 1. confirmationem positam num. 8. concessa maj. nego min. ad probationem ejus vide dicta n. 25. ex D. Thoma ubi invenies quòd habitus augetur per repetitionem actuum in quacumque conclusione. Hoc augmentum fit eodem modo si consideretur habitus sub ratione communi; quia in ea conveniunt eodē modo omnes conclusiones. Ceterum si habitus consideretur, ut applicatus ad conclusiones sub ratione speciali, hoc modo per actus primæ non augetur habitus pro secūda. Ceterum augmentum tale, non est intrinsecum habitui, sed extrinsecum, quia venit à speciebus, quæ sunt distinctæ ab habitu, & ei extrinsecæ. Quare crescit notitia conclusionis repetitæ, quia multiplicantur species ejus; non autem quia aliquid intrinsecum additur habitui.

Ad 2. confirmationem dic, quòd habitus diffiniendi compatitur cum errore circa divisionem malè applicatam, secus si benè applicetur. Applicatur autem per species quæ possunt aliter, ac divisio petit, illam repræsentare.

Sic

Sic habitus fidei, qui unicus est, & excludens omnem, errorem circa objectum benè applicatum per revelationem satis intimatam, potest compatitur cum errore circa mysterium non promulgatum. Nec ad hunc errorem expellendum est necessarius alter habitus fidei, sed satis est, quòd mysterium benè promulgetur, ut habitus præexistens expellat errorem circa illud: ita in casu nostro. Nec mireris, quòd habitus diffinitionis non permittat errorem circa diffinitionem; nam semel quòd sit habitus diffinitionis in particulari, supponit illam benè applicatam, secus divisionem.

In forma concessa maj. dist. min. sed habitus diffinitionis compatitur cum errore circa divisionem, circa divisionem benè applicatam, nego min. circa divisionem malè applicatam, concedo min. & nego consequentiam. Ad probationem consequentiæ dist. antecedens, si esset idem habitus, æquè excluderet errorem circa utramque, circa utramque benè applicatam concedo antecedens; æquè, si non æquè applicentur, nego antecedens, & consequentiam. Ad 2. probationem consequentiæ, concedo maj. & dist. min. habitus dif-

initionis non est incompatibilis cum errore circa divisionem, circa divisionem benè applicatam, nego min. malè applicatam, concedo min. & nego consequentiam. Nam error, qui tunc supponitur circa divisionem, statim excluditur semel quòd divisio benè applicetur per speciem repræsentativam: ergo ut excludatur ille error, non est necessarius novus habitus, sed vel nova species, vel novus ordo specierum repræsentantium divisam, & membra dividenda juxta logicales regulas dividendi.

Ad fundamenta 3. sententiæ posita num. 9. Dicimus primò, quòd habitus scientiæ in nobis non est collectio specierum repræsentantium objecta diversa (etiam si habitus, & scientia Angelorū forsan non sit aliud quàm species rerum, ut ex D. Thoma statuit Cajetanus ubi supra) est ergo habitus scientiæ in nobis, quædam entitas distincta à speciebus, quæ illas activè ordinat, ut intellectus per eas ordinatè, & faciliter cognoscat objectum. Suadetur ex P. Augustino lib. 83. qq. q. 73. ubi ait: (Multis modis habitum dicimus; vel habitum animi, sicut est cujuscumque disciplinæ perceptio usu roborata, atque firmata.

Vel

Vel habitum corporis &c.) En habitus scientiæ juxta S. P. est perceptio disciplinæ roborata usu: sed species non sunt perceptio disciplinæ, sed rerum intellectarum; nec roborantur usu, sed memoriæ commendantur: ergo habitus est quid distinctum à speciebus objectorum.

Vt autem vidéas, quid sint species, audi P. Augustinum lib. 14. de Trinitate cap. 7. dicente: (Hinc admonemur esse nobis in abdito mētis quarundam rerum quasdam notitias, & tunc quodam modo procedere in medium, atque in conspectu mentis veluti aperiūt constitui, quando cogitantur.) En juxta P. Augustinum species sunt plures, quia notitiæ rerum à nobis cognitarum, quas servamus in memoria, quæ est abditus locus mentis, sunt plures. Habitus non est plures, sed unus; & hic deservit ut species illæ, quæ in memoria servantur quasi reconditæ, ponantur iterum ante oculos mentis, ut actu cogitentur; quare habitus faciliat intellectum ad cognoscendum, præsentando ei species, & illas ordinando.

Hinc à ratione probatur distinctio habitus à speciebus. Nam 1. habitus est unus; species sunt multæ, ut vidimus


ex P. nostro. Secundò habitus est perceptio disciplinæ, notitia vel species est id quod relinquitur ex perceptione objectis, *ab objecto enim & potentia, paritur notitia*, ut ait S. P. Tertio: Habitus ordinat species; species non ordinant se, sed ordinantur ab habitu. 4. Habitus ponit species ante conspectum mentis extrahendo illas ab abdito loco, ubi erant repositæ; species verò non extrahunt se, nec se movent activè, sed moventur ab habitu: ergo habitus est entitas realiter distincta à speciebus.

32. Hinc facilè dissolvitur fundamentum 3. sententiæ. Nam major est falsa; falsum est enim scientiam humanam consistere in speciebus. Et dum id videtur probari ex D. Thoma, dicendum est, loqui de scientia Angelica, non de humana. Discrimen juxta principia N. Agidij est, quia sicut in Angelis non datur Logica, nec est eis necessaria, quia non sunt potentiales in cognoscendo, sicut nos, sed actuales; ita non indigent habitu superaddito speciebus ad ordinandas species, & facilitandum intellectum. Quare tota Angelorum scientia est cumulus specierum à Deo infusarum in eorum mente, quando creati sunt.

sunt. At homines potentiales in cognoscendo, & potentes errare; sicut indigent Logica dirigente; ita egent habitu facilitante, & ordinante species acquisite, & in memoria servatas.

Ad aliud de augmento scientiæ satis constat ex antecedentibus; verum est, quòd augetur scientia, dum species nova alterius conclusionis acquiritur: sed idèd augetur

scientia, quia entitas habitus distincti extenditur ad illam novam conclusionem in vi additionis speciei. Hoc non suadet habitum esse speciem, sed suadet habitum non augeri per additionem entitatis, quæ sit habitus, sed entitatis, quæ sit species distincta ab habitu. Hæc sufficiant usque dū Deo favente in libris de Anima plenius excutiantur.



## QUÆSTIO OCTAVA.

*Quid, & quotuplex sit objectum Logicæ?*

### §. I.

*Explicantur divisiones objecti in communi.*

1. **N**Vllam in tota Logica invenies quæstionè difficiliorem, tum ob varietatem sententiarum; tum quia nec in principijs, unde decidenda est quæstio, conveniunt DD. unusquisque objecta partitur, & condiciones objecti statuit, suæ sententiæ aptiores: quare si quæstio præfens pro meritis discutenda esset, prius latissimè disputandum foret, quid, & quotuplex sit objectum, & subje-

ctum scientiæ, quid ve artis? Item quas petit condiciones objectum formale primariū? Ceterum duplici titulo ab his omnibus abstinēbimus; primo propter brevitatē, & claritatem: secundo, quia cum sententia nostra de objecto Logicæ sit aliquantulum specialis, nolumus pro ea defendenda variare communia principia; imò solum attingemus circa objectū in communi, & divisiones ejus, id;

in quo omnes DD. conveniunt. Pro quo.

2. Noto 1. quod obiectum est *illud*, quod obijci-  
tur potentia, vel habitui. Id  
autem obijciatur ei, quod at-  
tingitur à potentia, vel habi-  
tu. v.g. coloratum est ob-  
iectum visus; scibile obiectum  
scientia; verum intellectus;  
bonum voluntatis.

Dividitur primò in ob-  
iectum adæquatum, & inadæ-  
quatum. *Adæquatum est, ul-  
tra quod non se extendit poten-  
tia, vel habitus.* v.g. color res-  
pectu potentia visiva, nihil  
enim videt oculus, quod non  
sit coloratum. *Inadæquatum  
est ultra quod se extendit poten-  
tia, vel habitus;* v. g. albedo  
respectu oculi; non enim ocu-  
lus videt solam albedinem,  
sed nigredinem, rubredinem,  
& alios colores.

Secundò dividitur ob-  
iectum in formale, & mate-  
riale. *Formale est quod attingitur  
ratione sui. Materiale  
est quod attingitur ratione al-  
terius,* scilicet ratione obiecti  
formalis. Exemplum utrius-  
que adest in oculo vidente  
parietem. Color parietis est  
obiectum formale, quia ra-  
tione sui attingitur à visu. Pa-  
ries verò est obiectum mate-  
riale, quia non videtur ratio-  
ne sui, sed ratione coloris;  
tolle à pariete colorem, erit

invisibilis; sicut si tollas ab eà  
quantitatem, non erit tangi-  
bilis.

Obiectum formale subdi-  
viditur in obiectum quod, &  
obiectum quo. Obiectum for-  
male quod, est ratio quæ attingitur;  
unde vocatur ratio  
quæ. Obiectum formale quo  
est ratio determinativa obiecti  
quod, quare vocatur etiam  
ratio sub qua. In obiecto po-  
tentia visiva adest exemplum;  
in alijs non ita clarè. Obiectum  
adæquatum oculi est lucidum  
coloratum; quare dum vides  
Petrum, tria adsunt, scilicet  
Petrus, color, & lux; *Petrus*  
est obiectum materiale, quia  
videtur ratione coloris; color  
est obiectum formale quod,  
vel ratio quæ videtur; lux est  
obiectum quo vel ratio sub  
qua, quia ipse color videtur  
sub ratione lucidi, & illumi-  
nati; nec aliter videri potest,  
ut patet ad oculum dum co-  
lor est in tenebris.

Observa, ne confundas  
obiectum quod formale cum  
obiectum materiale: obiectum  
formale quod esse composi-  
tum ex materiali, & formali;  
nam coloratum v. g. dicit en-  
titatem coloratam, & colo-  
rem, quo coloratur. Entitas  
est obiectum materiale visus,  
color est obiectum formale:  
ergo totum ex utroque resul-  
tans est obiectum quod for-  
male,

male, & ratio quæ formalis.

3. Dividitur obiectum  
in principale, & minus prin-  
cipale. *Principale est illud cu-  
jus gratia cetera attinguntur.*  
Hoc vocatur obiectum attri-  
butionis. Tale est *Deus* in  
Theologia, qui per se ab illa  
attingitur, reliquaque attinguntur  
propter Deum, ut crea-  
tura, virtutes, gratia, imo  
& peccata, à Deo avertentia.  
*Minus principale est quod non  
attingitur gratia sui, sed pro-  
pter principale.* Ut constat  
exemplo dato.

4. Dividitur in primarium,  
& secundarium. Primarium  
est quod attingitur primò, &  
per se. Secundarium est, quod  
attingitur secundariò. Sic Me-  
taphysica agens de omni en-  
re, attingit primariò ens rea-  
le, & secundariò ens rationis.  
Hujus ratio esse potest, quia  
ratio entis specificativa Me-  
taphysicæ primò, & per se  
convenit enti reali; secundò,  
& similitudinariè convenit  
enti rationis.

Obiectum primarium sub-  
dividitur in motivum, & ter-  
minativum. Motivum est quod  
mover potentiam vel habitum  
ad sui attingentiam. Ter-  
minativum est quod terminat a-  
ctus potentia, vel habitus, non  
tamen mover. Sic dicitur à  
Theologis essentia Divina ob-  
iectum motivum intellectus

Divini; relationes autem Di-  
vinæ vocantur obiectum pu-  
rè terminativum. Addunt ali-  
qui tertiam speciem obiecti,  
scilicet obiectum motivum si-  
mul, & terminativum. Sed li-  
cèt hæc divisio utilis sit in  
Theologia, hïc non est neces-  
saria pro formali obiecto Lo-  
gicæ designando. Ob id omit-  
timus alias divisiones ob-  
iecti materialis, scilicet in de-  
nominabile, & nō denomina-  
bile; in esse rei, & in esse ob-  
iecti; & alijs ex quibus nullum  
fructum nisi confusionem &  
obscuritatem percipies.

4. Id tamen notabis  
has voces *subjectum*, & *obje-  
ctum* pro eodem usurpari à  
RR. ceterum non sic ab an-  
tiquis, maximè Principibus  
Scholæ, D. Thoma, B. Ægidi-  
o, & Subtili Doctore. Nam  
subjectum in artibus apud eos-  
dem est *materia ex qua*, & in  
quam ars inducit formam arti-  
ficiosam. Subjectum in scien-  
tijs est obiectum formale de  
quo scientia affirmat, & de-  
monstrat passiones. Ratio pri-  
mi est, quia juxta N. Ægidiū  
lib. 2. Physicorum lect. 3.  
ars imitatur naturam: sed in  
naturalibus subjectum est ma-  
teria prima, in quam introdu-  
citur forma; diffinitur enim  
*Primum subjectum ex quo ali-  
quid fit* &c. ergo subjectum  
in artibus est *materia ex qua*,

*Inquam* &c. Ratio secundum est, quia passiones demonstrantur de objecto de quo affirmantur: sed objectum de quo affirmantur est subiectum; quia ut diximus in Logica parva, *subiectum est de quo aliquid dicitur*: ergo in scientiis subiectum est idem ac objectum formale.

Nihilominus RR. utrumque pro eodem sumunt, nec distinguemus antiquorum more, nisi dum fuerit necessarium pro exponendis autoritatibus D. Thomae, & N. Aegidij. Id sane certum est adhuc apud antiquos, quod in scientiis idem est subiectum, ac objectum formale: in artibus non sic. Quia subiectum artium est materia circa quam, & ex qua: unde est objectum materiale artis. Objectum verò artium formale est idem ac finis artium, vel forma artificiosè inducta in materia; & hæc non est subiectum, sed formale objectum.

5. Restat assignare conditiones objecti formalis. Plures invenies apud alios, sed tibi sufficiant tres. Prima est quod objectum sit præcognitum saltem quoad quid nominis. It' Arist. 1. Post. cap. 1. Ratio hujus est, quia scientia demonstrat passiones de suo objecto formali: sed de objecto nullo modo co-

gnito nullam potest demonstrare passionem: ergo antequam scientia demonstret, debet cognoscere suum objectum formale saltem quoad quid nominis, quod fieri potest media diffinitione.

Secunda conditio est, quod sit objectum necessarium, & non possit aliter se habere. Ita Arist. hic cap. 3. hæc conditio explicatur bene ab alijs sic. Objectum necessarium est illud, quod habet passiones demonstrabiles, necessariò connexas cum sua essentia. Probatum conditio. Nam scientia demonstrat passiones de suo objecto procedens per principia necessaria & certa; hoc enim est demonstratio: sed de objecto, nullas habente passiones, nec principia necessaria & certa, non possunt passiones sic demonstrari: ergo objectum scientiæ debet esse necessarium, ut dicit Arist. & habere passiones &c.

Tertia conditio est, quod objectum formale sit adæquatum scientiæ; & unum saltem unitate analogæ. Ratio ultimi est, quia ab objecto sumitur unitas scientiæ: ergo si objectum non est unum, scientia non erit una, & sic nec scientia, ut arguebamus ex nostro Aegidij q. præcedenti. Ratio primi

primi est, quia scientia in omni suo actu debet attingere suum objectum formale: ergo debet illam æquare.

## §. II.

*Assignatur varia objecta materialia Logica.*

6. **I**n syllogismo, qui apud nostrum Aegidium q. 1. in artem veterem est objectum Logicæ, inveniuntur omnia, quæ aliquomodo ad Logicam pertinent v. g. *Homo est animal: Petrus est homo: ergo Petrus est animal.* Nam primò hic dantur voces, quæ sunt signa rerum, & conceptuum; dantur secundò res significatæ per voces. Tertio dantur actus intellectus, qui sunt conceptus formales. Quarto datur conceptus objectivi, formati ab intellectu per conceptus formales. Quintò datur dirigibilitas utrorumque conceptuum. Sextò datur actualis directio eorum in formam syllogisticam. Septimò datur ens rationis vel secunda intentio subiecti, prædicati, propositionis, præmissæ, & syllogismi. Octavò datur aliud quod non tangitur à DD. expressè; & explicabitur pro nostra sententia.

Cùm omnia hæc reperiantur in quolibet modo sciendi, qui est objectum Logicæ, inde orta est multiplicitas sententiarum circa objectum formale. Nec est animus singulas sententias singillatim expendere; si id desideres, consule Vallium de omnibus his disputantem; sat nobis erit cum duobus sententijs præcipuis, & hoc tempore celebrioribus, disputare de veritate: de reliquis autem summatim sequentes accipe conclusiones.

7. Dicimus primò *Voces esse objectum materiale, secundarium Logicæ.* Conclusio est communis inter DD. Pro contraria citantur Nominales, sic dicti, quoniam omnem scientiam dicunt esse de vocibus. Sed eos vindicat ab ista calumnia P. Hurtado disp. 1. Logicæ sect. 3. Idque satis constat in nostro Gregorio Ariminensi, qui inter Principes Nominalium annumeratur, qui non de vocibus, sed de conceptibus per voces significatis ubique disputat, ut ceteri Theologi.

Probatum primò ex P. Augustino lib. de Principijs Dialecticæ cap. 5. ubi ait: (Nobis igitur in hac parte Dialecticæ de verbis, de dictionibus &c. Et infra: Verbum quodlibet (excepto so-



no de quo bene disputatur, ad facultatem Dialecticæ pertinet.) En Logicæ objectum sunt verba. Nam objectum Logicæ est illud; quod pertinet ad Logicam, & de quo Logica tractat: sed Logica tractat de verbis, & dictionibus, ut docet P. Augustinus & constat ex lib. 1. Perhiern. ubi tractatur de nomine, verbo, & de vocibus, quæ sunt signa rerum, & conceptuum: ergo voces sunt objectum Logicæ.

Iam verò quòd sint objectum materiale & secundarium, probatur. Ex eodem S. P. lib. 3. contra Academicos cap. 13. ubi loquens de Logica dicit: (Docuit etiam me, cum de re constat, propter quam verba dicuntur, de verbis non debere contendere &c.) Ex quo sic. Id quod non attingitur ratione sui, sed ratione alterius, non est objectum formale, sed materiale: atqui Logica non tractat de vocibus ratione sui, sed ratione objecti per voces significati; & ideo Logica docet cessare debere disputationem, quando constat de significato per voces. Ergo voces non sunt objectum formale, sed materiale Logicæ; imò secundarium, & remotissimum inter reliqua objecta materialia, de quibus infra.

## De Proemialibus

Hinc Arist. 1. Elenchi. cap. 1. dicit (Quia cum res ad scholas adducere non possumus, utimur vocibus pro rebus.) Ergo de vocibus non est Logica per se, sed ut signa sunt rerum, & conceptuum; unde sunt objectum materiale Logicæ. Hanc assertionem docent D. Thomas, & B. Ægidius lib. 1. Perhiern. lect. 1. & alibi sæpè. Et nota, quòd Grammatica, Rhetorica, & Logica tractant de vocibus, sed sub diversa ratione formali. Grammatica agit de eis ut faciunt congruum sermonem; Rhetorica pro sermone ornato; Logica pro enuntiativo, & affirmativo unius de alio.

8. Dices: Logica per se agit de modo sciendi, ut de objecto formali: sed modus sciendi est vox: ergo agit de vocibus, ut objectum sunt formale. Probat minor. Modus sciendi est oratio ignoti manifestativa: sed oratio est vox: ergo &c. Secundò, Logica formaliter agit de syllogismo vocali: sed syllogismus vocalis est vox: ergo formaliter agit de voce.

Respondeo neg. min. ad probationem dist. min. oratio est vox, oratio vocalis, concedo: oratio mentalis, subdistingo est vox pro explicito, nego, est pro implicito, vel

## Quæst. VIII.

vel est implicitum vocis, concedo min. & nego consequentiam. Dum diffinitur oratio per hoc quòd sit vox, explicitè solum diffinitur oratio vocalis, sed implicitè mentalis, quæ est conceptus mentis, qui correspondet voci. Iste conceptus præcipuè, & formaliter intenditur à Logica, non voces externè manifestantes conceptus. Sic ad secundum dicimus Logicam agere de syllogismo vocali non per se & formaliter, sed materialiter & secundariò, quatenus syllogismus vocalis est signum syllogismi interni & mentalis. Hoc modo Porphyrius explicavit has quinque voces *Genus, species, differentia, proprium, & accidens*. Non per se, sed ut pararet intelligentiam ad prædicamenta Aristotelica.

9. Dicimus secundò: (Res omnes sunt objectum materiale secundarium, non formale, aut primariū.) Conclusio est communis contra Rodolphum Agricolum lib. 2. de inventione Dialecticæ cap. 5. & contra aliquos antiquos, quos refert Vallius. Et probatur ex dictis q. 2. ubi ex P. Augustino D. Thoma, & Ægidio ostensum est Logicam non esse scientiam realem directam, sed rationalem, & reflexam: sed scientia quæ

respicit primariò, & formaliter res, est scientia realis, & directa: ergo Logica, quæ talis non est, non respicit formaliter, & primariò res, sed conceptus.

At secundariò & materialiter tractat de rebus. Nam Logica tradit instrumeta sciendi, & disputandi de omni re: ergo res omnes saltem secundariò, ut disputabiles, divisibiles, & diffinibiles, pertinent ad Logicam. In hoc sensu intellige authoritatem Aristot. 4. Metaphysicæ textu 5. comparantis Dialecticam Metaphysicæ agenti de omni re. Comparatio est in hoc, quòd sicut Metaphysica considerat de omnibus sub ratione entis, ita Logica tractat de modo sciendi applicabili ad omnes res.

10. Dicimus tertio: (Actus intellectus qui sunt conceptus formales, & conceptus objectivi, his actibus producti, sunt objectum materiale Logicæ.) Nota quòd actus intellectus, quo cognosco Petrum v. g. est conceptus formalis; ipse Petrus à me cognitus, & mihi præsens intra intellectum, est conceptus objectivus. Et cum esse reale Petri non sit intra meam mentem, est ibi imago Petri ipsum representans, sicut imago in speculo est. Hoc speculum

lum representativum Petri cogniti non est actus intellectus, sed est qualitas quædam producta per actum intellectus, in qua representatur intellectui Petrus. Ita docetur à nostro Doctore Quodlib. 5. q. 9. & in 1. Sent. dist. 27. q. 2. art. 2. Qualitas ista vocatur ab alijs species expressa; & à P. August. vocatur notitia, quæ paritur ab objecto, & potentia.

Probatur assertio nostra, quæ communis est, ex P. Augustino lib. Categ. cap. 3. ubi ait, quòd Arist. (Cum de perceptis proposuerit disputare, & de his quæ sunt, & de his quæ dicuntur, necessariò locutus est. ( Et suprâ cap. 2. dixerat S. P. ) Ea quæ mente concepta, signari, & demonstrari possunt, aggressurus Aristoteles.) En juxta S. P. Aristoteles aggressurus explanationem prædicamentorum, quæ sunt pars Logicæ, aggregitur explicare percepta, mente concepta & intellecta: ergo ad Logicam spectant explicandi conceptus objectivi rerum, & formales, quibus mens concipit res. At non spectant, ut objectum formale: ergo conceptus illi formales, & objectivi sunt objectum saltem materiale Logicæ. Minor patet, quia conceptus objectivi, & actus intellectus

sunt tantum objectum formale scientiæ Animasticæ. Ergo ad Logicam solum pertinent materialiter, ut materia dirigibilis à Logica in formam modi sciendi.

Idem docet D. Thomas 1. Perhiern. cap. 1. docens Logicam esse directivam actus rationis ne erret. Et N. Egidius in Prologo ad lib. Post. verba utriusque dedimus q. 4. num. 13. ex quo sic. Ars qualibet directiva actionum non respicit actiones illas formaliter, sed materialiter, quatenus sunt materia capax formæ artificiosæ, vel directivæ actualis ab arte: sed Logica est directiva actus intellectus, & conceptuum objectivorum: ergo solum respicit utrosque conceptus, ut objectum materiale. Major patet in Philosophia morali quæ est directiva actuum humanorum ad debitam honestitatem; hæc scientia non respicit actus humanos secundum se formaliter, sed materialiter, ut materia circa quam versatur ut introducat debitam conformitatem cum regulis honestatis. Idem patet in arte domifactoria, quæ non respicit pro objecto formali actiones artificis, quas dirigit, sed sunt objectum materiale artis.

II. Dices: Omnis actus

actus intellectus vel est verus, vel falsus, inter hæc non datur medium: sed actus qui est verus non eget directione Logicæ; actus qui est falsus non est capax directionis, cum non possit per eam reddi verus: ergo nullus est actus intellectus, qui sit à Logica dirigibilis, & consequenter ob rationem datam non probatur pertinere ad Logicam. Major est certa, quia ab eo quod res est, vel non est, propositio dicitur vera, vel falsa; unde si actus conformatur objecto, est verus; si difformatur, est falsus: sed inter esse conformem, & non esse conformem, nullum datur medium: ergo omnis actus intellectus &c.

Respondetur primò instando in Philosophia morali directiva actuum humanorum: nam omnis actus vel fit conformiter ad rectam rationem, & sic est bonus; vel non conformiter, & sic est malus; inter quæ non cadit medium. Sed actus bonus non eget directione; malus non est capax directionis: ergo actus humani non sunt materia dirigibilis à Philosophia morali: quod est contra omnes.

Responderur, quòd actus antequam fiant, sunt ex genere suo indifferentes, ut fiant benè, vel malè; quare sunt

capaces, ut conformentur regulis scientiæ directivis. Argumentum procedit de actibus jam factis; & de actibus ex specie sua, & circumstantijs individualibus. Actus sic in individuo, & actus jam facti sunt determinatè boni, aut mali; veri, aut falsi. De talibus non est directio; bene vero in prima acceptione.

12. Dicimus quartò: (Dirigibilitas, vel conceptus illi, ut dirigibiles, non sunt objectum formale Logicæ, sed materiale.) Conclusio est cõmunis, & sequitur ex antecedenti, ejus rationibus probatur. Nam id quod est materia circa quam versatur ars, non est objectum formale artis, sed materiale: sed Logica directiva versatur circa conceptus formales, & objectivos, ut circa materiam ab ipsa dirigibilem: ergo conceptus illi ut dirigibiles &c. Major patet in qualibet arte, ligna enim, lapides, & alia sunt materia ordinabilis à domifactoria, in quæ jam ordinata introducitur formam domus, quæ est formale objectum artis. Minor est certa, quia ars directiva conceptum est Logica dirigens illos, ut in eis introducatur formam diffinitionis, divisionis, & argumentationis, quæ sunt modus sciendi; quare conce-

ptus sunt materia Logicæ adhuc ut dirigibiles.

Dices. Illud est objectum formale Logicæ quod est ratio attingendi alia : sed dirigibilitas est ratio attingendi conceptus illos : ergo est objectum formale. Major patet ex dictis §. præcedenti. Minor probatur, quia inquirenti cur Logica agit de conceptibus formalibus & objectivis, respondetur, quia sunt dirigibiles à Logica : ergo dirigibilitas est ratio &c. Respondetur instando : nam quærenti cur Philosophia moralis agit de virtutibus, respondemus, quia contrariantur virtuti : & tamen contrarietates hæ non est objectum formale Philosophiæ moralis. Sic musica agit de dissonantia, quia contraria consonantiæ. Et mille exemplis id instatur.

Respondetur, quod objectum formale est ratio primaria attingendi alia : jam verò dirigibilitas conceptuum non est ratio primaria, sed secundaria attingendi conceptus. Nam data illa ratione, restat alia inquisitio, scilicet, cur Logica respicit conceptus ut dirigibiles ? Respondetur nunc, dando rationem formalem primariam sic. Quia in eis directis introducit formam artificiosam modi sciendi, quam intendit Logica

sua directione. Hæc est primaria ratio ; & hæc sistunt interrogationes de objecto formali. Nam solum restat quærrere, cur Logica intendit modum sciendi artificiosum ? Hujus non poteris dare rationem formalem, sed debes respondere explicando naturam Logicæ, sic, quia Logica est scientia rationalis, quia est discretiva veri à falso &c.

13. Actum est breviter de sententijs minus principalibus, & assignatum est objectum materiale Logicæ esse voces, res, conceptus formales, conceptus objectivos, dirigibilitatem utrorumque ita ut nihil horum sit objectum formale Logicæ. Et licet antiquitus forsan de his fuerit controversia, jam nostris temporibus antiquata est. Dux celebres sententiæ restant examinandæ juxta dicta num. 6. ex eis, quæ continentur in syllogismo vel modo sciendi. Prima est Thomistarum unanimi consensu docentiam objectum formale Logicæ esse ens rationis, vel secundam intentionem modi sciendi repertam in conceptibus objectivis directis à Logica. Secunda est omnium ferè DD. Societatis docentium objectum Logicæ esse quid reale, scilicet conceptus formales, vel objectivos ut extrin-

trinsecè directos in formam modi sciendi. Ut clarius procedamus, diversis, & separatis §§. ponemus sententijs, diversis, & distantibus è regione locis decertantes.

## §. III.

*Explicatur sententia Thomistarum cum suis fundamentis.*

14. **D**VO docent Thomistarum circa objectum formale Logicæ, primum est, illud esse ens rationis. Secundum est, illud non esse quid reale. Pro quo observa quod ens rationis est *illud quod tantum habet esse objectivum in intellecta*. A contrario ens reale est illud, quod vel existit extra intellectum, vel in intellectu habet esse subjectivum. Quare licet actus intellectus non sint extra intellectum, sunt tamen quid reale, quia sunt in intellectu tanquam forma in subjecto, & sic habent esse subjectivum. Ens autem rationis, nec extra intellectum est, nec in intellectu habet esse ut in subjecto, sed habet purè cognosci. v. g. *hircocepus*, nec extra intellectum est; nec intra subjectivè, sed est quoddam fictum quod co-

gnoscitur ab intellectu, & sic est objectum ejus; quare habet esse purè objectivum.

Hoc notato, probatur hæc sententia primò ex D. Thoma 4. Metaphysicæ lect. 4. ubi ait : ( Ens est duplex, ens naturæ, & ens rationis. Ens rationis propriè dicitur de illis intentionibus, quas ratio adinvenit in rebus consideratis, sicut intentio generis, speciei, & similium; quæ quidem non inveniuntur in rerum natura, sed considerationem rationis consequuntur, & hujusmodi scilicet ens rationis, est propriè subjectum Logicæ.) Rursus in Proëmio Ethicorum dicit esse quædam ordinem, quem ratio non facit sed solum considerat, ut ordo rerum naturalium : alium quem ratio considerando facit, sicut cum ordinat conceptus suos ad invicem : & postea subdit, ( Ordo quem ratio considerando facit, pertinet ad Philosophiam realem. Quæ verba sunt satis clara, si notes nomine subjecti D. Thomam intelligere objectum in prima autoritate & in secunda nomina Philosophiæ realis appellare Logicam.

16. A ratione probat primo. Illud est objectum formale Logicæ quod est forma intrinseca, intrinsecè constituens

artefactum logicale: in ratione talis: sed ista forma est ens rationis: ergo objectum formale Logicæ est ens rationis. Major constat à paritate aliarum artium. Illud enim est objectum formale artis domifactoriæ, per quod constituitur intrinsecè domus artefacta; unde est forma intrinseca domus. Minor probatur. Isti conceptus *animal rationale* constituuntur intrinsecè in formam diffinitionis per secundam intentionem generis, & differentiæ, & per relationes unius ad aliud: sed tales secundæ intentiones; itè relatio illa unius ad aliud, est quid rationis: ergo. Probatur minor. Quia relatio inter extrema identificata est relatio rationis; cum relatio realis petat extrema realiter distincta: sed *animal & rationale* sunt extrema identificata: ergo &c.

Confirmatur. Forma per quam conceptus objectivi ordinantur intrinsecè ut sint artefactum logicale, est in propositione v. g. unio subjecti cum predicato; ordo subjecti ad predicatum; & in syllogismo est ordo extremitatum ad medium; & ordo utriusque præmissæ ad conclusionem. Sed ordo iste, & unio illa, sunt quid rationis: ergo ens rationis est forma intrin-

seca &c. Minor probatur hoc syllogismo *homo est animal: Petrus est homo: ergo Petrus est animal.* Homo, Petrus, & animal sunt extrema realiter identificata: sed extrema realiter identificata non possunt uniri, vel referri realiter: ergo ordo iste, & illa unio &c.

Aliæ sunt autoritates D. Thomæ pro eadem sententiâ, quas videre poteris apud Complureses; aliæ item rationes, quas omittimus pronunc, quoniam istæ sufficiunt pro fundanda sententiâ, & reliquas postea expendemus. Nota tamen quòd licèt convenient Thomistæ in assignando ente rationis pro objecto formali Logicæ, non conveniunt in assignando tali, licèt communior sententiâ eorum sit, quod est forma intrinseca modi sciendi in communi. Eandem sententiam docent Scotistæ, quæ probant de mente sui Doctoris Subtilis, & eis adherent Rubius, Tolerus, Oña, Salas, & alij.

Probant secundò DD. isti quòd objectum Logicæ formale non est quid reale. Primò: Quia non est dabilis specialis abstractio, sub qua ens reale possit specificare Logicam, & constituere illam in specie

specie distinctam à reliquis scientijs: ergo ens reale nequit esse objectum specificativum Logicæ. Patet consequentia, quia scientiæ sumunt suam unitatem specificam ab objecto, ut vidimus q. 6. Antecedens probatur. Non est dabilis abstractio in ente reali, quæ non sit una ex istis; abstractio à materia singulari; abstractio à materia singulari & sensibili; abstractio ab omni materia positivè; abstractio ab omni materia negativè propter perfectionem. Sed nulla ex his potest soli Logicæ convenire: ergo &c. Probatur minor. Nam prima est propria Philosophiæ; secunda Mathematicæ; tertia Metaphysicæ; & quarta Theologiæ.

Nec potest dici, quòd ens reale specificat Logicam, ut abstractum ab omni materia negativè propter imperfectionem, sub qua abstractione non specificat aliam scientiam. Nam talis abstractio in ente reali dicit summam perfectionem, cum sit remotio ab omni potentialitate. Rursus: hæc abstractio potest convenire enti rationis, quia est tam minimæ entitatis, ut non attingat ad perfectionem entis materialis; sed hoc de ente reali di-

ci non potest: ergo non potest ens reale sic abstrahere ab omni materia negativè propter imperfectionem.

17. Probant tertio directè impugnando sententiam contrariam DD. Societatis. Objectum formale Logicæ nequit consistere in conceptibus formalibus, ut dirigibiles, vel directi sunt à Logica extrinsecè; item nec in conceptibus objectivis, ut sic extrinsecè directis: ergo objectum formale Logicæ non consistit in aliquo reali. Probatur antecedens. Et primò de illis conceptibus, ut sunt dirigibiles. Nam objectum formale Logicæ est instrumentum logicale, v. g. diffinitio, divisio &c. Sed tales conceptus ut dirigibiles, non sunt diffinitio, divisio &c. sed possunt esse: ergo &c. Rursus nulla ars respicit actiones artificis ut dirigibiles: Tandem dirigibilitas convenit illis conceptibus naturaliter: ergo non est quid artificiosum, introductum ab arte; & sic nec objectum formale artis.

Secundò probatur antecedens de conceptibus ut extrinsecè directis. Nam DD. contrarij docent, ens rationis non esse objectum formale Logicæ; quia non potest constituere artefactum logicæ

logice in ratione instrumēti causativi scientiæ: sed extrinseca denominatio directi, nihil ponens intrinsecus in conceptibus directis, nequit eos constituere in ratione instrumenti causativi scientiæ: ergo extrinseca directio ob eandem rationem nequit esse objectum formale Logicæ. Consequentia patet ad hominem. Major est doctrina contrariorum, & minor est certa, nam id quod dat posse causare scientiam, debet esse aliquid intrinsecum: sed extrinseca directio, vel denominatio directi, nihil ponit intrinsecum in conceptibus directis: ergo.

## §. IV.

*Explicatur communis sententia RR. Societatis cum suis fundamentis.*

18. **D**VO etiam docent RR. Societatis, primum, quod objectum Logicæ est quid reale; secundum quod non est quid rationis. In utroque conveniunt, sed circa primū differunt inter se, tenentibus aliquibus objectum Logicæ esse conceptus formales; alijs docentibus, esse conceptus objectivos: primi vocant con-

ceptus formales modum sciēdi formalem; alij conceptus objectivos vocant modum sciendi objectivum. Et licet aliqui de utrisque conceptibus loquantur, ut dirigibilibus, non autem ut actu directis, communior eorum sententia, imò fortassis omnium sensus est, conceptus illos, ut actu directos in formam modi sciendi, esse objectum formale Logicæ.

Hæc directio conceptuū in formam diffinitionis, divisionis, & argumentationis, non est intrinseca illis conceptibus, sed extrinseca; quia provenit ab actu intellectus dirigente, qui nihil intrinsecum ponit in conceptibus directis. Sit exemplum in his conceptibus *animal rationale*. Isti enim tunc intelliguntur dispositi in formam diffinitionis, quando intellectus ponit unum loco generis, & alium loco differentia: at intellectus ita ordinans conceptus illos, nihil ponit intrinsecum in illis: ergo denominatio directi est merè extrinseca illis cōceptibus. Hinc constat, quod totum artefactum diffinitionis v.g. est quid reale, cum conceptus illi, directio extrinseca, & intellectus dirigens, quid reale sint.

19. Probant primò sententiam ex D. Thoma loco

co citato 1. Perhiern. dicente: (Ars quædam necessaria est, quæ sit directiva rationis, per quam homo in ipso actu rationis ordinatè, faciliter, & sine errore procedat: & hæc ars est Logica, idest rationalis scientia, quæ non solum rationalis est ex hoc quod est secundum rationem, quod est omnibus artibus commune: sed etiam ex hoc quod est circa ipsum actum rationis, sicut circa propriam materiam.) En juxta S. Doct. Logica est directiva rationis, quia versatur circa actus rationis ab ipsa directos, sicut circa propriam materiam: ergo objectum formale quod Logicæ sunt actus intellectus, & conceptus, ut directi in formam diffinitionis, divisionis &c.

Probatur secundò ex eodem S. Doct. in Proëmio Ethicorum, ubi ait Philosophiam moralem versari circa operationes voluntatis, sicut Logica versatur circa operationes intellectus: sed Philosophia moralis versatur circa operationes voluntatis, dirigibiles, vel directas ab ipsa, quas respicit ut formale objectum suum: ergo propriū, & formale objectum Logicæ sunt operationes, & conceptus intellectus dirigibiles, vel directi à Logica.

20. Tertiò: Objectum Logicæ directivæ est id quod dirigitur à Logica: sed conceptus tum formales, tum objectivi diriguntur à Logica in formam diffinitionis, divisionis &c. ergo tales ut dirigibiles, vel directi, sunt objectum formale Logicæ.

Confirmatur primò: Tales conceptus ut dirigibiles, vel directi, sunt objectum formale alicujus scientiæ; non alterius, nisi Logicæ: ergo &c. Major patet, nam tales conceptus sunt simpliciter scibiles, & verum ens reale connexam cum suis proprietatibus, in qua connexion consistit scibilitas. Minor etiā est certa, quia sola Logica agit de actibus rationis, ut de propria materia, ut supra dicebat Præceptor Angelicus.

Confirmatur 2. Quia intellectus attingit verum, ut cognoscibile, verum ut cognoscibile est objectum formale intellectus: sed Logica attingit actus rationis, ut dirigibiles, vel à se exercitè directos: ergo actus, & conceptus intellectus, ut dirigibiles, vel directi exercitè, sunt objectum formale Logicæ.

Quod autem denominatio directi sit extrinseca, probatur. Illa est denominatio extrinseca, quæ provenit à forma

forma, quæ non est intrinseca subjecto denominato: sed denominatio directi provenit ab actibus intellectus, quæ nihil intrinsecum ponit in conceptibus objectivis, vel formalibus directis: ergo denominatio directi est merè extrinseca. Major patet, nam idèd partes denominatur extrinsecè visus, quia oculus nihil intrinsecum ponit in pariete, dum illum videt: ergo &c.

21. Jam verò ad mentem D.D. hujus sententiæ probatur quòd objectum Logicæ non sit ens rationis. Primò: Quia objectum formale cujuscumque scientiæ debet esse simpliciter scibile: sed ens rationis non est simpliciter scibile: ergo ens rationis nequit esse objectum formale Logicæ. Major est certa, quia scientia dicitur talis ab objecto, quod est scibile. Minor probatur. Quod non est simpliciter ens, non est simpliciter scibile: sed ens rationis non est simpliciter ens: ergo &c. Major patet, quia scibilitas est passio entis. Minor etiã, quia ens rationis nec est substantia, nec accidens.

Confirmatur. Scientia debet demonstrare passiones de suo objecto: sed ens rationis non habet proprietates, quas Logica de illo demon-

stret: ergo ens rationis nequit esse objectum formale Logicæ. Probatur minor. Ens rationis non habet tales proprietates realiter; sed aliunde non habet illas per rationem: ergo nullo modo ens rationis habet &c. Major patet, quia quod non est ens reale, est realiter nihil, & sic realiter non habet aliquid. Minor probatur. Quia si ens rationis haberet per rationem suas proprietates; illæ forent entia rationis; ergo de illis etiam esset verum quòd haberent proprietates, & illæ forent entia rationis; & sic in infinitum: sed infinitum implicat: ergo tenendum est, quòd ens rationis nec per rationem habet proprietates.

22. Secundò id probatur. Omnis scientia dicit relationem realem ad suum objectum: sed nec Logica, nec alia scientia, dicit relationem realem ad ens rationis: ergo ens rationis non est objectum formale Logicæ. Major patet, quia mensurabile dicit relationem realem ad mensuram; objectum autem formale est mensura scientiæ. Minor etiã est certa, quia relatio realis vera nequit terminari ad terminum fictum; tale autem est ens rationis.

Confirmatur. Scientia omnis specificatur ab objecto

Ad formali, quod respicit: sed ens rationis nequit specificare Logicam: ergo nequit esse objectum formale Logicæ. Major patet ex dictis quæst. 6. Minor probatur. Specificare scientiam realem, est dare scientiæ unitatem realem specificam: sed ens rationis nequit dare unitatem realem specificam; cum nemo det, quod non habet: ergo.

23. Tertio probatur idem. Objectum formale Logicæ est forma illa artificiosa modi sciendi, quæ fit ex directione Logicæ: sed hæc non est quid rationis, sed quid reale: ergo objectum Logicæ non est quid rationis, sed reale. Minor probatur. Forma illa artificiosa est demonstratio: sed demonstratio tam pro formali, quàm pro materiali, non est ens rationis: ergo. Probatur minor. Per illud constituitur formaliter demonstratio, per quod fit potens generare scientiam: sed nihil quod sit ens rationis, potest dare demonstrationi virtutem realem generativam scientiæ realis: ergo &c. Minor patet, quia nemo dat quod non habet.

Confirmatur. Directio conceptuum in formam demonstrationis est quod for-

maliter constituit demonstrationem: sed directio illa est quid reale: ergo &c. Probatur minor. Directio est effectus Logicæ scientiæ realis: sed à causa reali solum provenit effectus realis: ergo &c.

24. Quarto probatur idem. Ens rationis non pertinet ad objectum primum intellectus, sed ad secundarium: sed objectum primum cujuscumque scientiæ debet pertinere ad objectum primum intellectus: ergo objectum formale, & primum Logicæ non est ens rationis. Major est certa, & minor probatur. Scientiæ sunt habitus facilitantes intellectum in ordine ad attingentiam sui objecti primarij: ergo objectum &c.

Confirmatur. Metaphysica tractat secundariò de ente rationis: ergo Logica non respicit illud ut objectum formale, & primum. Patet consequentia, quia respectu objecti tam minimæ entitatis superfluit duplex scientia realis: ergo si Metaphysica &c.

Confirmatur secundo. Id quod supponit conceptus formales, & objectivos, jam directos, non est objectum formale scientiæ dirigentis: sed ens rationis supponit cõ-

ceptus illos jam directissimò in principijs Thomistarum resultat ens rationis ex illis jam directis : ergo ens rationis non est objectum formale Logicæ directivæ actuum rationis. Alia sunt argumenta ad idem, sed ad hæc omnia reducuntur.

## §. V.

*Explicatur sententia nostri Villanovani de mente nostri Ægidij.*

25. **N**oster Villanova relatis, & explicatis sententijs hoc sæculo pugnantis, intendit utramque pacis arbiter conciliare. Pro quo distinguit in Logica rationem artis, & scientiæ, asserens quòd objectum Logicæ scientiæ sunt secundæ intentiones generis, speciei, modi sciendi &c. ut vult sententia Thomistica : at verò objectum Logicæ artis est directio actualis, vel capacitas directionis reperta in conceptibus formalibus, & objectivis, ut intendunt DD. Societatis : quo jam vides utramque sententiam suo sensu verissimam conciliari. Concordiam istam suadet ex Doctore Fundat. quæst. 1. in artem veterem ubi inquit, *An syl-*

*logismus sit subjectum in Logica?* Et positis augmentis pro parte negante, respondet sic,

( Ad hanc quæstionem contradicunt aliqui dicentes, quòd ens est subjectum in tota Logica, quia de omnibus ibi prædicatur determinatis. Alij dicunt quòd hic sit subjectum actus rationis, qui est triplex, scilicet simplicium apprehensio, compositorum intelligentia, intellectoꝝ collatio. Alij dicunt quòd modus sciendi, qui est similiter triplex, scilicet diffinitivus, divisivus, & collectivus. Sed dicendum quòd syllogismus non differt ab istis, prout etiã ponitur subjectũ. Nam idem est quòd actus rationis ; & quòd ens rationis ; & una pars modi sciendi, sub quo alij ad minus comprehenduntur materialiter. ) Hæc Doctor noster ex quibus Villanova dicit utramque sententiam conciliari.

26. Sed putamus ex relatis verbis Doct. nostri non conciliari utramque sententiã, imò utramque improbari. Nã in ultimis verbis dicit noster Ægidius, quòd actus rationis, conceptus objectivi, & ens rationis, continentur materialiter in syllogismo, qui est objectum formale, vel attributionis Logicæ : ergo actus rationis, conceptus objectivi,

&amp;

& ens rationis, solum erunt objectum materiale Logicæ, non formale. Et sic est contra utramque sententiam.

Et confirmatur. Nam in dictis verbis eo modo dicit Ægidius talia esse objectum Logicæ, qualiter ens est objectum Logicæ, quia de omnibus prædicatur : sed juxta communem sententiam, res, & ens non est objectum formale Logicæ, sed materiale, & secundarium, ut vidimus num. 9. cum communi sententia : ergo idem. Major patet, quia in dictis verbis Ægidius admittit omnes sententias relatas, quatenus omnes aequè ponunt aliquid, quòd continetur in syllogismo : ergo eo modo &c.

## §. VI.

*Nostra sententia proponitur ad mentem P. Augusti explicatur.*

27. **N**ostra sententia defendit, objectum formale Logicæ scientiæ esse veritatem formalem reflexam. Hanc credimus esse mentem P. Augustini lib. 2. de Doctrina Christiana à cap. 31. usque ad 38. ubi accuratissimè tractat de munere & officio Logicæ integris se-

prem capitibus, satis indicans quid sit ejus formale objectũ. Eandem sententiam putamus tenuisse Præceptorem Anglicum, & Doct. Fundatissim. ut infra patebit. Eandem sapius insinuat N. Villanova præcipuè disp. 1. Proëm. dub. 3. cap. 3. num. 62. licet ex professo non explicet ipsam. Et revera licet diversis terminis docetur à multis, ut infra constabit.

Antequam illam explicemus, monitos velim addiscentes, totam nostræ sententiæ difficultatem consistere unice in explicatione hujus veritatis reflexæ ; ob id vocat S. P. Logicam nodosissimam, & spinosissimam disciplinam. Et sicut facilius est ambulare, quàm explicare quomodo sit ambulandum ; ita facilius est exequi actus reflexè veros, quàm explicare quid sint, & quomodo fiant, verba P. Augustini lib. laudato cap. 37. sunt hæc. ( Illa vero ( *suple Logica* ) conclusionum, & definitionum, & distributionum plurimum intellectorem adjuvat : quamquam plerumque accidat, ut facilius homines eas assequantur, propter quas assequendas ista discuntur, quàm talium præceptorum nodosissimas, & spinosissimas disciplinas. Tamquã si quispiam dare volens præ-



cepta ambulandi, moneat, non esse levandam pedem posteriorē, nisi cum posuerit priorē; deinde minutatim quē admodum articulorum, & poplitem cardines oporteat moveri, describat. Verum dicit, nec aliter ambulari potest, sed facilius homines hæc faciendo ambulant, quàm animadvertunt cum faciunt, aut intelligunt, cum audiunt. *Et post pauca*: Ita plerumque citius ingeniosus videt non esse ratam conclusionē, quàm præcepta ejus capit &c.)

28. Pro explicatione veritatis reflexæ nota, quod Doctores duas explicant veritates; unam vocant transcendentalem, alteram formalem. Transcendentalis est entitas cujuscumque rei cognoscibilis. Dicitur transcendentalis, quia sicut nihil est in mundo, quod non sit ens; ita nihil est quod non sit verum hoc modo, & cognoscibile. Veritas hæc datur in rebus, & extra intellectum sicut res ipsa: ab hac autem dicitur verum aurum, lapis, verus lapis &c. Nec hujus est loci explicare in quo consistat: id enim pertinet ad Metaphysicam.

Veritas formalis est conformitas actus intellectus cum objecto cognito; vel actus intellectus, ut conformis objecto. Nolumus disputare nunc,

an illa conformitas sit aliquid absolutum additum cognitioni; an verò sit relatio realis, vel rationis? Id enim pertinet etiam ad Metaphysicā; & nobis sat esset scire, quod sicut *ab eo quod res est, vel non est, propositio dicitur vera vel falsa*; ita actus intellectus; quando est conformis objecto, cognoscens illud, ut est in se, tunc est verus formaliter; si tamen non conformatur objecto, tunc est falsus formaliter. Quare veritas formalis solum datur in intellectu, sicut cognitio conformis, in qua consistit, solum in intellectu datur. Hæc docentur ab omnibus.

29. Nos autem cum P. Augustino dicimus, quod hæc veritas formalis est duplex, una *directa*; altera *reflexa*. Primam vocat P. Augustinus *veritatem sententiarum*; secundam *veritatem connexionis*. Ita loco citato de Doctrina Christ. præcipue cap. 31. ubi ait: (Sententiarum autem veritas in sanctis libris Ecclesiasticis investiganda est. Ipsa tamen veritas connexionum, non instituta, sed animadverta est ab hominibus, & notata, ut eam possint vel discernere, vel docere. Et infra cap. 34. Quidam autem sic se jactant, cum veritatem connexionum didicerint, quasi senten-

tentiarum ipsa sit veritas.) En duplex veritas sententiarum, & connexionum.

Veritas formalis *directa*, est actus intellectus conformis objecto directè cognito. Falsitas ei opposita, est actus intellectus difformis objecto. Vtramque diffinit P. Augustinus lib. de vera Religione cap. 35. ubi ait: (Cui manifestum est falsitatem esse, qua id putatur esse quod non est: intelligit eam esse veritatē, quæ ostendit id quod est.) Unde quando intellectus cognoscit quodcumque objectum, ut est in se, tunc est verus, & intellectio talis est veritas formalis *directa*: quando verò cognoscit objectum aliter, ac est in se, tunc est falsus, & talis cognitio est falsitas formalis *directa*. Hoc est certum adhuc dum objectum cognitum est ens rationis. Quia tam vera est hæc propositio *ens reale existit à parte rei*: quàm ista *ens rationis existit tantum obiectivè in intellectu*. Nam in utraque intellectus conformatur cum objecto cognito, & cognoscit illud, ut est in se. Hoc modo cognoscit Deus entia rationis actu verissimo, qui est veritas formalis *directa*.

Istam veritatem formalem *directam* vocat S. P. *veritatem sententiarum*; & falsi-

tatem oppositam dicit *sententiam falsam*, vel falsitatē sententiarum. Audi ipsum cap. 31. dicentem: (Non enim vera inferebat Apostolus, cum diceret, Neque Christus resurrexit; & illa alia innanis est prædicatio nostra, innanis est, & fides vestra; & deinceps alia, quæ omnino falsa sunt, quia & Christus resurrexit, & non erat inanis prædicatio eorum, qui hoc annuntiabāt, nec fides eorum, qui hoc crediderant.) En veritas sententiarum explicata per suum contrarium. Istæ sunt falsæ sententiæ (Christus non resurrexit: inanis est prædicatio apostolica; inanis est fides Christiana,) quia nulla est conformis, sed difformis suo objecto. In re enim Christus resurrexit; prædicatio apostolica, & fides Christiana in re fuit plena, non inanis: ergo illæ sententiæ non enuntiantes objectum ut est in se, erant falsæ. Ergo à contrario cognitio attingens objectum ut est in se, est vera, imò est ipsa veritas *directa*, & sententiarum. De hoc nulla est controversia cum alijs sententijs.

30. Prosequitur S. P. immediatè post verba relata dicens: (Sed ista falsa verissimè connectebantur illi sententiæ, qua dicebatur, non esse

se resurrectionem mortuorum.) Sensus est. Arguebat Apostolus contra negantes resurrectionem mortuorum, & arguebat sic: ( Non datur resurrectio mortuorum: ergo Christus non resurrexit.) En veritas connexionis, & reflexa, quam explicabimus. Nunc observa quòd hæc argumentatio Apostoli est vera teste P. Augustino: sed non est vera veritate sententiarum, cum utraque propositio teste eodem Augustino sit sententia falsa: ergo solum est vera illa argumentatio veritate reflexa, & connexionis; quatenus discursus est verus, illatio vera, & connexio antecedentis cum consequente est verissima.

31. Veniamus ad explicationem veritatis reflexæ. Dicimus quòd veritas reflexa est quicumque actus intellectus ut conformis cum secundis intentionibus generis, speciei, & similium, & cum secundis intentionibus diffinitionis, divisionis, & modi sciendi. Brevius. (Veritas formalis reflexa est cognitio nostra ut conformis cum secundis intentionibus logicalibus. Clarius. Veritas formalis reflexa est conformitas actus intellectus cum regulis logicalibus diffiniendi, divi-

*De Proemialibus.*

Explicatur assertio hæc. Iste actus, quo diffinimus hominem dicendo *animal rationale*, est verus veritate reflexa, quia intellectus in eo conformatur cum secundis intentionibus generis, differentię, & diffinitionis. Nam in conceptu *animal* datur secunda intentio generis, in conceptu *rationalis* datur secunda intentio differentię: & secunda intentio diffinitionis petit dari per genus, & differentiam. Atqui intellectus in illo actu dat omnibus id quod petunt, quia diffinitioni dat genus, & differentiam; animali dat locum generis, rationali dat locum differentię: ergo plene conformatur actus ille secundis intentionibus, & sic est reflexe verus formaliter. Brevius. Actus ille est conformis regulis logicalibus: sed regulæ logicales docent actum conformari secundis intentionibus Logicalibus: ergo idem est actum illum esse conformem regulis logicalibus, ac esse conformem secundis intentionibus. Hac pro solo titulo assertionis.

32. Nunc probatur directe hæc veritas reflexa, jam explicata, & simul ostenditur, eam esse realiter distinctam à veritate formali directa. Incipiamus à facilio-

ho-

*Quest. VIII.*

*homo est animal*, Iste actus est directus, & verus. Ecce in eo duplex veritas: prima directa, quia ille actus est conformis cum objecto directe cognito, illud cognoscens, ut est in se, quia in se est animal: sed *ab eo quod res est vel non est, propositio, & cognitio dicitur vera, vel falsa*: ergo illa propositio, & actus intellectus affirmans hominem esse animal, est verus veritate formali directa.

En veritas reflexa: Actus ille habet hos duos conceptus *homo, & animal*: in primo datur intentio speciei; in secundo datur intentio generis; istæ secundæ intentiones petunt juxta regulas logicales quòd species subjiciatur, & genus prædicetur. Sed ille actus intellectus *homo est animal* verè conformatur cum secundis intentionibus, dans utrique quod petit, dum genus prædicat de specie: ergo actus ille directus intellectus conformatur reflexe cum secundis intentionibus. Hæc cõformitas est veritas formalis reflexa, distincta à prima veritate directa.

33. Probatur hoc primo à ratione, & sumamus has duas propositiones, *homo est animal: animal est homo*. In his duabus propositionibus datur æqualiter veritas formalis di-

directa: at non sunt æqualiter veræ veritate reflexa, consistente in conformitate cum secundis intentionibus: ergo ultra veritatem directam, debet concedi altera formalis reflexa, consistens in conformitate intellectus cum secundis intentionibus. Major & minor sunt probandæ. Major sic: Veritas formalis directa est cognitio conformis cum objecto ut est in se, ut probatum est num. 29. sed utraque propositio illa est ita conformis: ergo utraq; est æquæ vera veritate formali directa. Probatur hæc minor. Objectum utriusque est homo, & animalitas hominis: sed tam verum est quòd animalitas hominis in se est homo, quàm quòd homo in se sit animalitas hominis; utrumque enim invicem identificatur: ergo &c.

Minor principalis probatur. Vna ex illis propositionibus caret veritate aliqua, quam altera habet: sed illa veritas, qua una caret, & non altera, non est veritas directa sed reflexa, consistens in conformitate cum secundis intentionibus: ergo non sunt æqualiter veræ veritate reflexa &c. Major patet, quia apud omnes hæc propositio *animal est homo*, est falsa in sensu formali, secus hæc *homo est animal*

*mal*, quæ in omni sensu est vera: sed falsitas est carentia alicujus veritatis, ut patet: ergo una ex eis propositionibus caret veritate aliqua, quam altera habet. Quod ergo hæc sit reflexa patet etiã. Nam in veritate directa sunt æquales, ut probatum est: sed ultra veritatem directam non est alia, nisi reflexa: ergo veritas, in qua sunt inæquales, est veritas reflexa.

Iam verò quod hæc veritas, in qua sunt inæquales, consistat in tali conformitate cum secundis intentionibus, ostenditur. Discrimen utriusque propositionis solum est, quod in prima genus prædicatur de specie; in secunda species prædicatur de genere; quare prima, in omni sensu est vera; secunda in sensu formali est falsa: sed hæc falsitas, ut patet, inde provenit, quia prædicando speciem de genere, non conformatur intellectus cum secundis intentionibus, quæ petunt superiorem prædicari de inferiori, & non è contra: ergo tota falsitas secundæ, & veritas reflexa primæ consistit in difformitate, vel conformitate cum secundis intentionibus.

34. Vidistis utramque veritatem in propositione; vide utramque etiam in diffinitione. Pone has duas

diffinitiones hominis. *Animal rationale. Animal mortale.* Prima est vera duplici veritate, directa, & reflexa. Secunda solum est vera veritate directa, non autem reflexa. Ostenditur de prima, quia in prius intellectus ibi conformatur cum objecto diffinito, nam homo in se est animal rationale. Rursus intellectus dat conceptui *animal* vicem generis, & conceptui *rationale* vicem differentiam, ut dictum est num. 31. At hoc est quod petunt secundæ intentiones, repertæ in illis conceptibus: ergo in ista diffinitione *animal rationale* intellectus habet duplicem conformitatem cum objecto, & secundis intentionibus; & sic habet duplicem veritatem.

Venio ad secundam, scilicet *animal mortale*. Hic datur veritas formalis directa, quia homo in se est animal mortale; & sic intellectus conformatur cum objecto diffinito. Ceterum non conformatur reflexè cum secundis intentionibus, quia ponit *mortale* loco differentiam, & secundam intentio reperta in conceptu *mortale*, non petit poni loco differentiam, sed loco generis vel proprii: ergo huic diffinitioni deficit illa veritas, quæ datur in prima; at hæc non est veritas directa, ut ostendit

ostensum est: ergo est reflexa consistens &c.

Et ut videas hæc secundam diffinitionem non esse veram ob talem defectum, argue sic ad ostendendam ejus falsitatem. In omni vera diffinitione valet consequentia à diffinitione ad diffinitum; ite cui convenit diffinitio, convenit essentia diffiniti: sed bestia est animal mortale, cui convenit diffinitio secunda data; & ei non convenit essentia hominis; nec valet *Bestia est animal mortale: ergo est homo*: ergo diffinitio illa hominis *animal mortale*, vera non est.

35. Hæc doctrina desumpta est ex P. Augustino lib. de Quantitate animæ cap. 25. ubi de diffinitione hominis loquens, dicit: (Si enim me rogares, quid esset homo? Et cum hoc modo diffinirem, homo est animal mortale, non continuo quia verum est, etiã diffinitionem probare deberes; sed superposita ei particula, idest omnis, convertere illam, & intueri, utrum etiam conversa vera esset: hoc est utrum quemadmodum verum est, omnis homo animal mortale est, ita esset verum, omne animal mortale homo est: quo aliter invento, improbare diffinitionem propter illud vitium quo aliena comprehendit: non

enim solus homo est animal mortale, sed etiam quavis bestia.) Hæc S. P.

Dices forsan. Hæc diffinitio est mala, non autem falsa; sicut conclusio, quæ non sequitur ex antecedenti, dicitur mala non falsa, quia illatio est bona, vel mala, non vera aut falsa. Veritas enim & falsitas sunt proprietates propositionis, non autem diffinitionis, aut illationis, ut dicitur communiter. Imò hic P. Augustinus non vocat falsitatem defectum hujus diffinitionis, sed vitium: ergo non est improbanda illa diffinitio, quia falsa, sed quia mala, & difformis regulis logicibus diffiniendi.

36. Fatemur, quod scholastici communiter dicunt talem diffinitionem esse malam, non falsam; item de illatione dicunt esse bonam, aut malam; non autem veram aut falsam. At hoc idè est, quia unicè observant veritatem formalem directam, & minime reflexam. Sed P. Augustinus, qui veritatem reflexam observat, agnoscit in sententijs veris conclusiones, & illationes falsas. Audi ipsam cap. 33. libri laudati de Doctrina Christiana. dicentem: (Iam hinc intelligere facile est, sicut in falsis sententijs veras, sic in veris sententijs falsas conclusiones esse

esse posse) Ecce in falsis propositionibus falsitate directa datur vera conclusio, v.g. *Homo volat: ergo habet alas.* Et in veris falsa conclusio: v.g. *Homo est animal: ergo est bipes.* Ergo S. P. non vocat illationem bonam, vel malam; sed veram, aut falsam. Præterea totus est in explicando *veritatem connexionis* per integra septem capita libri laudati: ergo quia illatio non debet dici bona vel mala, sed juxta S. P. veram, vel falsam.

Et ultra auctoritatem S. P. quæ sola nos impulit calcare vias non tritas, id suadet ratio. Nam conformitas actus voluntatis cum regulis Philosophiæ moralis, constituit actus bonos, aut malos: ergo conformitas actus intellectus cum regulis logicalibus constituit actus veros, vel falsos. Patet consequentia ex discrimine inter utriusque scientiæ regulas. Nam regulæ morales sunt regulæ operandi, & practicæ; regulæ logicales sunt regulæ speculandi, & speculativæ: sed bonum, & malum sunt praxis; verum, & falsum speculatio: ergo si conformitas &c. De hoc reddibit sermo in probatione nostræ conclusionis auctoritate D. Thomæ.

Hinc patet ad replicam. Nam sicut illatio non confor-

mis regulis Logicæ dicitur falsa à P. Augustino & carens veritate connexionis; ita definitio non conformis regulis Logicæ debet dici falsa, non mala: non enim discordat à regula faciente bonum actum sed verum, veritate scilicet reflexa jam explicata. Nec veritas est proprietas propositionis, ei soli conveniēs; convenit enim omni actui intellectus conformi cum objecto; imò & P. Augustinus definitionem datam vocat veram, veritate scilicet directa. Et licet dicat improbandam esse propter *vitium*, loquitur similitudinariè ad actus disconformes regulis moralibus, qui erant magis noti filio Adeo dato, cū quo ibi colloquitur. Eum ibi docet diffinire: jam vides accuratissimum alioquin puerum, defectu tamen præceptorum logicalium non potuisse tunc capere veritatem istam reflexam nodosissimam, & spinosissimam. Ideò non dixit propter *falsitatem*, sed propter *vitium*.

37. Quæ diximus de diffinitione, & propositione, constat etiam in divisione. Hæc est vera divisio *Animal, aliud rationale, aliud irrationale*. Primo veritate directa, quia ibi intellectus conformatur cum animalitate ut est in re. Secundo veritate reflexa,

quia plenè conformatur cum regulis logicalibus, & secundis intentionibus divisi, & membri dividētis. At ista divisio, *Animal, aliud sensibile, aliud rationale* est vera veritate directa, cū utraque propositio dividens sit conformis objecto. Sed non est vera veritate reflexa, quia non est conformis regulis logicalibus & secundis intentionibus. Pōnit enim intellectus conceptū *sensibile*, ut membrum dividens inferius ad *animal* divisum, & tale non est, sed æquè patens.

38. Restat ostendere hanc veritatem reflexam in discursu, qui est præcipua operatio intellectus, & quia difficilius hic agnoscitur, ideò S. P. totus est in ea explicanda capitibus citatis. Explicatur sic. Hic discursus est plenè verus. *Est homo: ergo est animal.* Nam primò est verus veritate directa, & *sententiarum*, cū utraque propositio sit vera, & conformis objecto. Rursus est verus veritate reflexa & *connexionis*, quia in tali illatione intellectus conformatur cum secundis intentionibus, ponendo pro antecedenti secundam intentionem speciei inferiorem, & pro consequenti secundam intentionem generis superiorem: quare arguit ab inferiori ad supe-

rius affirmativè, & sic debet arguere juxta regulas logicales fundatas in natura secundarum intentionum.

E contra iste discursus non est plenè verus, *est animal: ergo est homo*, quia licet in eo detur veritas directa *sententiarum*, & utraque propositio sit directè vera; at non datur veritas reflexa, & connexionis, nec sequitur consequens ex antecedenti, defectu conformitatis cum secundis intentionibus explicatis. Arguitur enim à superiori ad inferius affirmativè, & est falsa consequentia: unde caret veritate connexionis.

Utraque veritas est realiter distincta, & realiter separabilis: quare cum falsitate directa *sententiarum*, stat veritas reflexa *connexionis*. Sicut hic, *homo volat: ergo habet alas.* Vel ut utamur exemplo Apostoli Pauli observato à P. Augustino *Non datur resurrectio mortuorum: ergo Christus non resurrexit.* Utraque sententia est falsa, sed connectio vera, quia arguitur juxta regulas logicales à superiori ad inferius negativè. Unde datur veritas reflexa *connexionis*, sine veritate directa *sententiarum*. E contra datur aliquando veritas directa *sententiarum*, sine veritate reflexa *connexionis*, v. g. *Homo est mortalis: er-*

*goest bipes.* Vtrumque est directè verum, sed neutrū connexum pro illatione.

39. Hæc doctrina septem capitibus traditur à P. Augustino lib. 2. laudato de Doctrina Christ. à cap. 31. usque ad 38. supra dedimus aliqua S. Doct. verba num. 29. & 30. nec oportet integra capita transcribere, sed sat est allegare. Interim audi S. P. cap. 33. dicentem. (Iam hinc intelligere facile est, sicut in falsis sententijs veras; sic in veris sententijs falsas conclusiones esse posse.) Nota quòd non dicit bonas, aut malas conclusiones, sed veras, aut falsas. Item non loquitur de veritate, aut falsitate sententiarum, sed de reflexa connexionum, quia dicit in falsis sententijs esse conclusiones veras: sed si forent veræ veritate directa, non forent in sententijs falsis: ergo in sententijs falsis dantur conclusiones veræ veritate reflexa

Hoc, omisis alijs exemplis, confirmat S. P. ibi hoc syllogismo (Si justus est ille, bonus est: sed ille non est justus: ergo non est bonus. Et eo posito dicit: Quæ tametsi vera sint omnia; non tamen est vera regula conclusionis. Non enim sicut ablato consequenti, aufertur necessariò,

quod præcedit; ita etiam ablato antecedenti, aufertur necessariò quod consequitur: quia verum est cum dicimus: Si orator est, homo est. Ex qua propositione si assumamus, non est autem orator: non erit consequens cum intuleris, non est igitur homo.) En ubi S. P. recurrit ad conformitatem, vel difformitatem cum regulis logicalibus, ut demonstrat veritatem reflexam, vel falsitatem connexionis. Sed ut diximus num. 31. regulæ logicales sunt veræ quia fundantur in natura secundarum intentionum: ergo veritas reflexa conclusionis, imò & cujuscumque actus intellectus, consistit in conformitate intellectus cum secundis intentionibus, & regulis logicalibus.

Prosequitur S. P. ibi. Quapropter aliud est non esse regulas connexionum, aliud sententiarum veritatem. In illis discutitur quid sit consequens, quid non consequens, quid repugnans. Consequens est, si orator est, homo est. Inconsequens, si homo est, orator est. Repugnans, si homo est, quadrupes est. Hic ergo de ipsa connexionione judicatur. In veritate autem sententiarum, ipsæ per se sententiæ, non autem earum connexio con-

si-

(*fideranda est.*) Lege caput 35: ubi pro examinanda veritate reflexa diffinitionis & divisionis, recurrit ad regulas logicales. Ergo juxta S. P. veritas reflexa cujuscumque actus intellectus consistit in cõformitate cum secundis intentionibus, & regulis logicalibus.

40. Quæres, an hæc veritas reflexa sit realis, vel rationis? Respondeo esse veritatem realem. Id colligitur ex S. P. Augustino ubi supra cap. 32. ubi ait: (Ipsa tamen veritas connexionum, non instituta, sed animadverta est ab hominibus, & notata ut eam possint vel dicere, vel docere. Nam est in rerum ratione perpetua, & divinitus instituta.) Id amplius explicat exemplo ejus qui demonstrat motum siderum; iste non facit illum motum, sed solum demonstrat esse talem (Sic etiam (ait) qui dicit, cum falsum est quod consequitur, necesse est, ut falsum sit quod præcedit, verissimè dicit: neque ipse facit, ut ita sit, sed tantum ita esse demonstrat.) Idem docet cap. 35 de Logica diffiniendo, dividendo, & partiente, ostendens, non esse ab hominibus institutam, sed in rerum ratione comper-

tam. Ex quo sic. Si veritas reflexa esset ens rationis, insti-

tuta esset ab hominibus; ab eorum intellectu facta juxta Thomistas, & alios; & non divinitus instituta. Sed P. Augustinus dicit talem veritatē institutam esse divinitus, non humanitus: ergo talis veritas non est rationis, sed realis.

Secundò. Quando ex falso sequitur falsum, necessariò sequitur, & verissimè sequitur: sed si sequeretur illatione, quæ esset ens rationis, non sequeretur necessariò, & verissimè: ergo illatio illa est vera veritate reali. Probat minor: Illatio, quæ est ens rationis, non habet majorem necessitatem quàm ens rationis. Sed ens rationis non est ens necessarium, imò nec verum juxta Thomistas: ergo &c.

Tertiò. Veritas ista reflexa est actus intellectus ut conformis regulis logicalibus, vel secundis intentionibus: sed actus iste sic conformis est quid reale: ergo veritas reflexa est quid reale. Probat minor primò. Actus quo Deus cognoscit ens rationis ut est in se, est conformis enti rationis cognito, & sic est formaliter verus: at non est verus veritate rationis, sed realiter, imò divina formaliter: ergo &c. Secundò. Actus noster quo cognoscimus ens rationis jam

fa-

factum ex juxta omnes verus veritate formali reali : ergo &c. Tertio : Actus ut conformis cum regulis logicalibus ; & secundis intentionibus, est actus cum relatione conformitatis : sed quidquid sit de relatione illa , an sit realis, vel rationis, actus tamen intellectus est ens reale : ergo veritas reflexa est quid reale, quod ad summum dicit de connato relationem rationis.

41. Confirmatur. Licet actus voluntatis per ordinem ad regulas morum dicat juxta aliquos solam relationem rationis ; est tamen apud omnes verum ens reale morale : ergo dato, & non concesso , quod actus intellectus , ut reflexè verus dicat solam relationem rationis ad regulas logicales , & secundas intentiones, erit verum ens reale intentionale.

Confirmatur secundò : Actus voluntatis ut conformis regulis morum , est verum ens reale : ergo actus intellectus , ut conformis regulis logicalibus, erit verum ens reale. Patet consequentia. Primò : Quia sicut regulæ moralitatis non sunt institutæ ab hominibus, sed notatæ, ita regulæ logicales, teste P. Augustino. Secundò, quia sicut actus voluntatis ex sua

natura petit talem conformitatem, ita actus intellectus ; non enim minus est contra naturam rationalem vitium, quàm falsitas. Sed nullus actus realis potest ex vi suæ naturæ petere aliquid rationis : ergo si actus intellectus petit illam veritatem, illa erit quid reale.

Vt autem scias , quo sensu regulæ logicales dicuntur à P. Augustino divinitus institutæ, audi D. Thomam 1. 2. q. 19. art. 4. in corpore explicantem quomodo regulæ moralitatis non sunt humanitùs institutæ, sed derivatæ à lumine Divino , & lege æterna, ait sic. ( Quod autem ratio humana sit regula voluntatis humanæ, ex qua ejus bonitas mensuretur, habet ex lege æterna, quæ est ratio Divina ; unde in Psalm. 4. dicitur, Multi dicunt, quis ostendit nobis bona ? Signatum est super nos lumen vultus tui Domine : quasi diceret , lumen rationis quod in nobis est, in tantum potest nobis ostendere bona, & nostram voluntatem regulare, in quantum est lumen vultus tui, idest à vultu tuo derivatum.)

Hoc modo etiam regulæ logicales , non humanitùs, sed divinitus dicuntur institutæ, in quantum derivantur

tur à lumine rationis Divino, & à divino intellectu, cujus lumen signatum est super nos. Nec homines regulas illas instituerunt, sed notarunt, & animadverterunt experientijs, & varijs reflexionibus : quæ regulæ, si non concordarent Divino lumini verissimo, à quo debent derivari non forent regulæ, nec veræ, sed falsæ : ut in simili arguebat S. Bernardus in Apolog. ad Guillelmum Abbat. ( Anne regula non concordat Evangelio, vel Apostolo ? Alioquin regula jam non est regula, quia non recta.

## §. VII.

*Nostra sententia ab auctoritate probatur.*

42. **P**ROBatur prima auctoritate P. Augustini loco laudato de Doctrina Christ., ubi scientias distinguens, munera, & objecta earum explicans, totus est in explicando veritatem connexionum, & reflexam, quæ ad solam Logicam pertinet : ergo quia sentit talem veritatem esse objectum formale Logicæ. Rursus ubicumque S. P. loquitur de Dialectica, semper eam explicat per or-

dinem ad veritatem, ut lib. 8. de Civit. Dei cap. 4. ubi tripartitur studium sapientiæ, dicit de Logica esse scientiam rationalem, *quæ verum discernit à falso*. Ibidem dicit, quod Logica est *contemplatio quæ maximè perfectionem sibi vendicat veritatis*. Et lib. de Principijs Dialecticæ cap. 4. *Nunc propter veritatem judicandam, quod Dialectica proficitur*. At nō loquitur S. P. de veritate directa, & sententiarum, quæ solum pertinet ad alias scientias, ut ostensum est q. 2. à n. 13. ergo sentit S. P. Logicam habere pro formali objecto, & sine intrinseco, veritatem reflexam, supra explicatam.

43. Probatur secundo de mente D. Thomæ 4. Metaphysicæ lect. 17, in principio, ubi ait : ( Verum, & falsum propriè pertinet ad considerationem logici ; consequuntur enim ens in ratione.) Angelicus planè verbis totam sententiam nostram complectitur, & à priori probat. In primis verum, & falsum juxta S. Doct. sunt objectum proprium, & formale Logicæ scientiæ, quæ sola est Logica considerans ; & ut constet loqui de vero reflexo, idest de veritate reflexa, arguimus sic à sufficienti partium enumeratione. Nam primò non loquitur D. Thomas de verita-



te transcendentali, nam hæc datur in rebus. ut dictum est num. 28. hic autem loquitur de veritate, quæ *consequitur ens in ratione*. Rursus non est sermo de veritate formali directæ; quia illa non consequitur ens in ratione, sed antecedit illud, ut videbimus. Tum etiam, quia ut probatum est q. 2. num. 13. Solæ scientiæ directæ possunt considerare veritatem formalem directam, & ipsam discernere à falsitate directæ. Logica autem non est scientia directæ, sed reflexa apud omnes Scholasticos.

Rursus: Non loquitur S. Doctor de veritate transcendentali entis rationis. Nam loquitur de veritate, quæ consequitur ens in ratione: sed veritas transcendentalis entis rationis non consequitur ad ens rationis, sed est ipsum ens rationis, cujus esse vel est actu cognosci juxta Thomistas, vel est posse cognosci, & hoc est esse verum transcendentaliter: ergo restat D. Thomam loqui de vero, & falso reflexis; & consequenter objectum quod Logica scientia formaliter, & propriè considerat, est veritas reflexa.

Pro intelligentia ordinis, quo veritas reflexa consequitur ens in ratione, observa, quod primò objecta realia

sunt in se extra intellectum; hoc modo sunt vera transcendentaliter; postea cognoscuntur, & cognitio illa est directæ, quæ dicitur vera, vel falsa. Tertio in conceptibus objectivis nostri intellectus resultant secundæ intentiones generis, speciei, & similium, quæ dicuntur entia rationis. Quarto ipsa cognitio directæ objecti realis, reflexè conformatur vel difformatur secundis intentionibus repertis in conceptibus objectivis. Verū ergo & falsum de quo loquitur D. Thomas, est hoc quartum resultans, & consecutum ad ens in ratione; & tale est verum reflexum.

Rationem conclusionis nostræ dat S. Doctor illis verbis *consequuntur enim ens in ratione*. Nam ut vidimus q. 2. Logica est *scientia rationalis* ad differentiam aliarum scientiarum: ergo est scientia rationalis, non quia per actus rationis attingit summum objectum; nam hoc est commune alijs scientijs; omnes enim suam objectum considerant per suos actus rationis; sed est scientia rationalis, quia considerat veritatem repertam in ipsis actibus, & secutā ad ens in ratione. Sed talis est veritas reflexa à nobis explicata: ergo Logica ut scientia rationalis habet pro objecto formali

mali veritatem reflexam.

44. Secundò probatur conclusio nostra de mente D. Thomæ in Proëmio libri 1. Ethic. ubi dividit scientias penes diversos ordines, qui inveniuntur in objectis cognitis. Dicit sic: (Ordo quadrupliciter ad rationem comparatur. Est enim quidam ordo quem ratio non facit, sed solum considerat, sicut est ordo rerum naturalium. Alius autem est ordo, quem ratio considerando facit in proprio actu, puta cum ordinat conceptus suos ad invicem, & signa conceptuum, quæ sunt voces significativæ. Tertius autem est ordo, quæ ratio considerando facit in actibus voluntatis. Quartus autem est ordo, quæ ratio considerando facit in exterioribus rebus, quarum ipsa est causa, sicut in arca & domo. Et quia consideratio rationis per habitum perficitur, secundum hos diversos ordines, quos propriè ratio considerat, sunt diversæ scientiæ.)

Et statuens primum ordinem pertinere ad Philosophiam naturalem, & Metaphysicam, prosequitur sic: (Ordo autem, quæ ratio considerando facit in proprio actu; pertinet ad rationalem Philosophiam, cujus est considerare ordinem partium oratio-

nis adinvicem, & ordinem principiorum ad invicem, & ad conclusiones. Ordo autem actionum voluntatis pertinet ad considerationem moralis Philosophiæ. Ordo autem, quæ ratio considerando facit in rebus exterioribus, constitutus per rationem humanam, pertinet ad artes mechanicas.) Damus integra verba S. Doctoris, ut melius de ejus mente disceptemus.

Hoc nobis cum Thomistis, & RR. fixum, & certum est S. Doctorem hic loqui de objecto formali; nam dividit scientias per diversa objecta: sed sola diversitas objecti formalis distinguit scientias, ut dictum est q. 6. ergo hic est sermo de objecto formali Logicæ. Imò hinc probant Thomistæ objectum formale Logicæ esse ens rationis, quia juxta S. Doctorem hic, est relatio illa, quam ratio considerando facit: sed hæc est relatio rationis ab intellectu facta: ergo objectum Logicæ est ens rationis. Sic pro Thomistis arguebamus num. 14.

45. Ceterum hæc intelligentia non apparet veram, nisi velis quod Philosophia moralis, & omnes artes mechanicæ, habeant pro objecto formali ens rationis, quod est satis absurdum. Probatur sequela. Juxta D. Thomam ita



pertinet ad Logicam ordo, quem ratio considerando facit in proprio actu; sicut ordo, quem ratio considerando facit in actibus voluntatis, pertinet ad Philosophiam moralem; & ordo, quē ratio considerando facit in rebus externis, pertinet ad artes mechanicas: sed per te ordo, quem ratio considerando facit, est relatio rationis, ab intellectu facta: ergo juxta expositionem tuam non sola Logica, sed Philosophia moralis, & omnes artes mechanicae habent pro formali objecto ens rationis, quod est absurdum.

Sensus ergo D. Thomae non est hic, sed sequens, videlicet: quod sicut ordo conformitatis actuum voluntatis cum regulis moralitatis; & ordo conformitatis exterioris materiae cum regulis artium mechanicarum, est objectum Philosophiae moralis, & artium; ita ordo conformitatis actuum intellectus cum regulis logicalibus, est objectum formale Logicae. Ergo juxta D. Thomam objectum formale Philosophiae moralis est actus bonus, & hic est conformis regulis morum; objectum artium mechanicarum est materia externa disposita, & conformis regulis artium; ac tandem objectum Logicae est actus, & conce-

ptus intellectus conformis regulis logicalibus: haec est veritas reflexa explicata.

Ista conformitas dicitur à D. Thoma ordo, quem ratio considerando facit, non quia sit relatio rationis facta ab intellectu, sed quia talis conformitas est ordo, qui pendet ab intellectu dirigente, & ordinante actus conformes, ut conformentur. Sic ars domifactoria habet pro objecto formam domus, quae non est aliud, nisi partes dispositae, & conformes regulis artis. Haec conformitas non est relatio rationis, sed realis sicut domus ipsa; at dicitur facta relatio illa ab intellectu considerante, quia facta est dependenter ab intellectu proponente regulas artis, quibus opus externum evaderet conforme.

Sic etiam actus voluntatis dicuntur honesti, quatenus conformes regulis morum praescribentibus objectum, finem, & circumstantias actuum. Haec conformitas est relatio realis, & realis tendentia actus in objectum sic regulatum, ut cum communiore sententia docēt etiam plures Thomistae 1. 2. q. 19. Ceterum dicitur à D. Thoma ordo factus à ratione, quatenus actus voluntatis dependet ab intellectu pro-

po-

ponente regulas morum, ut sic evadat conformis. Quapropter dicit D. Thomas loco citato: (Sicut igitur subjectum Philosophiae naturalis est motus, vel res mobilissima subjectum moralis Philosophiae est operatio humana ordinata in finem, vel etiam homo prout est voluntariē agēs propter finem.) Ergo non est relatio rationis, etiam si D. Thomas dicat esse ordinem quē ratio considerando facit in actibus voluntatis.

46. Confirmo id amplius ex modo loquendi D. Thomae. Dum S. Doctor loquitur de ente rationis, non dicit quod sit ordo quē ratio considerando facit, sed ordo quem ratio adinvenit in rebus consideratis. Ita 4. Metaphysica lect. 4. *Ens rationis propriè dicitur de illis intentionibus, quas ratio adinvenit in rebus consideratis* &c. Idem ad litteram dicit Opusc. 42. cap. 4. & q. 1. de Potentia art. 1. ad 10. & alibi sepè. Et ratio hujus est, quia cum ens rationis sit minimae entitatis, imò fictae juxta Thomistas, non fit, nec terminat factionem intellectus, sed invenitur in conceptibus rerum consideratarum. Si enim juxta Philosophum relatio realis non terminat per se motum, nec fit, sed resultat ex positione

fundamenti: multò minus ens rationis; quare invenitur ab intellectu, non fit. At ordo quē ratio considerando facit in actibus intellectus, in actibus voluntatis, & materia externa, verè fit ab intellectu: ergo non est ordo rationis juxta D. Thomam, sed realis conformitas cum regulis facta ab intellectu.

Haec prolixè adduximus, quia S. Doctorem pro nostra sententia stare contendimus; & à paritate Philosophiae moralis, & artium artium fati evincitur, quod sicut objectum artis est materia externè disposita conformis regulis artis; & objectum Philosophiae moralis est actus voluntatis ut conformis regulis morum; ita objectum Logicae scientiae est actus intellectus ut conformis regulis Logicalibus, sed actus intellectus sic conformis, est veritas reflexa §. precedenti explicata; ergo juxta D. Thomam objectum formale Logicae est veritas reflexa.

Ex nostro Egidio probatur conclusio illis verbis in Prologo ad lib. Posteriorum: (Ne ergo propter potentialitatem admixtam malè ratio cinemus, & erremus in actibus rationis inventa fuit Logica quae est hujusmodi actus directiva.) Intellige non

Dd:

de

de inventione propria, sed lata, quia Logica non est instituta ab hominibus, sed notata, & demonstrata, ut dicebamus ex P. Augustino num. 40. sed error, quem Logica dirigendo vitat, non est directus, sed reflexus, ut suprâ probatum est quæst. 1. num. 14. & docetur ab Ægidio Quodlib. 4. q. 7. Ergo Logica respicit pro objecto veritatem reflexam, reperiendam in syllogismo, & alijs modis sciendi.

Audi nostrum Villanovanum studiosissimum Ægidij interpretem in Proëm. Logicæ disp. 1. dub. 3. cap. 3. num. 62. dicentem: (Adverto autem in apprehensione posse esse duplicem falsitatem; unam si apprehensio non conformetur cum re apprehensa, quæ est mensura cognitionis: ut si quis videat virgam, dimidiam partem habentem in aqua, & dimidiam extra aquam, apprehendit illam ut fractam. Hujusmodi falsitatis correctio pertinet ad scientiam realem, agentem de rebus: alteram si apprehensio apprehendit genus & non cum debita differentia, vel diffinitionem, & non cum debito diffinito: hujusmodi falsitatis correctio pertinet ad Logicam &c.) En laudatus Mag.

distinguens errorem directum à reflexo in apprehensione, dicit primum corrigi à scientijs directis, secundum à Logica: ergo cum idem sit de alijs operationibus intellectus, dicendum restat, quòd Logica corrigens falsitatem reflexam, versetur formaliter circa reflexam veritatem.

### §. VIII.

*Nostra sententia à ratione probatur.*

48. **P**ROBATUR primò ratione desumpta ex D. Thoma ubi suprâ num. 44. Objectum formale Logicæ sunt actus intellectus ut conformes regulis logicalibus, & secundis intentionibus: sed actus illi hoc modo sunt veritas reflexa: ergo objectum formale Logicæ est veritas reflexa. Consequentia tenet, minor patet ex dictis toto §. 6. major probatur. Objectum formale Philosophiæ moralis sunt actus voluntatis, ut conformes regulis moralitatis: ergo objectum formale Logicæ &c. Antecedens patet ex dictis, consequentia probatur. Sicut Logica est directiva actus rationis; ita Philosophia moralis est directiva

activa actuum voluntatis. Hoc patet tum ex dictis de mente D. Thomæ quæst. 4. num. 13. ubi adduximus etiam auctoritatem nostri Ægidij. Tum ex verbis D. Thomæ hic datis num. 44. ubi de Philosophia, & Logica æquè dicit considerare ordinem, què ratio facit in actibus intellectus, & voluntatis. Sed Philosophia moralis respicit pro objecto formali actus voluntatis, ut conformes regulis morum: ergo & Logica actus intellectus, ut conformes regulis Logicalibus.

Respondet Palanco cum Thomistis negando quòd objectum Philosophiæ sit actus voluntatis sic conformis: & dicit objectum Philosophiæ esse objecta virtutum moralium, ut honesta, vel inhonesta. Ita in sua Logica fol. 143. num. 49. Ceterum contradicit solutio D. Thomæ, & veritati. Nam primò D. Thomas dicit quòd objectum formale Philosophiæ est *ordo quem ratio considerando facit in actibus voluntatis*: sed ordo iste non est objecta diversa virtutum moralium: nam talia objecta sunt quid absolute, non respectivum, ut est ordo: ergo &c. Secundò. Idem S. Doctor expressè dicit, quòd *sicut subjectum Philosophiæ naturalis est motus, vel res mobi-*

*lis; ita subjectum Philosophiæ moralis est operatio humana ordinata in finem.* Sed operatio humana sic ordinata, non est objecta virtutum, sed actus tendens in objecta virtutum: ergo solutio illa est contra D. Thomam.

Est etiam contra veritatem. Nam Philosophia moralis est scientia directiva non virtutum, sed actuum voluntatis, ut fiant honesti: ergo non respicit objecta virtutum, sed honestatem nostrorum actuum. Atqui hæc honestas consistit in conformitate actuum cum regulis morum: ergo hanc respicit Philosophia pro objecto, non autem virtutum objecta.

Rursus. Virtutes morales sunt habitus perficientes voluntatem; Philosophia moralis est habitus perficiens intellectum; sed habitus diversi, perficientes diversam potentiam non possunt habere idem objectum formale: ergo Philosophia moralis nō habet pro objecto objecta virtutum. Adde quòd Philosophia moralis diffinit, distinguit, & considerat virtutes morales, ut voluntati præscribat regulas, quibus conformetur, & honestè operetur: ergo objecta virtutum sunt quid materiale Philosophiæ moralis, quæ formaliter intendit

dit & respicit conformitatem jam explicatam. Vide Cardinalem Aguirre. tom. 1. Philosophiæ moralis in Introductione cap. 3. ubi defendit sententiam D. Thomæ ponens pro formali objecto Philosophiæ actus voluntatis sic conformes.

49. Probatur secundo conclusio nostra ratione desumpta ex nostro *Ægidio* in Prologo ad libros Physicorum. (Cum universaliter ait) omnis scientia in intellectu consistat, ad scientiam, & ad Philosophiam, illa essentialiter pertinere poterunt, in quæ fertur intellectus secundum se: objectum autem intellectus est verum: & per se intellectus fertur in veritatem. Si autem fertur in bonum, hoc non est per se, sed ut habet ordinem ad voluntatem.) Hæc Doctor noster, ex quibus constat, quod scientiæ sunt perfectiones intellectus, ipsum adjuvantes ut attingat verum, quod est objectum formale intellectus. Et cum scientiæ non se extendant quantum intellectus, ideo sunt necessaria multæ scientiæ, ut intellectus plenè adjuvetur in attingentia sui objecti formalis.

Nunc sic: Illud est objectum formale Logicæ, quod est objectum intellectus ut ad-

juum per Logicam: sed veritas reflexa explicata, est objectum intellectus adiuti per Logicam: ergo veritas reflexa est objectum formale Logicæ. Major patet ex verbis nostri Doct. & probatur à ratione, quia scientiæ sunt perfectiones intellectus ipsum adjuvantes ad attingendum scientificè suum objectum. Sic Philosophia adjuvat intellectum ad attingendam veritatem corporis mobilis; Mathematica ad attingendam veritatem quantitatis, ut mensurabilis, & sic de alijs: ergo illud est objectum formale Logicæ &c. Minor autem probatur. Veritas reflexa explicata est objectum parziale intellectus, quæ comprehenditur sub ratione communi veritatis, in quam tendit intellectus per se cognoscitivus omnis veri. Sed nulla est scientia adjuvans intellectum ut attingat veritatem reflexam, nisi sola Logica: ergo veritas reflexa &c. Major patet, quia objectum intellectus est omne verum: sub eo continetur veritas reflexa. Minor est certa, quia sola Logica est scientia reflexa tractans de ista conformitate intellectus cum regulis Logicalibus.

Confirmatur. Hæc veritas reflexa est objectum aliqujus scientiæ: sed non alterius

rius nisi Logicæ: ergo veritas reflexa est objectum formale Logicæ. Major patet; nam quod est simpliciter scibile, est objectum formale aliqujus scientiæ: sed hæc veritas reflexa est simpliciter scibilis: ergo. Probatur hæc minor. Quod est simpliciter connexum cum suis proprietatibus est simpliciter scibile; & proprietates illæ sunt simpliciter demonstrabiles. At veritas reflexa est verum ens reale, habens proprietates demonstrabiles, cum eo connexas: ergo &c. Iam verò quod sola Logica eam veritatem respiciat, patet, quia sola Logica est cognitio reflexa, reliquæ enim scientiæ sunt directæ: sed veritas reflexa solum est cognoscibilis cognitione reflexa, ut patet: ergo &c.

50. Respondebis primo cum Thomistis, quod in simili dicunt de actibus intellectus ut dirigibiles, vel directi sunt, scilicet non esse objectum formale scientiæ, nec per se scibile; quia non quærentur propter se, sed propter formam rationis intrinsecam in modo sciendi resultantem ex actibus directis. Hanc per se quærit Logica, & ideo illa sola est objectum formale Logicæ.

Sed contra. Nam si illud

est objectum formale Logicæ quod per se intenditur à Logica, & ad quod ultimo ordinatur, quod à Logica attingitur, hoc erit veritas reflexa, non ens rationis: ergo solutio data pro nobis stat. Probatur antecedens. Ideo Logica explicat, tractat, & dilucidat naturam secundæ intentionis, ut medijs regulis logicalibus in tali natura fundatis, intellectus conformetur cum secundis intentionibus: ergo quod Logica per se intendit &c. Probatur antecedens, & simul confirmatur doctrina nostra à paritate Philosophiæ moralis. Ideo Philosophia moralis diffinit, & distinguit virtutes, & earum objecta; ut medijs regulis moralitatis voluntas in suis actibus conformetur, & eliciat actus honestos & sic conformes. Non enim diffinimus virtutes, ut scientes fiamus, *sed ut boni simus*, ut docet Philosophus initio Ethicorum. Ergo non ideo Logica tractat de secundis intentionibus, ut eas sciat, sed ut intellectus in suis actibus conformetur.

51. Nec valet contra nostram sententiam, quod respondent Thomistæ argumento sententiæ contrariæ. Nam licet actus intellectus, ut dirigibilis, vel ut fortassis ex-

trinfecè directus, non quaratur propter se, at actus intellectus, ut conformis regulis logicalibus, quaritur propter se. Disparitas nostræ sententiæ, & societatis est. Quod PP. Societatis nihil intrinsecū agnoscunt in actibus directis, quare directionem vocāt plenè extrinsecam. Nos autem aliquid intrinsecum damus: & hoc est relatio illa conformitatis actus cum regulis logicalibus. Hæc relatio est quid intrinsecum, sicut relatio actus voluntatis ad regulas morum, est intrinseca actibus, licèt dependeat ab extrinseco, scilicet ab intellectu dirigente, & ostēdente voluntati objectum, & regulas.

Id amplius explico, ut discrimen nostræ sententiæ à reliquis agnoscas. Actus voluntatis per aliquid sibi intrinsecū tendit in objectū, & tendētia istanō est quid extrinsecū, sed intrinsecū actui: at tendit in objectum cognitum per cognitionem, quæ est extrinseca voluntati, & proponit objectum ut conformē regulis morum: ergo actus voluntatis per aliquid sibi intrinsecum conformatur regulis morum, etsi depēdeat pro tali conformitate ab aliquo extrinseco, scilicet, ab intellectu proponente objectum regulis conforme. Hoc modo actus in-

tellectus conformis regulis logicalibus, per suam intrinsecam entitatem tendit directè in objectum cognitum, regulatum à Logica dirigente: ergo conformitas actus cum regulis est intrinseca actui, & non extrinseca, licèt depēdeat ab aliquo extrinseco actui, scilicet à Logica dirigente, & proponente regulas.

Confirmatur. Relatio conformitatis actus cum objecto, directè cognito, non est extrinseca, sed intrinseca; quapropter veritas formalis directa, est intrinseca cognitioni, non extrinseca: ergo relatio conformitatis actus cum regulis logicalibus non est extrinseca, sed intrinseca actui, & sic veritas reflexa non est quid extrinsecum, sed intrinsecum actui vero. Probatum consequentia. Vtraque relatio conformitatis fundatur in tendentia actus ad suum objectum: sed tendentia actus ad suum objectum, est intrinseca actui; nam per suam entitatem tendit in objectum: ergo sicut conformitas directa est relatio intrinseca, ita & conformitas reflexa. Vtraque conformitas pendet ab aliquo extrinseco actui. Nam tendentia directa pendet à specie impressa, & expressa objecti realis, quæ distincta est ab actu intellectus. Conformitas

mitas reflexa pendet à Logica dirigente ostendente regulas, quibus actus conformetur. De forma intrinseca rationis resultante, agemus cum Thomistis infra, dum eorum fundamenta expendamus.

52. Respondebis 2. rationi nostræ probatiæ, quod veritas reflexa pertinet ad Metaphysicam, quæ perficit intellectum in ordine ad attingentiam omnis entis & omnis veri: quare non pertinet ad Logicam. Sed contra. Nam si Metaphysica ageret de omni vero, non darentur aliæ scientiæ distinctæ à Metaphysica, imò omnes superfluerēt: ergo Metaphysica non agit de omni vero. Patet consequentia, & antecedens probatur. Nam scientiæ juxta Ægidium laudatam dantur, ut adjuvēt intellectum ad attingentiam veri: sed si Metaphysica ageret de omni vero, illa sola adjuvaret intellectum ad attingentiam veri: ergo non esset necessaria alia scientia adjuvans.

Contra 1. Nam Metaphysica est scientia directa attingens directè ens ut sic, & verum sub ratione communi, non sub ratione particulari: ergo sicut necessaria est Philosophia adjuvans intellectum ad attingendum verum sub ratione particulari mobilis, &

Mathematica, sub ratione inefurabilis &c. Ita est necessaria scientia particularis ad attingendum verum reflexum, sub ratione reflexè scibilis, qualiter non attingitur à Metaphysica.

Contra 3. Nam licèt veritas reflexa sit directè cognoscibilis sub ratione entis realis, nam sic convenit cum omni ente reali directè cognoscibili; at non est attingibilis nisi cognitione reflexa, sub ratione veri reflexi: at Metaphysica non est scientia reflexa, sed directa; Logica autem est scientia reflexa: ergo veritas reflexa solum est objectum intellectus, ut adjuti per Logicam.

53. Probatum 3. conclusio ratione desumpta ex P. Augustino ex D. Thoma, & ex nostro Ægidio, & formatur sic: Illud est objectū formale Logicæ discretivæ veri à falso, quod formaliter attingit, dum verum discernit à falso: sed in ista discretione solum attingit formaliter veritatem reflexam: ergo objectum formale Logicæ est veritas reflexa. Major supponit Logicam esse discretivam veri à falso, & id docet P. Augustinus lib. 8. de Civitate Dei cap. 4. & constat ex sapè allegatis. Minor probatur. Logica non est discretiva veri

directi à falso directo, sed veri reflexi à falso reflexo: sed dū Logica discernit verū reflexū à falso reflexo, formaliter attingit veritatem reflexam, ut patet: ergo &c. Minor cum consequentia tenet, & major fusè probata est quæst. 2. à num. 13. ubi probationes videbis.

Confirmatur ex ibi dictis. Objectum formale Logicæ est quod Logica formaliter attingit, dum dirigit actus rationis, ne errent: sed Logica sic dirigens, attingit formaliter veritatem reflexam: ergo &c. Major supponit Logicam esse directivam rationis ad vitandum errorem: id docent D. Th. 1. Perh. lect. 1. & N. Egidius in Prologo ad lib. Posteriorum. Minor probatur. Logica non dirigit ad vitandum errorem directum, sed errorem reflexum: sed dirigens ad vitandum errorem reflexum, qui consistit in difformitate actus cum regulis logicalibus, attingit formaliter conformitatem cum regulis, & sic veritatem reflexam: ergo &c. Major probata est quæst. 2. num. 14.

54. Probatur 4. conclusio nostra à ratione contra utramque sententiam ex celebrioribus suprâ citatis. Logica demonstrat passiones de suo objecto, quando demon-

strat, quòd syllogismus demonstrativus generat scientiam, topicus opinionem, sophisticus errorem: sed istæ non sunt passiones entis rationis; nec item sunt passiones actuum intellectus quatenus extrinsecè directi; bene verò sunt passiones veritatis reflexæ: ergo objectum formale Logicæ est veritas reflexa; non autem ens rationis; nec actus intellectus, ut extrinsecè directi. Minor continet tres partes sigillatim probandas.

Quoad primam sic: Generare scientiam, opinionem, aut errorem, est quid reale: sed ens rationis nequit habere passiones reales; cum nulla passio possit excedere essentiam, cujus est passio: ergo generare talia, non est passio entis rationis. Idem dic, quando Logica demonstrat diffinitionem esse clariorem diffinito; nam hæc major claritas est quid reale, quod ob eandem rationem nequit esse passio entis rationis.

Respondent Thomistæ quòd ens rationis non est forma causativa scientiæ ob rationem datam; est tamen complementum actuum intellectus, ut causent scientiam; nam sine forma rationis artificiosa, demonstratio non causaret scientiam. At hæc solutio dat argumento, quod inten-

tendit. Nam argumentum intendit tales demonstrationes logicales demonstrare passiones de objecto formali Logicæ, non de complemento: at solutio concedit ens rationis non habere tales passiones, sed esse complementum ejus, quod tales passiones habet: ergo solutio incidit in id quod argumentum intendit, scilicet ens rationis non esse subjectum talium passionum, nec Logicæ, sed complementum ejus.

Quoad secundam partem probatur minor. Actus intellectus, qui non est extrinsecè directus in formam demonstrationis v. g. non est causativus scientiæ: ergo nec actus extrinsecè solùm directus; & consequenter generare scientiam non est passio actuum intellectus, quatenus sunt extrinsecè directi. Antecedens patet, quia scientia est habitus per demonstrationem acquisitus: demonstratio est actus saltem extrinsecè directus à Logica; alias Logica non esset necessaria ad talem directionem; nec respiceret pro objecto actum, ut extrinsecè directum apud hos Authores. Consequentia probatur. Extrinseca directio nihil ponit intrinsecum in illis actibus: sed per vos ante directionem

non erant intrinsecè causativi scientiæ: ergo nec post directionem extrinsecam, quæ nil ponit intrinsecum. Patet hæc consequentia, quia vis causativa scientiæ est intrinseca actibus; quare mutantur intrinsecè, dum transeunt de non posse causare scientiam ad posse causare; sed si nihil intrinsecum ponitur per directionem extrinsecam, non mutantur intrinsecè: ergo sicut ante directionem erant intrinsecè impotentes, sic post directionem extrinsecam.

Quoad tertiam partem probatur minor. Veritas reflexa, quam dicimus esse objectum Logicæ, est quid reale, & quid intrinsecum actibus intellectus artificiosè dispositis in formam demonstrationis, diffinitionis, & modi sciendi: sed quatenus est quid reale, habet passiones reales; jam dictas; & quatenus est quid intrinsecum, mutat intrinsecè actus intellectus, ut non dispositi non causent scientiam, dispositi verò, & intrinsecè conformes, illam causent: ergo reverà Logica tales passiones demonstrans de suo objecto, demonstrat de veritate reflexa à nobis explicata. Major quoad primam partem probata est num. 40. quoad secundam probata est num. 56.

## §. IX.

*Solvuntur argumenta contra  
nostram sententiam.*

35. **A**rgues 1. contra nostram sententiam ex D. Thoma Opusc. 56. ubi ait: *Logicam considerare ens rationis per se, ens autem reale per accidens.* Ex quo sic: Quod non consideratur per se à Logica, non est ejus formale objectum: sed veritas reflexa per nos est ens reale, de quo dicit D. Thomas non considerari per se à Logica: ergo veritas reflexa non est objectum formale Logicae.

Confirmatur ex eodem S. Doctore 1. Post. lect. 2. ubi ait: (Logica versatur circa actus rationis, sicut ars domifactoria versatur circa actiones manuum): sed nemo dixit objectum formale domifactoriae esse actiones manuum ut conformes regulis artis: ergo nec dicere possumus objectum formale Logicae esse actus intellectus ut conformes regulis logicalibus.

Confirmatur 2. ex nostro Egidio dub. 1. Prologi ad lib. Elench. ubi ait: (Quod etsi aliquomodo Logica sit de actibus rationis, propriè tamen

*De Præmialibus*

non est de actibus, sed de intentionibus, & conceptibus, qui formantur per hujusmodi actus. Sed veritas reflexa est actus intellectus conformis intentionibus: ergo hæc non est objectum formale Logicae, imò nec propriè attractum à Logica.

Confirmatur 3. Objectum formale Logicae est forma artificiosa modi sciendi: sed talis forma non est veritas reflexa: ergo. Probatur minor. Forma artificiosa non sunt actiones, quibus fit: sed artificium logicum fit medijs actibus intellectus: ergo veritas consistens in hujusmodi actibus, non est forma artificiosa.

36. Respondeo ad argumentum D. Thomam in illa authoritate loqui de ente reali extra animam existente: hoc per accidens attingitur à Logica, quæ non est scientia naturalis, sed rationalis. Non autem loquitur S. Doctor de ente reali intentionali, quod est intra animam: & talis est veritas reflexa. Solutio sumitur ex nostro Egidio q. 2. in Porph. in 3. argumento, ubi sibi objicit sic: (Universe est ens: non rationis: ergo reale. Sed non in anima tantum, cum sit intellectus objectum; tale autem non est in anima: ergo &c. Respondet sic. Ad tertium

*Quest. VIII.*

tium dico primò esse quidem ens reale in anima, & extra animam: secundum esse quidem materiale extra animam, secundum esse formale in anima.) En universale, de quo Logica per se agit, sine dubio est ens reale in anima secundum esse formale, quia est conceptus ipse conformis secundæ intentioni universalitatis: ergo de ente reali intentionali, existente intra animam, Logica agit per se.

Vbi nota quòd aliud est *universale*, aliud *universalitas*. Universalitas est secunda intentio; universale autem est conceptus objectivus, vel formalis, ut conformis secundæ intentioni universalitatis. De universali dicit Egidius esse ens reale in anima, non de universalitate: quare loquitur de conceptu intellectus conformi secundæ intentioni: & de tali sine dubio agit Logica per se etiam apud D. Thomam, ut constat ex dictis de mente illius num. 44. & seqq.

Pro reliquis confirmationibus nota, quòd si teneas veritatem reflexam non esse conceptus formales, sed objectivos ut conformes regulis logicalibus; tunc sine ulla interpretatione concede auctoritates, quæ non sunt contra te: quia conceptus formales sunt actus intellectus, & res

fabricata per tales actus, est modus sciendi objectivus, sicut domus fabricatur per manus artificis. Quare sicut manus, & actiones manuum non sunt objectum artis; sic nec intellectus, nec conceptus formales, qui sunt actiones, sunt objectum Logicae, sed effectus resultans, scilicet conceptus objectivi conformes regulis.

Si tamen vellis ponere veritatem reflexam etiam in conceptibus formalibus; isti sunt actiones intellectus. Ceterum in eis considera duo munera; nam tales actiones efficiunt se ipsas conformes regulis; quare habent munus activum, & munus passivum. Modo quo dum voluntas sibi imperat actum imperij: ille actus est imperans, & imperatus, quæ sunt duo munera. Sic actus intellectus se dirigit, & se conformat regulis: quare est simul conformans, & conformatus; agens, & patiens; actio & materia directa. Sub munere actionis non est objectum Logicae, sed nec veritas reflexa: sed quatenus est passivè dispositus, & conformis regulis, sic est veritas reflexa, & objectum Logicae, sed sic non est actio sub munere actionis.

Hinc constat ad 1. confirmationem, nam dicendum S. Doct. loqui de actibus rationis



nis sub munere activo, non sub munere passivo: quia sic sunt materia in quam introducit forma artificiosa modi sciendi, quod non habent actiones manuum respectu formae artis. Eodem modo solvitur auctoritas secunda confirmationis, in qua videtur Doctor noster insinuare quod veritas reflexa, quae est obiectum Logicae, non est tam in actibus rationis, quam in conceptibus obiectivis, conformibus intentionibus Logicae. At sustineri potest etiam alter modus dicendi de actibus ipsis, quos Aegidius excludit, ut actiones sunt, non autem sub munere passivo, quo directi, & conformes sunt regulis logicalibus.

Ad 3. confirmationem nego min. Ad probationem ejus, si teneas veritatem reflexam in solis conceptibus obiectivis, concessis praemissis nega consequentiam quia forma artificiosa modi sciendi non sunt actus intellectus, sed conceptus obiectivi formati, & producti per huiusmodi actus, ut conformes regulis logicalibus. Si tamen teneas veritatem in actibus consistere, distingue minorē. Artificium logicum fit medijs actibus intellectus, medijs actibus sub munere activo, conced. min. sub munere passivo, nego min. & dist. consequens, si consiste-

ret in illis actibus sub munere activo conced. consequentiā, sub munere passivo, neg. consequens.

57. Argues 1. Logica demonstrans quod species est praedicabilis, quia est universalis, verē demonstrat passionem de suo obiecto: sed hic nihil demonstrat de veritate reflexa: ergo haec non est obiectum Logicae. Probatur minor. Praedicabilitas, quae est passio universalis, non est passio veritatis reflexae: ergo &c. Probatur antecedens. Praedicabilitas est quid rationis: sed nihil rationis est passio entis realis: ergo non est passio veritatis reflexae.

Probatur 2. idem antecedens. Praedicabilitas est passio universalitatis: sed universalitas non est veritas reflexa, sed est secunda intentio: ergo &c. 3. Si praedicabilitas foret passio veritatis reflexae, sequeretur ad omnem veritatem reflexam, sicut quia risibilitas est passio hominis, sequitur ad quemcumque hominem sed non quaelibet veritas reflexa est praedicabilis: ergo. Probatur minor. Quia in tertia operatione intellectus datur veritas reflexa: at haec non est praedicabilis de pluribus, cum ibi sit contracta ad syllogismum singularem: ergo.

Confirmatur 1. Veritas ista reflexa est actus intellectus ut conformis regulis logicalibus.

gicalibus: sed haec nihil aliud est, quam sententia PP. Societatis: ergo impugnanda est omnibus argumentis Thomisticis; & inutiliter tolli multiplicavimus. Probatur minor. Sententia Societatis ponit pro obiecto Logicae actus, & conceptus, ut directos in formam modi sciendi: sed conceptus sic directi, sunt conformes regulis logicalibus, & sic sunt veritas reflexa: ergo nostra sententia nil aliud dicit, quam sententia Societatis.

Confirmatur 2. Sententia Thomistica ponit etiam conceptus obiectivos intrinsecē conformes secundis intentionibus: hoc & nil aliud ponit sententia nostra: ergo nostra sententia in nullo differt à Thomistica, quare impetitur eisdem argumentis. Major patet, quia Thomistae dant conceptus formales, conceptus obiectivos, & secundas intentiones; item non ponunt conceptus difformes intentionibus, sed conformes. Sed hoc totum concedit nostra sententia, & nil aliud ponit: ergo &c.

Confirmatur 3. Actus intellectus conformis secundis intentionibus; vel dicit in recto actum, secundam intentionem, & conformitatem: vel unum in recto, & reliqua in

obliquo: Si primum? Ergo nostra sententia est implicatoria. Si secundum? Ergo nostra sententia coincidit cum una ex principalibus laudatis. Quare vel nihil speciale dicimus, vel illud erit implicatorium. Prima sequela patet. Quia obiectum formale debet esse unum; sed ex actu intellectus reali, & ex secunda intentione, & ex relatione mediante, nequit fieri unum, nisi aggregatione per accidens: ergo si omnia haec intrant in recto, nostra sententia est implicatoria. Secunda sequela patet, quia si nostra sententia ponit in recto solum actum intellectus, coincidit cum Iesuitis; si ponit in recto solum secundam intentionem, coincidit cum Thomisticis: ergo si in veritate reflexa unum intrat in recto, alia autem in obliquo, nostra sententia coincidit cum una ex principalibus.

58. Pro solutione argumenti nota, quod obiectum formale Logicae est illud quod per se primo intendit Logica, & in quo ultimo sistit. Hoc est veritas reflexa non quaecumque, sed illa quae reperitur in syllogismo, ut docet Doct. N. q. 1. in artem veterem. Ratio id suadet, 1. quia ut ibi docet Aegidius, nihil tractat Logica, quod



quod in syllogismo non continetur. 2. quia cum tertia operatio intellectus nostri sit perfectior reliquis, & ad eam ordinentur prima & 2. Sic veritas reflexa primæ & secundæ operationis intellectus ordinatur ad veritatem reflexam discursus, quæ datur in syllogismo. Quare objectum formale principale, vel attributionis quod per se intendit Logica, & in quo sistit, est veritas reflexa syllogismi.

Ceterum cum detur veritas reflexa divisionis, propositionis, & definitionis in ipsa apprehensione etiam terminorum; de his agit Logica etiam formaliter, vel quatenus omnia ordinantur ad syllogismum; vel si mavis (ne quæstionem novam instituamus) in quantum omnia conveniunt in ratione communi veritatis reflexæ. Id tamen observa, quod definitio v.g. non habet easdem passiones, ac propositio, quia nec habent eandem essentiam; at ut conveniunt in ratione communi veritatis reflexæ, habent easdem ejusdem passiones. De secundis intentionibus secundum se, vel de actibus intellectus secundum se, agit Logica, sed non per se formaliter, sed per se materialiter, quia actus, & secundæ intentiones sunt materia,

in quam Logica inducit suam formam artificiosam scilicet conformitatem, vel relationem conformitatis. Id amplius explicabimus solvendo fundamenta Thomistica.

59. His notatis, ad argumentum respondeo dist. maj. Logica demonstrat quod species est prædicabilis, quia universalis, & demonstrat passiones de suo objecto; de suo objecto principali, & attributionis, nego, nam illud non est species, sed syllogismus; de suo objecto inter minus principales minimo, & simpliciori, subdit, & passio demonstrata, est passio rationis communis, in qua species convenit cum alijs, nego maj. est passio rationis particularis speciei, quia differt ab alijs logicalibus, concedo maj. & dist. min. Nihil hic demonstrat de veritate reflexa communi, concedo min. de veritate reflexa propria speciei, nego min. & consequentiam. Ad probationem minoris dist. antecedens eadem distinctione, non est passio veritatis reflexæ communis, concedo antecedens: veritatis reflexæ propriæ speciei, & universalis, nego antecedens, quam non convincunt probationes, ut patebit.

Prædicabilitas demonstrata de specie, non est passio

si veritatis reflexæ in communi; at est passio veritatis reflexæ, repertæ in specie. Nam homo duo dicit ut species, scilicet conceptum intellectus, & secundam intentionem speciei. Conceptus intellectus est verus veritate directa, quia concipit hominem ut est in se. Est etiam verus veritate reflexa, quia conformatur cum secunda intentione speciei reperta in conceptu homo. Si enim conceptus ille apprehenderet hominem ut genus, tunc foret reflexè falsus, quia non conformaretur cum secunda intentione reperta in conceptu homo.

De hac veritate reflexa particulari demonstratur à Logica quod sit prædicabilis de pluribus, quia est universalis: & prædicabilitas est passio illius veritatis reflexæ. Quod probo. Veritas reflexa speciei reperta in conceptu homo, est conceptus naturæ humanæ ut conformis cum secunda intentione speciei: sed conceptus naturæ humanæ sic conformis, est universalis, & prædicabilis de pluribus: ergo veritas reflexa reperta in conceptu homo habet pro passione prædicabilitatem de pluribus.

60. Sed nota ex dictis de mente Ægidij num. 56.

quod aliud est *universale*, aliud *universalitas*: quare etiam aliud est *prædicabile*, aliud *prædicabilitas*. Prædicabilitas est ens rationis, sicut universalitas. Ceterum sicut *universale* est quid reale, quia est conceptus realis ut conformis secundæ intentioni universalitatis; ita prædicabile est conceptus naturæ prædicabilis, ut conformis secundæ intentioni prædicabilitatis. Logica non demonstrat formaliter quod *universalitas est prædicabilitas*; & si hoc demonstrat est tantum materialiter, quia non est de objecto formali, sed de secunda intentione sola, quæ est objectum materiale, ut dictum est. Demonstrat ergo formaliter Logica quod *universale est prædicabile*. Quare non demonstrat *prædicabilitatem in abstracto* quæ est secunda intentio; sed *prædicabilitatem in concreto*, quæ est veritas realis reflexa, vel passio veritatis reflexæ repertæ in universalis, & specie.

Hinc cessat probationes antecedentis. Ad primam dist. maj. Prædicabilitas est quid rationis, prædicabilitas in concreto, neg. maj. in abstracto, concedo maj. sed hæc non demonstratur à Logica formaliter, sed materialiter, ut dictum est. Et concessa min.

dist. consequens: ergo prædicabilitas non est passio veritatis reflexæ, prædicabilitas in abstracto, concedo consequentiam prædicabilitas in concreto, nego consequentiam.

Ad 2. probationem antecedentis concedo præmissas, concedo quòd prædicabilitas in abstracto est passio universalitatis in abstracto, & utraque sic est secunda intentio. Sed nego consequentiam, quia dum Logica demonstrat quòd species est prædicabilis, quia universalis, non probat prædicabilitatem in abstracto, sed in concreto; & hoc de specie, & universali in concreto, qualiter sunt veritas reflexa.

Ad 3. probationem antecedentis, dist. maj. Si prædicabilitas foret passio veritatis reflexæ in cõmuni, concedo maj. si non sit, neg. maj. & concessa mi. neg. consequentiã, sub eadem distinctione. Alia est essentia speciei & universalis, alia syllogismi. Nam syllogismus est tertia operatio intellectus: species, & universalis sunt prima operatio. Rursus syllogismus est artefactum perfectum; species, & universale sunt quid simplex, & pars ordinata ad artefactum perfectum sicut termini ad propositionem. Quare habent diversas proprietates, licet conveniant in ratione com-

muni veritatis reflexæ. Prædicabilitas non est passio veritatis reflexæ in communi, sicut risibilitas est passio hominis in communi. Sed est passio veritatis reflexæ specialis repertæ in conceptu speciei: quare non debet convenire veritati reflexæ syllogistica, nec alijs artefactis logicalibus distinctis.

61. Tres confirmationes hujus argumenti positæ num. 57. suadent quæ diximus num. 27. scilicet, quòd in re nostra sententia docetur à multis, quare non est destituta extrinseca DD. probabilitate. Imò crediderim, quòd hac via melius conciliantur sententiæ principales laudatæ, quàm sententia, & modo dicendi nostri Villanovani. At ne folia inutiliter multiplicata videantur, dicimus 1. ea multiplicata ut mentem, & expressa verba P. Augustini expendemus. Secundò, quia sententia nostra sufficienti discrimine distat ab alijs, ut hic liquidò apparebit. Pro quo.

Ad 1. confirmationem, nego min. ad probationem dist. maj. Sententia Societatis ponit conceptus directos in formam modi sciendi; directos extrinsecè, concedo maj. directos intrinsecè, nego maj. & dist. min. conceptus sic directi

recti sunt conformes regulis logicalibus, sunt conformes, vi solius directionis extrinsecæ, nego min. vi directionis intrinsecæ, quam non admittunt DD. Societatis, & defendit nostra sententia, concedo min. & nego consequentiam.

Tota lis inter Thomistas, & Jesuitas est, quòd Thomistæ volunt conceptus objectivos non solum debere dirigi extrinsecè, sed intrinsecè, quia per solam directionem extrinsecam non fiunt formaliter artefactum logicale, sed fundamentaliter. E contra Jesuitæ dicunt, quòd sine aliquo intrinseco addito conceptibus, per solam directionem intrinsecam, sunt artefactum logicale & objectum formale Logicæ. Sed nostra sententia non ponit solam directionem extrinsecam, sed aliquid intrinsecum additum conceptibus extrinsecè directis, quo intrinsece diriguntur: & hoc intrinsecum est relatio illa conformitatis cõceptuū cum secundis intentionibus, quæ est quid intrinsecum, ut probatum est num. 51. Ergo nostra sententia distat à sententia Societatis, & accedit ad Thomisticam, defendendo esse necessarium quid intrinsecum additum conceptibus, quo intrinsecè dirigantur,

quòd probatum est directè, & efficaciter num. 54.

62. Ad 2. confirmationem pro Thomistis respondemus dist. maj. sententia Thomistica ponit conceptus objectivos, ut conformes secundis intentionibus; & ponit objectum formale Logicæ in hac conformitate, nego maj. & ponit objectum formale Logicæ in secunda intentione modi sciendi, quam dicit resultare ex ista conformitate, concedo maj. & nego min. cum consequentia.

Convenimus cum Thomistis in eo quòd non sufficiat directio extrinseca conceptuum, ut detur artefactum logicale formaliter. Quare apud Thomisticam & nostram sententiam assignanda est forma intrinseca, qua conceptus dirigantur intrinsecè, & constituentur in formam modi sciendi formaliter. Convenimus item in eo quòd hæc forma intrinseca est objectum formale Logicæ. Sed distamus, quia Thomistæ docent hanc formam intrinsecam esse secundam intentionem modi sciendi, quæ est ens ratio- nis, & quid fictum in eorum sententia. Nos dicimus formam istam esse relationem conformitatis conceptuum cum secundis intentionibus modi sciendi, quæ non est

quid rationis, sed quid reale; ut probatum est num. 40. & 41.

Rem explico in hoc syllogismo *homo est animal: Petrus est homo: ergo Petrus est animal.* Omnes ponimus in hoc syllogismo objectum Logicae. Petis à Jesuitis, quid sit hic formale objectum Logicae? Respondet, conceptus illos, ut extrinsecè directos. Petre à Thomistis quid sit? Respondet esse secundam intentionem syllogismi, i & modi sciendi, resultantem ex conceptibus illis extrinsecè directis. Petis de nostra sententia? Respondemus esse conformitatem, vel relationem realem conformitatis tertiae operationis intellectus cum secunda intentione syllogismi, & modi sciendi. Vbi observa, quòd conceptus illi singulares, v. g. *homo, Petrus, animal*, sunt conformes suis particularibus intètionibus subiecti, praedicti, medij, generis, speciei, & individui. Item quaelibet praemissa est conformis secundae intentioni propositionis: ac tandem totus syllogismus, qui est tertia operatio intellectus, est conformis secundae intentioni syllogismi, & modi sciendi perfecti. Quare juxta numerum conformitatum, datur numerus veritatum reflexa-

rum. Et sic in syllogismo dantur omnes veritates reflexae particulares. Quare merito N. Egidius dicit syllogismum esse objectum Logicae loco laudato.

63. Hinc colliges, quòd objectum Logicae Thomisticum, est quid secutum, & posterius ad objectum Logicae Jesuiticum, quia est secunda intentio, quae resultat ex conceptibus extrinsecè directis. Objectum nostrae sententiae est quid posterius, & secutum ad objectum Logicae Thomisticum. Quia posita directione extrinseca, resultat secunda intentio modi sciendi; & ea jam resultat, actus intellectus cum ea conformantur: & in hac conformitate ponimus objectum formale Logicae.

Et praeter dicta pro nostra sententia in actibus, inde solum videretur praeferranda, quia Thomistae ponentes pro forma intrinseca directiva conceptuum secundam intentionem fictam, ponunt fictionem, & falsitatem pro directione actus veri; quod licet ab eis bene defendantur, sanè semper apparet inintelligibile. *Qua enim conventio lucis ad tenebras?* Aut quomodo intellectus errore juvatur, ne erret; & fictione ne fingat, & falso

falso ne fallatur? At dato secundas intentiones esse quid fictam, cujus contrarium defendemus libro sequenti: eotamen dato pro nunc, nostra sententia non ponit pro forma intrinsecè directiva, quid fictum, sed quid verum: nam licet secunda intentio sit ficta, at actus intellectus conformis illi secundae intentioni fictae, est verus. Sicut falsitas non potest esse veritas, nec falsum verum: ceterum cognitio falsitatis, & conformis falsitati cognitae, est verissima.

Audi P. Augustinum loco laudato de Doctrina Christiana, qui nos impulit in hanc sententiam, ita cap. 35. dicentem. (Hoc verum est, etiam si ea, quae diffiniuntur, aut distribuuntur, vera non sint: nam, & ipsum falsum diffinitur, cum dicimus, falsum esse significationem rei, non ita se habentis ut significatur, sive aliquo alio modo. Quae diffinitio vera est, quamvis falsum verum esse non possit.) En diffinitio conformis falso non est falsa, sed vera: ergo actus conformis secundae intentioni fictae non est fictus, sed verus. Ergo forma intrinseca, quam nostra sententia ponit, ut conceptus nostri intrinsecè dirigantur, non est ficta sed vera: ob idque sententia nostra, &

distinguitur à Thomistica, & ei apparet praeferranda.

Ad tertiam confirmationem positam num. 57. Respondeo quòd veritas reflexa non dicit aequè in recto conceptum, secundam intentionem, & conformitatem, ob rationem ibi datam. Sed dicit in recto actum intellectus, & in obliquo relationem conformitatis ad secundas intentiones. Sicut veritas formalis directa, non dicit in recto cognitionem, objectum, & relationem conformitatis, sed cognitionem in recto, & relationem in obliquo. Et ut fugias quaestionem de constitutivo veritatis reflexae, moneo arguentes eligant quam voluerit sententiam de constitutivo veritatis formalis directae, & eam applica sine controversia veritati formali reflexae. Quare hoc certum suppone quòd veritas formalis non est solus actus intellectus, sed quid additum. sive hoc sit absolutum, sive sit relatio transcendentalis, vel relatio secundum dici; vel sola relatio rationis: at semper veritas formalis directa est quid reale intrinsecum, & additum actui intellectus. Ergo & veritas formalis reflexa eodem modo constituta, erit quid reale intrinsecum, additum actibus, & conceptibus intellectus. Et

Et dum in confirmatio-  
ne tertia arguitur contra hoc,  
inferendo quòd incidimus in  
sententiam Jesuiticam; nega  
sequelam propter manifestum  
discrimē datum num. 61. Ob-  
serva ex dictis, quòd aliud  
est *verum*, aliud *veritas*. Nam  
illud est concretum dicēs sub-  
jectum & veritatem tamquā  
formam; veritas autem ab-  
stractum est. Actus intellectus  
ut conformis, est concretum,  
& veritas in concreto, & sic  
in recto dicit actum, & con-  
formitatem in obliquo. Veri-  
tas reflexa in abstracto, est  
conformitas actus cum secū-  
dis intentionibus. Quare in  
recto dicit conformitatem, &  
in obliquo actum, & secundā  
intentionem. Quo fit ut for-  
ma intrinsecè dirigens conce-  
ptus sit hæc veritas in abstra-  
cto, non veritas in concreto.  
Quia actus non dirigit sei-  
psum formaliter, sed efficien-  
ter, nisi recurras ad illa mune-  
ra distincta, explicata num.  
56.

Sed ne in materia nodosif-  
sima, & spinosissima, ut di-  
cebat P. Augustinus laudatus,  
novos nodos, & spinas super-  
addamus. Dic quòd forma  
intrinseca directiva conce-  
ptuum, quæ est objectum for-  
male quo Logica, non est con-  
ceptus intellectus, aut veritas  
in concreto; sed in abstracto,

scilicet conformitas conce-  
ptuum cum secundis intētio-  
nibus. Hæc conformitas non  
est relatio prædicamentalis,  
quia non est ad terminum rea-  
liter existentem, quæ perit re-  
latio prædicamentalis; & se-  
cundæ intentiones non exi-  
stunt realiter. Est autem rela-  
tio realis transcendētalī con-  
ceptus ad secundam intētio-  
nem. Talem dicit relationem  
diffinitio falsi, data à P. Au-  
gustino. Nam illa diffinitio est  
actus verus, & realiter sine fi-  
ctione conformis objecto: er-  
go conformitas illa est rela-  
tio realis, non rationis, aut  
ficta. Ceterum quia falsitas est  
terminus, qui non existit rea-  
liter, cum non sit ens, sed ca-  
rentia entis, scilicet carentia  
veritatis: ideo relatio illa est  
transcendētalī, non prædica-  
mentalis. Idem dic de nostra  
veritate reflexa.

65. Argues 3. contra  
nostram sentētiā: Objectum  
formale scientiarum est veri-  
tas objectiva, non veritas for-  
malis consistens in conformi-  
tate intellectus cum rebns sci-  
tis: ergo objectum formale  
Logicae est veritas objectiva  
secundæ intentionis, non ve-  
rò veritas formalis consistens  
in conformitate intellectus  
cum secundis intentionibus.  
Patet consequentia: quia ratio  
id probans de alijs scientijs,  
con-

convincit etiam de Logica.  
Probatur antecedens. Objectū  
formale Philosophiæ non est  
conformitas intellectus cum  
ente mobili, sed est veritas  
objectiva, & transcendētalī re-  
perta in ente mobili. Item  
objectum Arithmetice non  
est conformitas intellectus  
cum numero, sed veritas ob-  
jectiva, & transcendētalī nu-  
meri. Idem de omnibus scien-  
tijs: ergo objectum formale  
scientiarum &c.

Confirmatur 1. Quia Phi-  
losophia demonstrat passio-  
nes de ente mobili, non au-  
tem de conformitate intel-  
lectus cum ente mobili, ideo  
inferimus, quòd objectum  
Philosophiæ est ens mobile,  
non autem conformitas intel-  
lectus cum ente mobili: sed  
Logica nullas passiones de-  
monstrat de conformitate in-  
tellectus cum secundis inten-  
tionibus; multas autem de-  
monstrat de secundis inten-  
tionibus: ergo objectum Lo-  
gicae sunt secundæ intētio-  
nes, non autem conformitas  
cum secundis intentionibus.  
Probatur minor. De diffini-  
tione v.g. demonstrat quòd sit  
clarius diffinito: at hoc non  
est passio conformitatis cum  
secundis intentionibus; quia  
hæc conformitas non est cla-  
rior diffinito; imò est ita obs-  
cura, ut vocetur nodosissima

à P. Augustino: ergo &c.

Confirmatur 2. Nequit  
Logica considerare conformi-  
tatem conceptuum cum se-  
cundis intētionibus, nisi prius  
consideret, & sciat, quæ sit  
natura secundarum intētio-  
num, & quid petat, ut ei in-  
tellectus conformetur: ergo  
objectum primarium Logicae  
scientiæ est natura secunda-  
rum intētionum; conformi-  
tas autem intellectus cum eis,  
erit objectum secundarium,  
& quid subsecutum ad obje-  
ctum primarium Logicae. Pro-  
batur consequentia à parita-  
te. Quia intellectus nequit  
conformari cum ente mobi-  
li, nisi sciat prius naturam,  
& proprietates entis mobi-  
lis, & quomodo debeat at-  
tingi; ideo Philosophia prius  
agit de natura entis mobi-  
lis, & est primarium ejus ob-  
jectum; secundariò autē agit  
de conformitate intellectus  
cum ente mobili: ergo &c.

66. Hoc argumentū  
facile solvitur ex dictis. Sum-  
ma solutionis est disparitas  
scientiæ logicalis ad alias: nam  
aliæ sunt scientiæ directæ,  
& cognitio directè tendens  
in objectum. Logica verò est  
scientia reflexa apud omnes;  
nam apud Jesuitas est cog-  
nitio actuum, & conceptuum  
directorum: apud Thomistas  
est cognitio entis rationis  
resul-

resultantis ex actibus, & conceptibus extrinsecè directis. Omnes sententiæ ponunt in objecto quod formali Logica actus & conceptus conformes regulis logicalibus; discrimen unicè est suprà datum an scilicet sit aliquid intrinsecum hæc conformitas? Et an hoc intrinsecū sit reale vel rationis? Ergo sub his vel sub alijs terminis, sicut omnes ponimus Logicam scientiam reflexam, omnes tenemur solvere argumentum hoc.

Respondeo pro nobis concessio antecedenti, negando consequentiam ob disparitatem datam. Philosophia, Arithmetica, & aliæ scientiæ sunt scientiæ directæ, quare curant primariò de veritate objectiva. Logica verò est scientia reflexa; unde primariò curare debet de veritate reflexa, & formali. Si quæ paritas sumi potest ad Logicam, ea est in Rhetorica, quæ non tractat primariò de vocibus, nec de relatione constituyente voces in ratione signi: sed primariò tractat de conformitate orationis cum regulis benedicendi. Quod Rhetorica curat in vocibus, Logica considerat in conceptibus pro vera disputatione; non ergo agit primariò de conceptibus, nec de secundis intentionibus, sed de conformitate conceptuum

cum secundis intentionibus. Adde aliam rationem disparitatis, aut ejusdem confirmationem. Aliæ scientiæ intendunt ornare intellectu notitijs objectorum; Logica verò non hoc, sed ipsum dirigere, ne erret disponendo actus suos. Est enim Logica directiva rationis, ne erret, ut diximus ex D. Thoma, & Egidio. Ergo licet aliæ scientiæ primariò tractent de veritate objectiva; Logica verò de veritate formali. Sicut licet aliæ scientiæ reales tractent de veritate reali objectiva, extra animam existente; Philosophia moralis tractat de objecto existente intra animam, scilicet de conformitate actuum voluntatis cum regulis morum; hoc idè quia est directiva actuum voluntatis; ergo cum Logica sit directiva actuum rationis, debet primariò respicere veritatem formalem, non autem objectivam, & transcendentalem.

Ad primam confirmationem nego min. supra ostendimus demonstrationes logicalales esse de veritate reflexa, non autem de secundis intentionibus. Vide dicta num. 54. & 59. Ad probationem minoris, dic quod claritas definitionis est passio veritatis reflexæ in concreto, non in abstracto; hoc est dicere, quod con-

conceptus ut conformes secundis intentionibus generis, differentiæ, & definitionis, sunt clariores diffinito, & hoc est verum. Non est passio claritas relatè ad veritatè reflexam in abstracto; quia hæc est conformitas conceptuum cum secundis intentionibus, & ista non petit claritatem. De hac in abstracto verè dicit S. P. esse nodosissimam, sed inde nil contra nos.

Ad 2. confirmationem, dist. antecedens, nisi prius consideret, prius in intentione, nego antecedens; prius in executione, concedo antecedens, & nego consequentiam. Ad probationem consequentiæ nego causalem, quæ non est ut ibi assignatur, sed quæ suprà data est, scilicet Philosophiam esse scientiam directam. Igitur fatemur, quod prius est scire naturam secundarum intentionum, quàm intellectu actualiter conformari secundis intentionibus; at ly prius est prius in executione, non autem in intentione. Sic dicunt ipsi Thomistæ contra DD. Societatis, quod licet prius sit conceptus esse extrinsecè directos, quàm resultare secundam intentionem modi sciendi, at ly prius est prius in executione, non prius in intentione. Hoc idè, quia finis, qui est ultimus in exe-

cutione, est primus in intentione. Iam verò conceptus dirigitur extrinsecè, non propter se, sed propter formam rationis resultantem. Ita Thomistæ. Atqui Logica non curat de secundis intentionibus propter se, sed ut eis cognitis conformetur, & sit intellectus reflexè verus. Ergo objectum primarium formale Logicæ non est secunda intentio, sed veritas reflexa.

67. Quartò arguitur: Objectum formale Logicæ est forma artificiosa, quam Logica introducit in conceptibus intellectus sed hæc forma artificiosa non est veritas reflexa: ergo veritas reflexa non est objectum formale Logicæ. Major patet in qualibet arte. Minor probatur: Primo quia forma artificiosa debet esse distincta à materia in quam introducit: sed veritas reflexa non est distincta à conceptibus, in quos inducitur forma logicalis: ergo.

Secundo probatur minor. Forma artificiosa debet convenire per industriam, non per naturam: sed veritas reflexa convenit per naturam conceptibus, & actibus intellectus: ergo veritas reflexa non est forma artificiosa. Probatur minor. Per hoc præcisè, quod conceptus rectè representent objectum; sunt conformes

objecto & conformes etiam secundis intentionibus : sed representare objectum rectè, convenit per naturam conceptibus & actibus intellectus: ergo &c.

Tertio : Forma artificiosa hujus propositionis *homo est animal*: consistit in eo quòd unum prædicetur de alio; vel in eo quòd constet subjecto, copula, & prædicato : sed conceptus *homo*, & *animal* ut conformes secundis intentionibus, non sunt subjectum, aut prædicatum : ergo conceptus illi ut conformes, non sunt forma artificiosa. Probatur minor. Subjectum est id, de quo aliquid dicitur ; prædicatum est illud quod dicitur de subjecto; sed unus conceptus, etiam ut conformis, non dicitur de alio conceptu ut cõformi; alias propositio foret falsa : ergo &c.

Quarto : Forma artificiosa syllogismi est relatio subjecti ad prædicatum, extremitatum ad medium, præmissarum ad conclusionem: sed hæc relatio non est veritas reflexa: ergo idem. Probatur minor. Hæc relatio non est quid reale : sed veritas reflexa est per nos quid reale: ergo. Probatur major : In hoc syllogismo, *Homo est animal* : *Petrus est homo* : ergo *Petrus est animal*. *Homo*, *Petrus*, & *animal*

identificantur : sed inter extrema identificata nequit esse relatio realis, nec quid reale: ergo.

Quinto : Forma artificiosa est illa, quam debemus attendere, dum operamur artificiosè : sed nemo debet attendere ad conformitatè suorum conceptuum cum secundis intentionibus : ergo veritas reflexa hujus conformitatis, non est forma artificiosa. Probatur minor. Scriptor non debet attendere ad conformitatem motus manus, vel calami, dum scribit, sed ad formam objectivam litterarum; imò si attenderet ad motum calami, forsam distraheretur: ergo disputans non debet attendere &c.

Sexto : Per hoc præcisè quòd quis attendat ad secundas intentiones modi sciendi, resultat conformitas conceptuum cum secundis intentionibus : sed forma artificiosa est illa ad quam præcisè debemus attendere : ergo hæc forma est secunda intentio, non verò conformitas illa, vel veritas reflexa.

68. Materia hujus argumenti est doctrina Thomistarum, impugnatiuum DD. Societatis circa conceptus directos. Ante cujus solutionem observa, quòd Thomistæ nobiscum quæstione 2. totis la-

certis pugnant pro Logica simpliciter scientia, quam dicunt improprie solum, & similitudinariè artem. Hic tamè dū disputat de objecto, volunt Logicam esse artem in omnibus; imò non adducunt pro exemplo artes improprias, sed proprias, ut sunt domifactoria, scriptoria, & aliæ fabriles, quæ pro objecto habent formam artificiosam inductam in materiam artis. Quidquid sit.

Ad argumentum respondeo dist. maj. objectum formale Logicæ est forma artificiosa quam Logica introducit in cõceptus intellectus; est quæcumque forma, nego maj. est forma ultimò introducta, & in qua ultimò sistit artefactum logicale, concedo maj. Nam Logica etiam introducit secundas intentiones propositionis, præmissæ, & syllogismi : sed non sistit hìc, sed transit ad conformandum conceptus intellectus cum his secundis intentionibus, & hìc sistit ut dictum est num. 62. & 63. Hæc forma artificiosa consistens in hac conformitate, est objectum formale Logicæ: & hæc est veritas reflexa. Vnde nego minorem. Ad primam probationem minoris concedo, quòd forma artificiosa debet esse distincta à materia; nego autem quòd veritas re-

flexa non sit distincta à conceptibus. Est enim veritas hæc relatio fundata supra conceptus, ut explicatum est num. 64. in fine.

Ad 2. probationem min. nego min. nego scilicet, quòd per naturam conveniat conceptibus conformari cum secundis intentionibus. Suprà enim toto §. 6. ostendimus sæpiùs conceptus esse conformes objecto representato, & non secundis intentionibus; v. g. dum dicimus *animal est homo*. Ergo in hac propositione *homo est animal*, conformitas cum secundis intentionibus non convenit per naturam, sed per industriam, & artem dirigentem.

Ad tertiã instã illam contra Thomistas, cujus est : sic. Sed in hac propositione *homo est animal*, secunda intentio animalis non prædicatur de secunda intentione hominis; aliàs foret propositio falsa: ergo forma artificiosa illius propositionis, non est secunda intentio. Respondetur secundo negando min. Ad ejus probationem disting. min. sed unus conceptus ut conformis non prædicatur de alio, conceptus materialiter sumptus; concedo min. formaliter pro objecto representato acceptus, nego min. & consequentiam. Dū dicis *homo est animal*,



non prædicatur de voce *homo* vax *animal*, alioquin propositio esset falsa, cum sint voces realiter distinctæ. Sed voces ibi supponunt formaliter pro suo significato, ita ut significatum per vocem *animal* prædicetur de significato per vocem *homo*. Sic evenit in conceptibus *homo*, & *animal*.

69. Ad 4. dist. maj. Forma artificiosa syllogismi est relatio subjecti ad prædicatū & c. Forma artificiosa ultima in qua sistit Logica, nego maj. Forma artificiosa non ultima, concedo maj. & concessa min. nego consequentiam, sub eadem distinctione. Relatio subjecti ad prædicatum, & relatio extremitatum ad medium & c. sunt secundæ intentiones Logicæ, quæ comparative ad conceptus intellectus sunt quasi forma artificiosa: ceterum quia Logica non sistit ibi, sed transit ad conformandū conceptus cum illis secundis intentionibus, imò & cum ultima intentione syllogismi; ideò secundæ intentiones sunt veluti materia relatè ad veritatem reflexam in qua ultimò sistit Logicæ artificium. Notandum tamen, quòd non sunt materia tam distans à formâ, quàm sunt conceptus, sed sunt materia proximior formæ. Sicut actus intellectus ut dirigibi-

les, sunt materia proximior quàm actus secundum se; & actus extrinsecè directi, sunt materia proximior, & principalior, quàm ut dirigibiles. Quo fit, ut inter objecta materialia Logicæ præcipuum & primarium sint secundæ intentiones, & hoc intendit D. Thomas, ut dicemus.

Ad 5. nego min. ad ejus probationem concessio antecedenti, nego consequentiam. Disparitas constat ex dictis tū in solutione primi argumenti, tum in solutione tertij. Ad dimus, quòd ars scribendi nō intendit conformare motus manuum, vel calami cum forma objectiva. Hujus signum est, quòd si pedibus posset scribere, vel sine calamo, haberet ars intentum. Logica autem est directiva actuum intellectus, sicut Philosophia moralis directiva actuum voluntatis. Quare si non curaret de conformitate actuum intellectus cum secundis intentionibus, quam curam haberet? Certe nullam: imò Logica superflueret.

Ad 6. in sollo illam. Per hoc præcisè, quòd conceptus dirigantur extrinsecè, resultat secunda intentio: ergo non debemus curare, nisi de directione extrinsecâ? Mala consequentia. Sic dicimus, quòd attentis secundis intentionibus

bus resultat conformitas cum illis: at non resultat naturaliter, sed artificiosè: quare est forma artificiosa illa conformitas, & maximè attendenda.

### §. Ultimus.

*Expenduntur fundamenta utriusque sententiæ contrariæ.*

70. **R**estat pro complemento hujus quæstionis expendere alias sententias, & earum fundamenta. De Thomistica egimus §. 3. & ad fundamenta ejus posita num. 14. respondemus, quòd de mente D. Thomæ satis expressa pro nobis cōstat ex dictis à num. 43. usque ad 47. In autoritate prima qua utuntur Thomistæ, dicit S. Doctor *Ens rationis est propriè subjectum Logicæ*, contrapositivè ad actus intellectus, circa quos versatur Logica juxta S. Doct. 1. Post. lect. 2. improprie, sicut domifactoria circa actiones manuum. Absolutè tamē non dicit esse subjectum Logicæ. Quare, ut dicebamus num. 69. in solutione quarta probationis, secunda intentio est forma comparative ad actus intellectus, & sic est subjectum de quo Logica aliquid de-

monstrat, v. g. demonstrat prædicabilitatem de universalitate ut dicebamus num. 60. at considerando absolutè secundas intentiones non sunt subjectum proprie, sed materia Logicæ, & objectum materiale, etsi primarium inter omnia materialia.

Ad 2. autoritatem D. Thomæ sumptam ex præmio Ethicorum, respondemus non benè applicari à Thomistis, quia sic intellecta, tenentur dicere quòd Philosophia moralis, & omnes artes mechanica, habent pro objecto formali ens rationis; quod patet, nam de omnibus his dicit ibi D. Thomas quòd respiciunt ordinem, quem ratio considerando facit: sed sequela non admittitur: ergo expositio data huic autoritati, non debet admitti. Vide num. 45. veram intelligentiam pro nobis, & redargutionem insinuatam.

Fundamentum à ratione nil probat contra nos, quia secundæ intentiones, & relationes rationis, non sunt forma intrinseca ultima, in qua ultimò sistit artefactum logicale, sed sunt forma ordinata ad ulteriorem formam intrinsecam, in qua ultimò sistit logicale artificium; & hæc est veritas reflexa. Vide dicta num. 68. & seqq. eodem modo



modo solvitur confirmatio, quæ nil amplius probat.

Ad fundamenta Thomistarum posita num. 16. quibus probant, quod objectum Logicæ non est aliquid reale debemus respondere; cum nostra veritas reflexa quid reale sit. Ad primum nego antecedens, ad ejus probationem, nego majorem, vel illam distinguo, non est dabilis abstractio in ente reali directè cognito, nisi una ex tribus communiter assignatis, concedo maj. in ente reali reflexè cognito, nego maj. & concessa min. nego consequentiam. Philosophus assignans tres abstractiones in cognitione entis realis, scilicet à materia singulari, à sensibili, & ab intelligibili, loquitur de cognitione directâ, & scientiis directis, ut sunt Metaphysica, Mathematica, & Philosophia, ut vidimus q. 6. de mente D. Thomæ, & Ægidij. Logica non est scientia directâ, sed reflexa, quare sicut Animastica agit de actibus intellectus directè conformibus objecto sub abstractione directâ à materia singulari, quæ est propria Philosophiæ: ita Logica agit de eisdem actibus reflexè conformibus secundis intentionibus, sub abstractione reflexa à materia singulari. Cognitionis est, quæ abstrahit ob-

jectum à materia: ergo qualis fuerit cognitio, talis erit abstractio. Sed Logica est cognitio reflexa: ergo abstractio Logicæ erit reflexa. Hæc nulli scientiæ, nisi Logicæ convenit. Tertium fundamentum Thomistarum positum num. 17. non est contra nos, qui ponimus aliquid intrinsecum actibus pro objecto Logicæ.

71. Hæc sententia Thomistarum etsi benè fundetur à suis DD. & uniformiter defendatur, difficilior redditur alio asserto Thomistico constituyente ens rationis per esse quoddam fictum, factum ab intellectu per cognitionem rei aliter, ac est in se. Difficultas nostra proponitur sic. Objectum Logicæ directivæ debet esse illud, quo dirigitur intellectus, ne erret, & deficiat in suis operationibus: sed hoc nequit esse ens fictum, in cujus efficientia deficit intellectus: ergo tale ens rationis nequit esse objectum Logicæ. Probatur minor. Id, quod est defectus intellectus, nequit dirigere intellectum, ne deficiat; aliàs deficeret intellectus ad vitandum defectum; & erraret ad vitandum errorem, quod implicat in adjecto.

Urgetur. Ens rationis juxta Thomistas fit, quia intellectus

ens attingit rem, aliter ac res est in se: sed attingere rem aliter, ac est in se, nequit prodesse ad attingendam rem ut est in se; & sic debet attingi, si vitatur error: ergo ens rationis fictum nequit conducere ad directionem intellectus: & consequenter nequit esse objectum Logicæ directivæ.

Respondet Mag. Palanco, quod sicut conspiciuntur litteras repræsentant majores, ac sunt in se; & objecta distantia repræsentant plus propinqua, quàm sint in se; & tamen hæc aliter conducit ad videnda objecta ut sunt in se. Ita cognitio nostra attingens objecta cum secundis intentionibus, distinctionibus, relationibus, & consequenter aliter, ac sunt in se, conducit ad attingendum objectum, ut est in se: nec aliter possumus cognoscere.

Hæc solutio culpatur oculos, cum deberet culpate intellectum, falsò judicantem litteras majores, quàm sint. Audi P. Augustinum oculos à calumnia vindicantem, & damnantem intellectum falsum judicem, lib. de vera Relig. cap. 33. ait: (Si quis remum frangi in aqua opinatur, & cū inde aufertur, integrari, non malum habet nuntium, sed malus est judex. Nam ille pro-

sua natura non potuit aliter in aqua sentire; nec aliter debuit. Si enim aliud est aer, & aliud aqua, justum est, ut aliter in aère, aliter in aqua sentiatur. Quare oculus rectè videt; ad hoc enim factus est, ut tantum videat: sed anima perversè judicat.) Hæc S. P. Et ibidem etiam dicit: Corporea species, quia nullam habet voluntatem, non mentitur. Si verò non putetur esse quod non est, non fallit. Sed neque ipsi oculi fallunt; non enim renuntiare possunt animo, nisi affectionem suam.)

En oculus non videt rem in aqua aliter ac est; imò renuntiat animo remum ut est; quia aliter est sensibilis in aqua, aliter in aère. Sic dum utimur conspiciuntur, & apparent litteræ majores, & objecta propinquiora, non videmus rem aliter ac est, sed ut revera est in Crystallo: nam aliter species corporea litteræ sentitur in aère, aliter in Crystallo concavo. Oculus videt speciem ut est, non aliter, ac est, quia solum videt speciem in Crystallo, & ibi est talis, qualis videretur. Non ergo fallit oculus, sed anima malè judicat, si litteras putat majores, quàm sint. Ergo exemplum, quo solvitur nostra difficultas, non est ad rem, sed contra producentem. Sed de his

his libro sequenti.

73. Restat expendere fundamenta secundæ sententiæ DD. Societatis, posita §. 4. Ad primum positum num. 19. respondemus illud esse pro nobis, quia D. Thomas dicit ibi Logicam esse circa actus rationis, sicut circa propriam materiam: sed materia artis non est objectum formale ejus, sed forma intrinseca artificialis: ergo nec actus intellectus, nec extrinseca directio, sunt objectum formale Logicæ juxta D. Thomam.

Ad 2. probationem ex D. Thoma, dic inde probati nostram sententiam, ut vidimus num. 44. Philosophia enim moralis non respicit operationes voluntatis, ut merè extrinsecè directas, sed ut intrinsecè directas, per relationem intrinsecam conformitatis cum regulis morum. Ita Logica de actibus intellectus. Ad tertium nego maj. nam objectum Logicæ directivæ non est id quod dirigitur, sed forma intrinseca, qua materia dirigitur.

Ad 1. confirmationem nego majorem, nam conceptus ut dirigibiles, licet sint scibiles, ut probat argumentum, non sunt scibiles propter se, sed propter secundas intentiones, quæ etiã sunt scibiles, sed

nō propter se, sed propter veritatem reflexam, in qua ultimo sistit artificium Logicū. Quapropter licet sint scibiles à Logica, non sunt ejus objectum formale, sed materiale, & susceptivum veritatis reflexæ, quæ est objectum formale.


Ad 1. confirmationem, nego causalem majoris. Non enim verum, ut cognoscibile, nec bonum ut amabile, sunt objectum intellectus, & voluntatis, quia verum ut intelligibile attingitur ad intellectum, & bonum, ut amabile à voluntate. Sed causalis est, quia ly cognoscibile, & ly amabile includunt objecta formalia intellectus, & voluntatis. At actus ut dirigibilis, non includit in dirigibilitate rationem formalem specificativam Logicæ, quæ debet esse forma intrinseca addita actibus artificiosè, non autem naturaliter conveniens, ut est dirigibilitas relatè ad actus: ergo ex paritate nil cōvincitur pro illa sententia.

Ad ultimum dicimus, quòd denominatio directi proveniens à veritate reflexa, est denominatio intrinseca, quia provenit à relatione intrinseca conformitatis actuum, & conceptuum cum secundis intentionibus, ut sæpè dictum est. Imò inde sumimus

mus

mus argumentum contra istam sententiam, quod invenies n. 34. Argumenta hujus sententiæ posita num. 21. & seqq. contra ens rationis, non sunt contra nos; imò aliqua con-

formant nostram sententiam de veritate reflexa, reali, & intrinseca. Unde ea omittimus, & quæstioni omnium difficillimæ finē imponimus:



## Q U Æ S T I O N O N A.

*Quibus, & quomodo conveniat Logica scientiæ?*

### §. I.

*Quid tenendum sit de Deo, & Angelis proponitur, & probatur.*

I. **A**ctum est hucusque de essentia, partibus, & proprietatibus Logicæ, restat videre cui subiecto conveniat; & quidem cum solis intellectivis entibus possit convenire, dubium procedit de Deo, Angelis, Christo Domino, & hominibus. Breviter tangitur hæc quæstio à nostro Villanova, & meritò, quoniam si pro dignitate tractetur, plura Theologica evolvenda sunt, quæ non sunt nostri instituti in presenti.

De Deo posset dubitari, an sit in eo Logica actualis, vel habitualis? Sed observa communem Theologorum sententiã ponere in Deo sci-

tiam actualem, non autem habitualement. Hujus ratio est duplex. Prima, quia habitus solum datur ad facilitandam potentiam; quare supponit in potentia difficultatem aliquã vincendam per habitum: sed Deus nullam patitur difficultatem in cognoscendo, volendo, & quocumque modo operando: ergo Deus ob summam sui perfectionem non est capax habitus. Secunda ratio est, quia scientia eò est perfectior, quò actualior: sed Deus petit scientiam modo perfectiori: ergo cum scientia actualis sit perfectior habituali, scientia in Deo non est habitualis, sed actualis.

Hh

Hinc

Hinc dubium procedit de Logica actuali, an in Deo sit? Et nota quòd non est dubiù, an sit in Deo Logica eminenter? Nam certissimè hoc modo est in Deo. Hujus triplex est ratio. Prima. Quia scientia Dei est omnis scientia, sicut esse Dei est omne esse; sed esse Dei ita est omne esse, ut contineat eminenter esse creaturarum omnium: ergo scientia Dei, ita est omnis scientia, ut eminenter contineat Logicam nostram, & quamcumque scientiam creatam. Secunda est, sicut esse creaturæ est participatio Divini esse; ita scientia quælibet creata est participatio Divinæ scientiæ; *Omne enim donum perfectum de sursum est, descendens à Patre luminum*: sed nisi in Deo esset omnis scientia nostra eminenter, non posset scientia nostra descendere à Deo, & esse participatio scientiæ Divinæ: ergo Logica est in Deo eminenter. Tertia ratio est. Quia Deus est infinitè perfectus in omni linea, & sic continet omnem perfectionem excogitabilem: sed Logica est perfectio, cum sit cognitio scientifica alicujus scibilis: ergo Deus continet Logicam saltem eminenter.

Dubium est, an contineat formaliter? Pro quo nota, quòd quædam perfectio-

nes sunt puræ, aliæ admixtæ imperfectioni. In Deo non potest poni imperfectio aliqua, cum sit summè perfectus, quare omnia quæ dicunt perfectionem puram, ponuntur in Deo formaliter; quæ verò dicunt perfectionem mixtam, ponuntur in Deo eminenter. Sic Deus non est creatura, equus, aut lapis formaliter, quia ista sunt perfecta cum imperfectione, unde sine ea sunt in Deo, & sic solum eminenter. At Deus est formaliter ens, substantia, vivens, intellectivus, quia hæc dicunt perfectionem puram sine mixtione imperfectionis, & ita sunt in Deo formaliter.

2. His notatis prima sententia ponit in Deo Logicam formaliter. Ita Suarez Recentior disp. 2. sect. 4. §. 3. Fonseca, & aliqui, quos citat & sequitur N. Lusitanus lib. 5. de visione q. 6. art. 10. num. 78. Hi DD. affirmant Deum facere entia rationis Logica.

Probat 1. Quia in Deo dantur discursus virtuales: ergo etiam Logica. Probat consequentia: quia medio discursu virtuali format Deus omnes modos concludendi virtualiter in *Barbara*, *calarent* & alijs.

2. Quia in Deo datur hæc cognitio conditionalis, (Si mihi connaturalis esset modus dif-

discurrèdi formaliter, sic concluderem in *Barbara*, sic in *celarem*.) At hæc cognitio est Logica formaliter: ergo saltem relatè ad objecta conditionata datur in Deo Logica formaliter.

3. Nam Deus format entia rationis logica: ergo in eo est Logica scientia formaliter. Patet consequentia, nam cui non repugnat objectum scientiæ, non repugnat scientia: sed entia rationis logica sūt Logicæ objectum: ergo si Deus format &c. Antecedens multis probat N. Lusitanus, quorum summa est, quòd entia rationis logica fiunt sine fictione, quare non repugnant à Deo fieri.

2. sententia docet Logicam non esse in Deo formaliter. Ita reliqui DD. possetque probari testimonijs Scripturæ, & rationibus Theologicis, à quibus abstinemus. Probat 1. ex P. Augustino lib. 1. contra Cresconium ca. 15. ubi postquàm Logicam vocat disputatoriam scientiam, discretivam veri à falso; item logicum disputatorem, & hujusmodi discretivum, ait: (Qui enim verus disputator est, id est veritatis à falsitate discretor, primò id apud seipsum agit, ne non rectè discernens, ipse fallatur: quod nisi divinitus adjutus peragere non

potest &c.) En Logica formaliter datur primò & per se in subjecto capaci erroris, ad illum vitandum, & ne fallatur discernendo verum à falso: sed Deus est incapax erroris, nec falli potest discernens verum à falso, cum omnia comprehensivè cognoscat: ergo Deus est incapax Logicæ formaliter.

2. Probat ex D. Thoma 1. Perhierm. cap. 1. ubi docet quòd *ars quædam necessaria est quæ sit directiva rationis* &c. Vide reliqua verba q. 8. num. 19. ex quibus sic. Logica solum datur formaliter ad vitandum errorem in cognoscendo; ad dandam facilitatè, & ordinados actus intellectus, sed Deus est incapax erroris, & difficultatis in cognoscendo, nec potest habere conceptus inordinatos: ergo est incapax Logicæ formaliter.

Eandem doctrinam habet N. Egidius in Prologo ad lib. Posteriorum, ubi ait: (Ne ergo propter potentialitatem admixtam malè ratiocinemus & erremus, inventa fuit Logica, quæ est hujusmodi actus directiva: sed Deus nullam habet potentialitatem in cognoscendo, sed est summè actualis, imò identificatus cum actuali cognitione comprehensiva omnium cognoscibili-

lium: ergo Deus non est capax Logicæ formaliter.

A ratione probatur. Virtutes morales non dantur in Deo formaliter, sed eminenter: ergo nec Logica datur in Deo formaliter, sed eminenter. Antecedens est communis doctrina Theologorum. Consequentia probatur. Ideò virtutes morales non sunt in Deo formaliter, sed eminenter, quia nulla actio Divina est indifferens ut sit conformis, vel difformis rectæ rationi, sed omnes sunt determinatè illi conformes: at cognitio Divina non est indifferens ad veritatem, vel falsitatem, sed est determinatè vera cum impossibilitate erroris, aut deceptionis: ergo sicut in Deo non dantur virtutes morales formaliter, sic nec formaliter Logica, quæ est directiva actus rationis.

4. Hinc solvantur fundamenta contrariæ sententiæ posita num. 2. Ad primum nego antecedens. Nam nemo in Deo admittit defectum virtualem, nec imperfectionem virtualem: ergo nec debet admitti discursus virtualis. Patet consequentia, quia discursus est quadam imperfectio cognoscendi, & ideò negatur non solum Deo, sed etiam Angelis, qui sine discursu cognoscunt simplici intuitu con-

### De Proemialibus

clusiones in principijs. Imò & homines Beati non discurrunt, quia ut ait P. Augustinus. *Cessabunt in gloria volubiles cogitationes nostræ*. Ergo si nemo concedit in Deo virtualem imperfectionem, sic nec virtualem discursum, nec virtualem cogitationum volubilitatem.

Ceterum admissio antecedenti, nego consequentiam. Nam adhuc admissio in Deo discursu virtuali, solum sequitur esse in Deo Logicam virtualiter, & æquivalenter, non autem formaliter. Nec Deus tali discursu virtuali format modos concludendi in *in Barbara, & alijs*. Quia ad hoc est necessarium cognoscere modo potenciali componendo, & dividendo: totum hoc Deo actualissimo repugnat: ergo licet cognitio Dei his æquivalet, non est talis formaliter, sed virtualiter eminenter.

Ad secundum concessa maj. neg. mi. Nam etiam Deus habet istam conditionalem, *si ego peccarem, poenitentiam agerem*: & tamen inde non infertur, quòd Deus habeat formaliter virtutem poenitentia: ergo nec quòd formaliter habeat Logicam, etsi habeat illam conditionalem *si mihi conaturalis esset discursus* &c.

Ad tertium nego antecedens

### Quest. IX.

cedens, quod non convincunt probationes nostri Lusitani cõtra nos, nam admissio quòd sine fictione sunt entia rationis logica, quod libro sequenti probabimus ex nostro *Ægidio*; at entia talia solum resultant ex modo potenciali nostro cognoscendi: at Deus nihil cognoscit modo potenciali, sed omnia actualissimè: ergo Deus non format entia rationis logica. Imò & dato illa formare, nil concluditur in nostris principijs. Quia Logica est necessaria, ut noster intellectus conformetur cum secundis intentionibus: sed cognitio Divina non est indifferens, sed essentialiter determinata & conformis objecto tum directo, tum reflexo: ergo adhuc admissio antecedenti, consequentia tenere non potest.

5. Circa Angelos non est dubium habere Logicam eminenter. Et probatur. Quia sicut natura Angelica excedit perfectionem naturæ humanæ, sic cognitio & scientia Angelorum superat nostram: sed inferior perfectio continetur eminenter saltem in superiori: ergo Logica, & alia scientiæ nostræ sunt in Angelis eminenter.

Dubium est an formaliter? Affirmat Suarius citatus, & à fortiori quotquot

ponunt in Deo Logicam formaliter. Et probatur primò. Quia si in Deo datur formaliter Logica, qui nec potest errare, nec cognoscit potentialiter, nec formaliter discurret: ergo etiam in Angelis, quibus error non repugnat essentialiter, & sunt aliquomodo potentiales in essendo, & intelligendo.

Contraria sententia est communis, & probatur ex dictis auctoritatibus datis num. 3. quibus adde in terminis verba nostri *Ægidij* in 2. Sent. dist. 34. dub. 5. litterali, ubi ait: (Angeli enim habent scientiam rerum, nec ad eam habendam indigēt Dialecta; quia non intelligunt componendo & dividendo, nec arguendo, & syllogizando. Sed quia homines intelligunt componendo, & dividendo, arguendo, & syllogizando, quæ sunt actus rationis, quia ratio syllogizat, & discurret à principijs ad conclusionem, ideò oportuit invenire scientiam, quæ esset de ipsis actibus rationis, & quæ doceat nos syllogizare, & discurrere &c.

Ex quo sic. Angeli non intelligunt componendo, dividendo, & argumentando, sed simplici intuitu, per species à Deo infusas in primo creationis instanti cognoscunt omnes res, & omnia principia,

pia, & conclusiones in principijs: sed Logica est cognitio docens cognoscere componendo, & dividendo, docens item syllogizare, ut patet ex dictis in antecedentibus: ergo Angeli non indigent, imò nec habent Logicam formaliter, sed eminenter.

6. Dices: Angeli loquentes aliquando cum hominibus, loquuntur modo humano per propositiones, divisiones, & argumentationes, ut constat ex sacra Scriptura, ubi sapiùs inducuntur Angeli loquentes Danieli, Josue, Moyfi, & alijs: item in novo testamento loquentes Joanni in Insula Pathmos mysteria Apocalypsis: at tunc usi sunt Dialectica: ergo in Angelis est formaliter.

Respondemus, quòd licet exterior & sensibilis locutio Angelorum sit capax directionis Logicæ attentis signis externis secundum se; non tamen ut ab Angelo formatis. Ratio est, quia Logica non dirigit ad modum sciendi vocalem, nisi quatenus dirigit mentalem; & idè voces sunt objectum materiale Logicæ, & inter materialia remotissimum, ut dictum est q. 8. §. 2. sed cognitio Angeli non est capax directionis Logicæ, ut dictum est: ergo nec externa voces, ut ab Angelo formata.

*De Proemialibus*

Quamobrem Angelus simplici intuitu omnia noscens dum ea manifestat nobis per voces, illas dirigit Logica eminenter in Angelo existente: non Logica formaliter tali.

Ad fundamentum oppositum nega antecedens, cujus contrarium probatum est hìc. Et licet Logica plus Deo, quàm Angelis formaliter repugnat, at satis Angelis repugnet, ne in eis sit formaliter. Major repugnantia in Deo probatur ex infinito excessu in perfectione intellectiva. Nā licet Angelus sine discursu cognoscat, at non semper actu omnia cognoscit, sed habitu. Deus autem omnia actualiter sine intermissione cognoscit. Item intellectio Dei est cum Deo identificata, & sic est substantia Dei: at intellectio Angeli est accidens realiter distinctum ab ejus substantia. Item Deus nihil ignorat; Angelus autem in ordine supernaturali ignorat multa; & in naturalibus ingnorat secreta cordis nostri,

futura contingentia, & alia

de quibus Theologi tractatu de cognitione Angelorum.

\*\*\*

\*\*\*

\*\*\*

§. II.

*Quæst. IX.*

§. II.

*Quid tenendum sit de Christo Domino, Adamo, & alijs hominibus?*

7. **D**icendum est tertio Logicam fuisse in Christo Domino formaliter. Ita expressè P. Augustinus lib. 1. contra Cresconium cap. 17. ubi directè probat non solum Apostolos, præcipuè Paulum, fuisse Dialecticos, sed etiam Christum Dominum. Id probat ex varijs disputationibus Christi Dñi cum Scribis, & Phariseis, in quibus semper victor illos convincit fateri quod debebant, & renuebant, ut dicitur Matthæi 22. circa tributum Cæsari dandum. Post quæ dilucidè notata ait S. P. (Obsecro te, illi ne fuerunt Dialectici, qui prætentis interrogationis insidijs, decipiendo superare moliti sunt; an ille potiùs, qui ex hoc ipso, quod interrogaverunt, veram eorum responsonem prudentia interrogationis eliciens, illud verum, quod ab eo putabant periculosè dici, ipsos compulit fateri?)

Ibidem probat Dialecticam esse perfectionem naturæ humanæ, non imperfectio-

nem, alioquin Pharisei (Libentius, & invidiosius eum (idest Christum) fortasse Dialecticum, quàm Samaritanum appellarent.) Ex his constat assertio ista de mente P. Augustini, & communis est apud DD. docentes Christum Dominum habuisse omnes scientias infusas à primo conceptionis instanti.

Probatur à ratione. Christus Dominus fuit verus homo, modo humano cognoscens, & amans: sed Logica formaliter datur in subjecto cognoscenti modo humano componendo, dividendo, & discurrendo, ut patet ex dictis: ergo in Christo D. fuit formaliter Logica. Rursus, quia Dominus secundum naturam humanam operatus est modo humano; idè Theologi propugnant in Christo virtutes morales, excepta poenitentia, quæ supponit peccatum; & fide, & spe, quæ non possunt compati cum visione beata, quam habuit Christus à primo conceptionis instanti: sed Christus Dominus secundum naturam humanam intellexit modo humano potentiali, & formaliter discursivo: ergo ponenda est in eo Logica formaliter.

8. Dices. Quia Christus est incapax peccati, idè non est in eo virtus poenitentia,

tia, quæ supponit peccatum, aut potentiam peccandi: sed Christus Dominus est etiam incapax erroris; & Logica vel supponit errorem, vel saltem potentiam errandi: ergo non erit in eo Logica formaliter. Secundò: idè Logica non est in Angelis, quia cognoscunt omnia per species infusas à primo creationis instanti: sed etiam Christus Dominus à primo instanti conceptionis habuit scientias infusas, & super eum requievit spiritus sapientia: ergo non indiget Logica, nec in eo est formaliter.

Tertiò Christus D. superat in perfectione omnes Angelos; imò eos illuminat non solum de facto in cælo, sed etiam dum erat in terra: sed Angeli ob suam perfectionem non habent Logicam formaliter, ut dictum est: ergo nec Christus Dominus. Tandem juxta P. August. num. 3. allegatum, Logicus primò curat, ne ipse fallatur, dum verum discernit à falso: sed Christus D. plenus gratia & veritatis, superflue timeret falli in tali discretionem: ergo superflue haberet Logicam formaliter, si illam haberet.

9. Ad primum aliqui Theologi docent Christum incapacem peccati, non fuisse incapacem æquè errandi, maximè errore speculativo.

Disparitas est, quòd peccatum est malum morale; error speculativus, amentia, ignorantia, & alia, sunt malum physicum. Unio hypostatica excludit ab humanitate Christi malum morale; non autem physicum, ut patet in morte, quam humanitati permisit. Iuxta istam doctrinam neganda est minor primæ replicæ.

Sed admissa in Christo Domino impotentia errandi ex meritis unionis hypostaticæ, ex eodem principio consequenter statuendum est debitum habendi omnes scientias infusas, quibus vitetur error. Et cum possit dari error circa veritatem reflexam, qui sola Logica vitari potest, idè supposita in Christo D. impotentia errandi, debet in eo supponi Logica infusa. Ergo ex impotentia errandi non sequitur quod intendit replica, sed potius oppositum. In forma distinctum. Christus est incapax erroris, quia ex vi unionis petit, & habet scientias infusas, quibus error vitatur, & inter eas etiam Logicam concedo distinctum. quia sine infusione Logicæ, & scientiarum est proximè impotens errare, nego distinctum. & consequentiam. Petit Christus scientias infusas ad cognoscendum sine errore; sicut petit auxilia efficacia ad operandum sine defectu. Quare sicut

sicut impeccabilitas Christi non est independens ab auxilijs ei collatis; sic nec infalibilitas à scientijs infusis.

10. Ad secundum nego causalem majoris, quæ non est adæquata. Non enim idè Angeli carent Logica, quia cognoscunt per species infusas; sed quia talibus speciebus non utuntur componendo, dividendo, & syllogizando, ut ex Ægidio nostro dictum est num. 5. at Christus Dominus licet habuerit scientias infusas, intellexit componendo, dividendo, & discurrendo sicut ceteri homines: ergo indigebat Logica, quam idè habuit infusam, cum nunquam, adhuc testantibus Scribis & Phariseis, litteras didicerit.

Ad tertium dic Christum Dñam superare Angelos in perfectionibus supernaturalibus gratia & gloria; non autem in perfectionibus naturalibus, quia sic est inferior Angelis, cum sit verus homo, & natura humana sit inferior Angelica. Hinc evenit, ut Christus verus homo cognoscat discurrendo, qui modus cognoscendi repugnat naturæ Angelicæ, magis perfectæ. Illuminat nunc, & in terris degens illuminavit Angelos, eis manifestans secreta, quæ novit in Divina es-

sentia, & latebant Angelos. Sed hoc, sicut non extrahit Christum à veritate humanæ naturæ, sic nec à cognoscendo res naturales eum discursu, & modo inferiori ad angelicum. Ex discursu probatur in Christo D. Logica formaliter, quæ non convenit Angelus non discurrentibus.

Ad quartum: Dicimus Christum Dominum, ut homo est, non timere falli, sicut nec in quantum Deus est, talem errorem timere potest. Sed aliter, & aliter. In quantum Deus non potest falli, quia per suam essentiam omnia cognoscit comprehensive. In quantum homo nequit falli, quia omnia naturalia cognoscit per scientias infusas, ei debitas ex vi unionis. Inter eas numerat Logicam; quare argumentum non probat non esse in Christo Logicam, sed probat unice, non esse in Christo sicut in nobis, sed modo perfectiori, quia in Christo plene excludit errorem, & potentiam errandi: in nobis permittit potentiam errandi, & petit nos curare de bono usu Logicæ acquisitæ, ne fallamur.

11. Dicendum est quarto: Adamum habuisse Logicam infusam à primo creationis instanti. Ita docet Ægidius

in 2. Sent. dist. 23. q. 2. art. 3. circa medium §. *Cum ergo quaeritur*. Et probat primò habuisse omnes scientias infusas triplici ratione. Prima. Quia Deus non minus curavit de perfectione corporis Adæ, quàm de perfectione animæ: sed creavit Adamum in ætate perfecta, & in ea mensura, quam poterat decursu tēporis acquirere: ergo etiam creavit animam ejus cum omnibus scientijs, quas decursu temporis acquirere posset. Secunda est. Quia Adam creatus est ut Pater, & Doctor omnium posterorum: ergo plenus sciētia, & perfectè sciētificus creatus est. Tertia est, quia ut dicitur in Sacro textu *Dei enim perfecta sunt opera*: ergo Adam, quē proprijs manibus Deus formavit, perfectus fuit quoad perfectiones animæ, & tales sunt scientiæ.

Quòd autem habuerit Logicam determinatè, probat Doctor N. ex illo Gen. 2. ubi dicitur quòd Deus adduxit ante Adam omnia animalia, ut eis nomen imponeret, & postquam factum significatur, dicitur: *Omne enim quod vocavit Adam animæ viventis, ipsum est nomen ejus*. Supra quæ Ægidius loco laudato ait: (Imponere nomina nominibus, ut quòd tale nomen vocetur nomen, & tale ver-

bum verbū, & sic de alijs, spectat ad Grammaticum: & imponere nomina intentionibus, & quòd hoc vocetur species, & illud genus, spectat ad Logicum.) Eandem doctrinam habet D. Thomas 1. p. q. 57. art. 3. & de verit. q. 18. art. 2. & 4. & 2. Sent. dist. 23. q. 2. art. 2.

12. Idem confirmari potest ex P. Augustino libro de Categ. cap. 1. ubi explicans quid sit species, & universale in nominibus impositis rebus, ait: (Si quis leonibus, quod fieri solet, vel bobus imponat nomina, in immensum tenditur uniuscujusque cognitio, & acies mentis obtunditur: sed cum leonem, vel taurum dixeris, omnes, qui ubique sunt, sub uno nomine naturæ succedunt.) En nomen quod leonibus v. g. imposuit Adamus, non est nomen hujus vel alterius individui, aut leonis particularis sed est nomen naturæ, comprehendens omnes leones, qui conveniunt in natura specifica leonis: ergo nomina imposita ab Adamo, fuerunt nomina imposita intentionibus, speciei, & generis, quod spectat ad Logicum.

Hujus ratio est. Quia res eo modo nominamus, quo eas concipimus: sed cognitio Adami non se extendit ad

omnia individua speciei leonis v. g. quia hæc crescere possunt in infinitum, & sic cognitio tenderet in immensum, quod est impossibile, ut docet P. Augustinus laudatus: ergo omnes leones nominavit & concepit Adam sub ratione communi specifica naturæ leoninæ, in qua omnes conveniunt: & sic concepit, & nomen imposuit intentionibus speciei, & generis, quod spectat ad solos logicos.

13. Dicimus §. reliquos homines (Salomone excepto cui Deus sapientiam infudit) habere, vel posse obtinere Logicam formali-

ter per disciplinam. Conclusio hæc ad oculum docetur experientia. Si quid autem dubitari potest, est an posteri Adami successiva traditione ab eo acceperint Logicam, & alias scientias? An verò interrupta serie sapientum, Aristoteles, aut alij antiqui Logicam instauraverint, & quasi de novo invenerint? De hoc diximus satis q. 4. num. 31. quibus nihil addere oportet in re obscurissima, tot temporum serie impentrabili. Et hæc de quæstionibus Proemialibus, & de toto primo lib.

Logicæ.







# LIBER SECUNDUS

## DE ENTE RATIONIS LOGICO.



**M**ateriam hujus libri, quæ nullius est ferè entitatis, sed maximæ difficultatis, dicunt omnes pertinere ad Metaphysicam, non autem ad Logicam: quod verissimum est, si disquiratur natura, & elucidentur proprietates entis rationis in communi. Ceterùm si unice sit sermo de ente rationis logico, ad logicos spectat; ob idque RR. hoc loco ante tractatum de universalibus & prædicabilibus, disputationem instituunt. Quia tamen natura secundarum intentionum plenè non potest percipi, sine aliquibus, quæ communia sunt ad omnia alia entia rationis; idèd aliqua quæ ad Metaphysicam spectant, hic interponuntur; à quibus, Deo dante, claritate nobis possibili expediemur. Pro quo sit.

### QUÆSTIO PRIMA.

*An sit, & quid sit ens rationis?*

#### §. I.

*Explicatur quid sit ens rationis, & traditur communis definitio.*

**E**NS rationis in generali est omne illud, quod habet esse per ordinem ad intellectum; nam ratio hic sumitur pro intellectu. Sub ista generalitate ens potest dici tripliciter ens rationis, scilicet *subjectivè*, *effectivè*, & *objectivè*. Ens rationis *subjectivè*, est omne illud quod recipitur in intellectu, ut in subjecto, v.g. species impressa

pressa, & expressa; habitus scientificus, & opinativus, imò & ipsæ intellectiones nostræ, quæ in ipso intellectu recipiuntur. Omnia hæc dicuntur entia rationis *subjectivè*; sed revera sunt entia realia.

Ens rationis *effectivè* est omne quod causatur, & efficitur ab intellectu in genere causæ efficientis. Talis est intellectio, quæ ab intellectu realiter efficitur, species expressa, aut verbum mentale ab intellectu productum; & quidquid mediâ intellectione realiter producitur ab intellectu. Omnia hæc, licet sint quid reale in rerum natura, dicuntur esse ens rationis *effectivè*, quia verè causantur ab intellectu, qui est ens reale verum, & vera eorum causa. Id satis insinuavit P. Augustinus in Soliloquijs lib. 2. cap. 17. dicens: ( Non ergo inane verum, quia neque ab eo, quod inane non est, inane fieri potest. ) En nequit fieri à causa reali aliquid, quod reale non sit, sed inane & nihil. Quare cum relata fiant ab intellectu vera causalitate, realia sunt, & solum dicuntur ens rationis *effectivè*. De his entibus rationis non est sermo in præfati.

2. Ens rationis *objectivè*, est omne illud quod est cognitum ab intellectu; nam

tale est objectum intellectus, & sic est *objectivè* ens rationis. Ceterùm inter cognita ab intellectu, quædam sunt, quæ præter illud esse *objectivum* quod habent intra intellectum, habent extra intellectum aliud esse, ut dum cognosco hominem, homo nedum habet esse intra intellectum meum, sed extra existens in rerum natura; alia sunt, quæ licet actualiter non habeant esse extra intellectum, possunt illud habere, v. g. dum cognosco alium mundum, hic non habet esse extra meum intellectum, sed potest illud habere, si à Deo producat; quare habet esse intra suas causas. Et hæc non sunt propriè ens rationis, sed ens reale actuale, si actu habeat esse extra intellectum, vel ens reale possibile, si possit tale habere esse in rerum natura.

Alia tandem sunt, quæ cognoscuntur ab intellectu, attamen nec existunt extra intellectum, nec possunt existere extra: & hæc dicuntur entia rationis propriè. Sit exemplum in ente ficto; cognoscis *hircoceruum*. En hircocervus est rigorosè ens rationis, quia in primis habet esse *objectivum* intra tuum intellectum, cum cognoscatur à te, & quod non est objectum, nequit cognosci. Rursus non habet aliud

aliud esse extra intellectum, nec habere potest, cum tale monstrum non sit possibile. Tandem non habet esse intra intellectum *effectivè*, vel *subjectivè*. Non *effectivè*, quia causa realis nequit causare inane, & fictitium, ut est *hirco-cervus*. Non *subjectivè*, quia in subjecto reali non potest habere esse quod non est quid reale, sed nihil, aut quid fictum. Ergo *hirco-cervus* sic cognitus est ens rationis, quod nullum habet esse, nisi parè objectivum.

3. Hinc diffinitur ens rationis proprium *Id quod tantùm habet esse objectivè in intellectu*. Hæc diffinitio traditur à N. Egidio q. 2. super universalia: cui favet D. Thomas 1. p. q. 16. art. 3. ad secundum, dicendo: *Ens rationis est, quod cum non sit in rerum natura, accipitur ut ens in ratione*. Et colligitur ex Commèntatore 6. Metaphysicæ ubi ait, *Ens rationis solùm posse habere esse objectivè in intellectu*.

Ex his colliges, quod species impressa, & expressa, habitus intellectuales, actus intelligendi, & alia similia, quæ sunt intra intellectum, non sunt ens rationis propriè, de quo solo agimus in præsentia. Nam talia non habent solum esse objectivum, sed etiam subjectivum in intellectu, ubi

## De Ente rationis.

sunt tanquam in subjecto, & sic sunt entia realia, quæ dicuntur *intentionalia*, quia non existunt extra intellectum, ut alia entia, quæ idè dicuntur *naturalia*. Colliges etiã quod est rationis proprium est illud, quod nec habet esse subjectivum intra intellectum, nec extra intellectum, nec potest illud habere, & hoc est habere tantùm esse objectivum in intellectu.

## §. II.

*Traditur communis divisio entis rationis, ex B. Egidio nostro elucidata.*

4. **T**Estatur N. Gavardi se vidisse tractatum triplicem manuscriptum N. Fundat. Doct. de secundis intèrionibus, qui asseratur in Bibliotheca Vaticana, dolemus non esse communis juris, ut prolixius nostri Doct. mentem assequeremur. Sed factis putamus expressam varijs locis, præcipuè in 1. Sent. dist. 2. q. 1. & dist. 30. q. 1. art. 3. Eandem doctrinam habet D. Thomas ibidem, & locis infra allegandis, de quorum concorde mente probabimus infra quidquid proponemus.

Dividitur primò ens rationis: in ens rationis cum funda-

## Quest. I.

fundamento, & ens rationis sine fundamento. Hæc divisio est communis apud AA. ens rationis cum fundamento est illud, quod habet fundamentum in re extra intellectum. v.g. videt intellectus hominem, & bruta con venire in principio sentiendi, & differre in principio discurrendi: hoc fundamento videt quod conveniunt in *animalitate*, & differunt in *rationalitate*: quæ propter tribuens animalitati nomen generis, & rationalitati nomen differentie; istæ secundæ intentiones *genus*, & *differentia*, habent fundamentum in re, & sunt ens rationis fundatum, quod vocatur communiter *ens rationis ratiocinatae*.

Ens rationis sine fundamento, est illud quod nullum habet fundamentum in re. Talis est chimæra, vel hircocervus. Nam hircocervus est quoddam monstrum, à nobis conceptum, quasi natura hirci esset identificata cum natura cervi. At nullum est fundamentum in natura ad utriusque idèntificationem, cum sint naturæ & species realiter distinctæ: ergo tale monstrum est quoddam esse fictum à nostro intellectu sine ullo fundamento; & sic est ens rationis non fundatum, quod vocatur communiter *ens rationis*

## §. I.

*ratiocinantis.*

5. Ex hac divisione communi infert N. Egidius quod relatè ad ens rationis sine fundamento, noster intellectus est vanus, cassus, & falsus: fecus relatè ad ens rationis cum fundamento in re. Verba Doct. nostri loco laudato dist. 30. sunt hæc. (Ea quæ sunt in intellectu, aliquando habent reale fundamentum in re extrà, aliquando non. Et cum apprehensionem intellectus nihil respondet in re extrà, tunc intellectus est cassus, & vanus: & tunc hujusmodi quæ sic habent esse, ita sunt entia apud animam, quod amota anima jam non sunt. Nota ultima verba pro alio discrimine de quo infra.

Quando autem datur ens rationis cum fundamento in re, tunc intellectus non est vanus, & cassus, imò nec falsus, ut directè ostendit Doct. N. in 1. dist. 2. q. 1. art. 3. & ut scias quid sit intellectum esse vanum, falsum, aut cassum, en verba Egidij loco ultimo laudato. (Nominibus ab intellectu impositis nihil respondere in re, tripliciter contingit. Primo si intellectus est vanus. Secundo si intellectus est falsus. Tertio si ipsa nomina ab intellectu imposita sunt synonyma. Tunc intellectus dicitur vanus, quãdo

do fingit ea, quæ non sunt in rerum natura: sicut fingendo hircocervum, vel chimaram: & talibus nominibus non respondet aliquid in re, quia ipsæ res non sunt.)

Prosequitur ibi. (Intellectus autem dicitur falsus, quando componit non composita, vel dividit non divisa, ut patet ex 3. de Anima. Et quando sic se habet, quod dicit aliqua inesse alicui, quæ non infunt, utputa dicit leonem esse bipedem, & intelligentem: talibus non respondet aliquid in re, non quia ipse leo non sit, sed quia in ipso leone, si ve in ipsa re tales perfectiones non reperiuntur. Tertio modo potest contingere, quando ipsa nomina sunt synonyma; nam in talibus, etsi ipsa res sit quæ sic nominatur, dicitur pluralitati nominum ex parte rei nihil respondere, quia cum plura sint nomina, una est tamen res, & uno modo se intellectui representat in impositione illorum nominum.

Hinc colliges, quod quando intellectus dicit: *Chimera est: Leo est intelligens: Marcus est Tallius.* Facit ens rationis sine fundamento; in primo est vanus: in secundo falsus: in tertio, cassus, vel synonymus. Est vanus in primo, quia fingit quod non est in rerum natura. Est falsus in secundo,

quia componit, quæ non sunt componibilia. Est cassus in tertio, quia dividit per diversa nomina, quæ non sunt in re divisa, sed unam & idem, ut *cassis, & gladius.* Eandem doctrinam invenies in D. Thomæ 1. Sent. dist. 2. q. 1. art. 3.

6. Ex hoc discrimine inter utrumque ens rationis colligit Doct. N. aliud, scilicet, quod entia rationis sine fundamento solum existunt, quando intellectus actualiter ea considerat; verba Egidij sunt: (Et tunc hujusmodi, quæ sic habent esse, ita sunt entia apud animam, quod amota anima jam non sunt.) E contra verò, quæ sunt entia rationis cum fundamento, manent etiam si cesset intellectus à consideratione eorum. Hoc discrimen negatur à Thomistis, qui putant omne ens rationis consistere in esse ficto ab intellectu, quare solum existit, dum actu cognoscitur ab intellectu. Ceterum infra ex P. Augustino, D. Thomæ, & Egidio, probabimus, quod ens rationis cum fundamento, non habet esse fictum, sed verum: quare existere potest, etiam si intellectus cesset à cogitatione ejus: unde solum ens chimericum id habet, quod amota anima jam non sit, ut hic docet Egidius.

Omissio

Omissio ente rationis sine fundamento, quia nullius utilitatis; ens rationis fundatum dividitur à nostro Egidio in ens rationis cum fundamento necessitante, & ens rationis cum fundamento non repugnante. Ens rationis cum fundamento necessitante est illud, quod habet in re fundamentum necessitans intellectum ad sic cognoscendum. v.g. Dum cognoscimus Deum ut Creatorem, cognoscimus Deum cum relatione ad creaturas; quæ relatio cum non possit esse realis, est relatio rationis. Hæc relatio rationis habet fundamentum necessitans, quia nequit intellectus Deum ut Creatorem concipere sine tali relatione; quare necessitatur intellectus ad sic cognoscendum.

Ens rationis cum fundamento non repugnante est illud quod intellectus sua subtilitate investigat juxta Doct. nostrum, vel illud quod ratio adinvenit in rebus consideratis, juxta D. Thomam utrumque idem est: & consistit in eo quod ens reale à nobis cognitum, non totum cognoscitur unica cognitione, sed per partes, & varijs cognitionibus, ex quibus resultat in conceptibus ens rationis. Sit exemplum dum cognoscis hominem. Nō enim unica cognitione co-

gnoscis hominem, sed multiplici, nam primò cognoscis v. g. quod sit ens, deinde quod sit substantia, quod sit corpus, videtur, sensibile, rationale, & hoc varijs cognitionibus, quasi minutatim attingens per partes, id quod unica cognitione nō vales attingere.

Istæ cognitiones vocantur præcisivæ; & in objecto sic concepto resultant secundæ intentiones generis supremi, medij, infimi, usque ad rationale, in quo resultat secundæ intentio differentia. Istæ secundæ intentiones sunt entia rationis, & habent fundamentum non repugnans; quia habent idem fundamentum ac cognitiones præcisivæ, & hoc fundamentum non est necessitans, sed est non repugnans. Et quia hoc tale ens rationis est de quo tractat Logica, oportet illud hic amplius explicare.

8. Pro quo nota quod in Angelis, quod superior est natura, eò meliorem & vivatiorem habet intellectum: & quod intellectus est nobilior, eò plura intelligit per unicam cognitionem. Hoc capies hoc exemplo. Considera puerum & hominem perfectum simul ad mensam. Certè homo potest unico morso comedere tantum panis, quantum puer nō potest, nisi tribus, aut qua-

tuor moribus. Quod contingit corpori in cibis corporalibus, accidit spiritui in cibis spiritualibus; scientiam enim est cibus animæ juxta P. Augustinum libro de vita Beata dicentem: (Quid ergo anima, nulla ne habet. alimenta propria? An ejus esca scientia vobis videtur?) Respondit Sancta Mater Monica: (Plañe inquit, nulla re alia credo aliã animam, quàm intellectu rerum, atque scientia.)

Ob id S. Dionysius li. de Cœlesti Hierarchia docet quod *Angeli habent dentes*, nō quibus cibum corporeum dividant, sed quibus cibum spiritualem secant, ut dicitur in hb. Tobia: à Raphaële Archàngelo, *Ego cibo indivisibili utor*. Cibus iste est veritas objecti cognita. Qui superior Angelus est, habet meliores dētes, hoc est meliorem intellectum, & plura objecta cognoscit unica cognitione, quæ non potest inferior Angelus cognoscere, nisi per plures cognitiones, & per plures morsus. In linea intellectiva Deus est supremus, homo infimus, & Angelus medius. Deus unica cognitione omnia cognoscit: Angelus per plures cognitiones varia objecta: homo unicum objectum attingit dividendo illud per partes, quia unico morsu non potest objectum degluti-

re, & multiplicat morsus, ut cognoscat per partes. Hinc fit ut Angelo cognoscente lapidem unica cognitione, quæ cum totum attingat, non est præcisiva; nullum ens rationis præcisivum resulter in objecto cognito, nec ulla secunda intentio logica. Et ob id diximus cum nostro Ægidio lib. præcedenti q. 6. num. 5. Logicam non dari in Angelis. Ceterum homo, qui unica cognitione non potest lapidem cognoscere, multiplicat cognitiones, dividentes lapidē per partes. Una cognitione cognoscit quod lapis est *ens, & substantia*, altera cognoscit in lapide *corpus*, altera *non vivens, aut insensibile*, altera *talitatem*, vel singularitatem lapidis. Et quia ex illis prædicatis cognitio attingit unum sine alio, dicitur cognitio *præcisiva*: & ex tali præcisione resultat in objecto cognito secunda intentio logica, v.g. in prædicato *substantia* secunda intentio generis supremi; in prædicato *corpus* secunda intentio generis medij, & sic usque ad ultimum prædicatum in quo apparet secunda intentio differentia.

9. Istæ secundæ intentiones sunt entia rationis logica, & non habent fundamentum necessitans. Ratio est, quia si haberent tale, ne-

cessitarent quæcūque intellectum: at nō necessitāt intellectū Angelicum, cum Angeli unica cognitione cognoscant omnia prædicata objecti: ergo fundamentū harū secundarū intentionū, non est *necessitans*. Est tamen *non repugnans*, quia in lapide à parte rei existente, nihil datur, quod repugnet, ne varijs cognitionibus præcisivis attingatur per partes: ergo sicut homo invenit in lapide fundamentum ad multiplicandas cognitiones præcisivas, idem fundamentum invenit ad tales secundas intentiones: & hoc est fundamentum *non repugnans*.

Observa, quod in exemplo dato, prædicatum *substantia* cognitum, dicitur *prima intentio*, & hæc est ens reale. At ratio generis resultans in prædicato *substantia* est *secunda intentio*, & est quid rationis. Ratio primi est, quia *substantia* non solum habet esse objectivum in intellectu, sed extra intellectum, & sic est ens reale. Ratio secundi est, quia ratio generis resultans in prædicato *substantia*; nullum esse habet extra intellectum, & solum habet esse objectivum in intellectu: quare est ens rationis. Et cum idem dicendū sit de omni secunda intentione generis, speciei, universalis &c. Omnia hæc sunt

entia rationis logica. Tandem nota cum Ægidio nostro ubi supra dist. 30. Quod inter prædicata realia, quæ sunt prima intentio & sic quid reale, & entia rationis chimerica, mediant entia rationis fundata; ceterum hoc ordine. Primò sunt prædicata realia, & primæ intentiones, quæ immediatè fundantur in re. Secundò sunt entia rationis cum fundamento necessitante. Tertio sunt entia rationis cum fundamento non repugnante. Ac ultimo sunt entia rationis sine fundamento. Ratio hujus ordinis est, quia quò magis res habet de entitate, eò magis appropinquat rebus existentibus extra intellectum. Atqui prima intentio est quid reale, & sic habet magis de entitate, quàm omnia entia rationis: ergo post entia realia existentiæ extra intellectum, primus locus debetur primis intentionibus.

Post primas intentiones veniunt entia rationis fundata, quæ magis habent de entitate, quàm entia chimerica. Hoc patet, quia ens chimericum solum est ens fictum: sed entia fundata non sunt ens fictum, sed verum, ut dicemus: ergo post primas intentiones obtinent locum entia rationis fundata.

Inter fundata, magis habent de entitate, quæ sunt magis necessaria: sed ens rationis cum fundamento necessitante habet entitatem magis necessariam, quàm ens rationis cum fundamento non repugnante: ergo immediatè post primas intentiones obtinet locum ens rationis cum fundamento necessitante: & post ipsum tertio loco ponendæ sunt secundæ intentiones, vel entia rationis cum fundamento non repugnante.

Hunc ordinem ponit N. Doctor in corpore articuli laudati, ut insinuet, secundas intentiones non habere esse fictum, quale habent entia chimerica. Et id ipsum observandum monemus pro infra dicendis contra communiorum RR. sententiam, quæ omne ens rationis constituit per esse fictum. Ex Ægidio enim hic colligitur oppositum: nam prima intentio est ens reale apud omnes: ens rationis necessitans est quasi ens reale, quia immediatum ei locum obtinet in ordine entium. Secundæ intentiones sunt huic propinquæ, & sic habent veram entitatem, licet non realem, nec quasi realem. Ac tandem entia rationis chimerica, ultimum locum in ordine entium tenentia, solum habent esse fictum.

## §. III.

Probatur dari entia rationis,  
& solvantur argumenta  
contraria.

11. **S**ententia communissima docet cum Arist. 4. Metaphysicæ cap. 2. dari ens rationis. Contrarium tamen docuerunt aliqui RR. inter quos Caramuel in suo Hercule logico pro entibus rationis, quæ negat substituit entia linguæ, multis probans, quod lingua nostra plura format entia rationis, quæ non potest intellectus. Vnde si ipsi credamus, potest lingua pronuntiare *hirco-cervum* non autem intellectus illum concipere. At hæc doctrina, quæ magis ad ostensionem ingenij conducit, quàm ad veritatem inquirendam, contradicit in re nullius momenti philosophiæ, & principijs Doctorum omnium. Nam verbum est vox articulata, quæ cum imaginatione profertur; & idè Psitacus non loquitur, etsi sonos similes edat nostris vocibus: ergo nisi velis linguas nostras sonos edere, sicut Psitacorum linguæ, restat concedas non pronuntiare *hirco-cervum*, nisi cogitando, & cognoscendo ens rationis fictum, quod

quod lingua exprimit illo verbo.

Rursus verba sunt signa conceptuum, & ad hoc lingua data est hominibus, veluti instrumentum naturale potentia expressiva conceptuum: ergo dum lingua dicit *hirco-cervum*, aut quid simile, quod est ens rationis linguæ, indicat intra intellectum esse ens rationis mentale. Tandem juxta D. Thomam in 1. dist. 2. & juxta nostrum Ægidium ibidem, res eo modo nominamus, quo illas concipimus: quare cum non possimus cognoscere omnes perfectiones Dei unica cognitione, sed multis, idè non possumus Dei perfectionem unico nomine explicare, sed multiplici, dicendo Deum esse misericordem, justum, sapientem, sanctum &c. Quæ doctrina sumitur ex P. Augustino ut infra patebit. Ergo vox *hirco-cervus* significans duas naturas identificatas chimericè, indicat sic esse ab intellectu conceptas fictitiè: & idè concessis entibus linguæ concedenda sunt entia rationis.

12. Probatur communis sententia sic. Plura dantur, quæ solum habent esse objectivum in intellectu: sed talia sunt ens rationis: ergo dantur entia rationis. Minor patet ex Dictis §. 1. Ma-

ior probatur. Plura cognoscuntur ab intellectu, quæ nec sunt extra intellectum, nec possunt esse; nec intra intellectum habent esse subjectivum: sed quidquid cognoscitur ab intellectu, habet esse objectivum: ergo talia solum habent &c. Probatur major. Dum cognoscitur Deus ut Creator, cognoscitur Deus cum relatione ad creaturas: sed talis relatio non est realis, & consequenter nec est in Deo, nec potest esse, nec in intellectu nostro est ut in subjecto; cum non constituat intellectum nostrum relatum: ergo talis relatio cognoscitur ab intellectu, & nullum esse habet, nisi merè objectivum.

Idem argumentum fit in mensura, quæ nequit cognosci, nisi per relationem ad mensuratum: & cum mensura non dicat relationem realem ad mensuratum, restat quod relatio illa sit rationis: & signum nullum habens esse, nisi merè objectivum. In relationibus generis, speciei, subjecti, prædicati & alijs adest idem argumentum; sed usque venimus ad tertium librum Logicæ, non plenè noscitur ejus efficacia. Omittimus argumentum commune in ente chimerico; nam certè apprehendere possumus *hirco-cervum*, montè aureum, hominè irrationale

& alia quæ non habent; nec habere possunt esse in rerum natura: ergo solum habent esse objectivum in nostro intellectu; & sic sunt entia rationis, etsi chimærica. Hinc fit quod si noster intellectus talia cognoscere potest, à fortiori melius cognoscet entia fundata. Ergo dantur entia rationis cum fundamento, de quibus præcipuè intendimus.

13. Contra hoc argues primò pro sententia contraria. In omni objecto prius est esse quàm cognosci; patet hoc quia prius est esse cognoscibile, quàm actu cognosci; per suum esse habet res esse cognoscibilis: sed in ente rationis non est prius esse, quàm cognosci: ergo ens rationis nequit esse objectum intellectus; & consequenter nõ datur. Probatur minor. Ens rationis solum habet esse ex vi quod actu cognosci: ergo in ente rationis &c.

Confirmatur. Objectum debet esse causa actus; quo cognoscitur; nam juxta P. Augustinum: *Ab objecto, & potentia paritur notitia*: Sed ens rationis nequit esse causa cognitionis, quia cognoscitur: ergo nequit esse objectum intellectus, & consequenter ad nil datur. Probatur minor. Ens rationis est effectus cognitionis, qua cognoscitur, quia ab

illa habet esse: sed effectus nequit esse causa suæ causæ: ergo.

Hoc argumentum de ente fundato nil probat contra nos, quia, ut videbimus, tale ens rationis non fit per cognitionem qua cognoscitur, nec est effectus ejus; & habet esse antequam cognoscatur. Quapropter de tali ente est verum quod cognitio nostra illud adinvenit factum, & illud investigat pro sua subtilitate cognitio nostra, non autem illud facit; ut videbimus ex D. Thoma, & nostro Egidio.

Contra Thomistas probat, & etiam contra nostram sententiam de ente chimærico, quod non est antequam cognoscatur, & per cognitionem habet esse. Quare pro eo sic intellecto, respondeo ad argumentum dist. maj. in objecto prius est esse, quàm cognosci, in objecto quod habet esse per cognitionem, nego maj. in objecto quod ratione sui habet esse independentem à cognitione dante esse, concedo maj. & concessa minori de ente chimærico, nego consequentiam.

Ad confirmationem dist. maj. objectum quod habet propriam speciem impressam, concedo maj. objectum quod non habet, nego maj. & concessa

cessa minori de ente rationis chimærico; dist. consequens, nequit esse objectum intellectus cognitum per propriam speciem, concedo consequentiam, per alienam, nego consequentiã. Sicut tenebræ non cognoscuntur per propriam speciem, sed per speciem lucis, qua privant; ita ens fictum non habet propriam speciem representantem illud, sed representatur intellectui per speciem entis realis, ad cuius similitudinem fingitur. Ergo cum objectum sit causa cognitionis media specie impressa; ens fictum nullam habens speciem, non potest, nec debet esse causa cognitionis. De hoc infra quæst. speciali de specie impressa entis rationis.

14. Argues 2. Implicat quod negatio entis rationis sit ens rationis; sicut implicat quod negatio hominis sit homo: sed si daretur ens rationis, sequeretur quod negatio entis rationis esset ens rationis. Probatur minor. Negatio entis rationis est cognitio objectivum in intellectu: sed quod habet esse objectivum in intellectu est ens rationis: ergo si daretur &c.

Confirmatur primò. Istæ duæ propositiones nequeunt

esse simul veræ, *Negatio entis rationis est ens rationis. Negatio entis rationis non est ens rationis*. Sed forent simul veræ si daretur ens rationis: ergo non datur. Probatur minor. Nam prima est vera, ut probatum est supra. Secunda patet esse veram, sicut hæc, *Negatio lapidis non est lapis*.

Confirmatur secundo: Implicat essentia sine proprietatibus; talis daretur admittitur ente rationis: ergo non debet admitti. Probatur minor. Potest intellectus cognoscere essentiam entis rationis sine proprietatibus: at tunc essentia daretur objective in intellectu sine proprietatibus: ergo &c.

Tertiò: Implicat objectum cognoscibile à nostro intellectu, quod non sit sensu perceptibile: sed ens rationis non est sensu perceptibile, cum nec videri, nec gustari, tangi, audiri &c. valeat: ergo non est objectum cognoscibile à nobis. Probatur major ex Philosopho dicente, quod *Omnis cognitio nostra incipit à sensu*: ergo &c.

Quartò: Ens rationis nequit dari, nisi habeat esse, nec potest habere esse nisi ab aliqua causa dante esse: sed intellectus, qui unice potest dare esse enti rationis, non datur ei esse: ergo ens rationis non datur.



datur. Probatur minor. Intellectus est causa realis & vera: sed causa realis & vera nequit dare esse enti rationis: ergo. Probatur minor. Causa realis & vera, dat esse reale & verum: sed ens rationis nequit recipere ab intellectu esse reale & verum: ergo.

Quintò: Ens rationis, si datur, existit: ergo per aliquã existentiam. Sed non per realem, quia hujus est incapax. Non per fictam, quia tunc non verè existeret; & sic nec verè daretur: ergo ens rationis non datur, sed fingitur dari.

15. Ad argumentum juxta nostra principia de ente rationis vero, dicendum quòd negatio entis rationis cum fundamento est ens rationis, non cum fundamento, sed chimericum; unde non est illud, cujus est negatio, sed aliud distinctum. Sicut homo pictus est negatio hominis veri, quare non est homo verus, sed pictus. Sic negatio entis rationis veri est ens rationis chimericum non verum. Sic cessat confirmatio prima, quia illæ propositiones non sunt simul veræ, sed prima propositio falsa, & secunda vera.

Ad secundam confirmationem nego min. de ente rationis fundato. Ad probationem minoris, concessa maj. nego min. quia, ut dicemus,

ens rationis fundatum, & ejus proprietates non pendent ab actuali consideratione intellectus, ut docet N. Ægidius num. 6. laudatus. Vnde licet cognoscat intellectus ens rationis, & non ejus proprietates, utrumque datur objective intra intellectum.

Ad tertiam. Insta illam in Deo, & Angelis quos cognoscimus, licet non sint sensu perceptibiles. Respondemus, quòd objectum à nobis cognitum per propriam speciem acceptam à sensibus, debet esse sensu perceptibile; secus alia objecta. Quare ens rationis, & alia specialia cognoscimus, vel per speciem alienam rei materialis, à sensibus acquisitam; vel modo infra explicando quæst. de specie impressa.

Ad quartam dic nihil probare in nostris principijs, quia ens rationis fundatum non fit formaliter, nec habet causam, ut dicemus. Vnicè enim resultat, sicut relatio realis juxta Arist. 5. Physicorum non terminat per se motum, sed resultat ex positione fundamenti. De hoc infra quæstione de causa entis rationis.

Ad ultimum infra constabit, quòd ens rationis fundatum verè existit, & assignabimus existentiam ejus veram, & non fictam, quæstione speciali

ciali de existentia entis rationis. Hæc dicta sunt, & prout nunc credenda usque dum ea probemus infra: quapropter dicit Philosophus quòd: *Oportet addiscentem credere.* Et P. Augustinus docet quòd *Scientia nostra constat ex visis, & creditis.*

16. Sed quia doctrina data solum est pro ente rationis fundato: restat solvere argumentum pro ente rationis chimerico & ficto. Solvitur quidè ex principijs Thomistarum sic. Ad argumentum distinguenda est duplex negatio, una *remotiva*, altera *negativa*. Prima removet omne ens rationis, & hæc non est ens rationis, nec potest cognosci, quia nequit negatio seipsam negare. Negatio verò sumpta *negative*, negat entia omnia rationis excepto ente rationis quod datur in ipsa negatione. Vnde non est negatio sui, sed aliorum entium, ab ipsa negatione distinctorum. Sic cessant argumentum, & prima confirmatio.

Ad secundam dicendum quòd licet non possit dari essentia sine exigentia suarum proprietatum, potest tamen dari essentia sine proprietatibus existentibus. Casu quo intellectus solum cognosceret essentiam entis rationis, non darentur proprietates, sed es-

sentia illa exigeret proprietates suas. Ad tertiam respondetur sicut supra dictum est.

Ad quartam dicendum intellectum dare enti chimerico esse fictum; quia licet intellectus sit causa realis, non est talis relatè ad fisiones, sed metaphoricè dicitur causa entis ficti. Sicut voluntas peccans est causa peccati, & peccatum est nihil. Revera non est causa efficiens voluntas, sed deficiens juxta P. Augustinum: sic dum intellectus fingit chimeram, non est causa efficiens, sed deficiens, nec dat esse verum, sed fictum.

Ad quintam dicendum ens rationis fictum existere per existentiam fictam ab intellectu, quæ licet absolute sit ficta, at respectivè non est ficta, sed propria enti ficto: quare licet verè non existat per existentiam veram, at verè existit per existentiam fictam; nam verum est quòd fictivè existit. Sic falsum, licet non sit verum, verè tamen cognoscitur ut falsum; & verè est falsum, nec falsum fingitur, sed est. Omitimus varias replicas, & reflexiones satis difficiles, nec minus inutiles, ut ad precipuas quæstiones

properemus.

(o) (??) (??)

(??) (??)

LI Quæst.



# QUÆSTIO SECUNDA.

In quo consistat ens rationis.

## §. I.

Explicatur sententia de extrinsecis denominationibus.

**T**res quæstiones sub uno titulo exagitamur; prima est: (An ens rationis consistat in extrinsecis denominationibus?) Secunda: (An consistat in aggregato ex entibus realibus falso adunatis per cognitionem nostram?) Tertia: (An consistat in aliquo esse ficto?) Istæ quæstiones divisim agitantur à RR. sed sub uno titulo instituuntur à nobis, quia omnibus respondemus negativè, & adhuc restat videre in quo consistat ens rationis. Quare si dividere velis more RR. quæstiones, adde quartâ, (An scilicet ens rationis cum fundamento consistat in esse vero, adæquatè distincto ab ente reali, & ente ficto?) Respondemus affirmativè cum P. Augustino, D. Thoma, & Egidio, quorum mentem infra prolixè expendemus.

Denominatio est quid resultans ex forma aliqua, v. g. denominatio visû resultat in pariete ex visûe; denomi-

natio albi resultat in eodem ex albedine. Quo fit ut illa sit denominatio intrinseca, quæ provenit à forma intrinseca; v. g. homo intrinsecè denominatur albus, & calidus, à calore, & albedine homini intrinsecis. At paries extrinsecè denominatur cognitus, & visus; quia visû, & cognitio non sunt in pariete, nec in eo ponunt aliquid intrinsecû, sed sunt in vidente, & cognoscente. Denominatio autem dealbati est intrinseca parieti, quia licet actio dealbans, quæ est forma denominans non sit in pariete, sed in dealbante; at ponit in pariete aliquid intrinsecum, scilicet albedinem.

2. Hoc notato aliqui citati à Rubio q. 2. de Ente rationis docent illud consistere in quacumque extrinseca denominatione. Hoc suadent, quia extrinseca denominatio nihil intrinsecum ponit in subiecto denominato: ergo est ens rationis. Probatür

con:

## Quæst. II.

consequentia. Quia dum dicitur *paries est visus*, aliquid affirmatur de pariete: sed non affirmatur aliquid reale, cum illa denominatio visû nil reale ponat in pariete visû: ergo affirmatur aliquid rationis.

Confirmatur. Deus in tempore dicitur Creator: sed hæc denominatio est aliquid rationis: ergo cum idem dicendû sit de alijs extrinsecis denominationibus, omnes sunt quid rationis, & consequenter in eis consistit ens rationis. Probatür minor. Primò, quia Deo nequit in tempore aliquid reale intrinsecû advenire, quia foret mutabilis, quod est contra fidem: ergo si in tempore dicitur Creator, denominatio hæc est extrinseca, & quid rationis. Secundò probatur minor. Quia Deus dicitur Creator per relationem ad creaturas: sed Deus nequit dicere ad creaturas relationem realem, sed solum rationis: ergo illa denominatio est ens rationis.

3. Durandus, Soto, Oña, & alij citati à Complutensibus hîc, docent quòd ens rationis consistit non in quacumque denominatione extrinseca visû, voliti &c. Sed in sola extrinseca denominatione cogniti. Probatür, quia illud est ens rationis quòd tantum habet esse, consistens in

## §. I:

cognosci, & actu objici intellectui: sed extrinseca denominatio cogniti solum habet esse consistens in cognosci: ergo talis denominatio est ens rationis. Probatür minor. Denominari cognitum est esse cognitum: ergo esse denominationis cogniti consistit in cognosci; sicut esse denominationis visû consistit in videri, aut in esse objectum potentia visiva.

4. Thomistæ communiter impugnant hanc sententiam, primam bene, sed secundam Durandi infelicitè. Primam de alijs denominationibus sic. Nam illud non est ens rationis, quòd datur independentè à quacumque cognitione; sed tales sunt extrinseca denominationes visû, Creatoris &c. ergo non sunt ens rationis. Major patet ex diffinitione entis rationis. Minor est certa; nam etiam si nullus daretur intellectus creatus, adhuc diceretur Deus Creator, Dominus, patiens visû, sola posita visione, creatione, & dominio Dei.

Contra denominationem cogniti arguit Froylanus sic. Denominatio cogniti nihil rationis ponit in objecto: ergo vel nil ponit, vel si quid, illud est reale, & sic in ea non consistit ens rationis. Probatür antecedens. Si denomina-

L12

tio

ratio cogniti aliquid poneret rationis, omnis cognitio esset factiva entis rationis, & consequenter etiam Deus per omnem suam cognitionem faceret ens rationis, quod est falsum. Patet sequela, quia per omnem cognitionem Dei objectum denominatur cognitum.

5. Eā ex nostris principiis impugnamus sic. Denominatio cogniti vel ponit aliquid intrinsecum in objecto cognito, vel solum aliquid extrinsecum. Si primum? ergo denominatio cogniti non est extrinseca, sed intrinseca; quod est contra omnes. Patet sequela ex dictis, quia denominatio dealbati est intrinseca, quia licet actio dealbans sit in agente, ponit tamen in parte aliquid intrinsecum: ergo denominatio cogniti foret intrinseca, si poneret &c. Si secundum? Ergo illud est quid reale, & non rationis. Patet consequentia. Quia hoc extrinsecum est ipsa cognitio extrinsecè afficiens objectum, & ipsum denominans; cognitio ut sic est quid reale: cujus signum est, quod denominatio cogniti est realis denominatio, quia sumitur à forma reali: ergo quod extrinsecè ponit in objecto est quid reale.

## §. II.

*Explicatur sententia de aggregato ex entibus realibus falso adunatis.*

6. **A**liqui DD. Societatis docent, quod ens rationis consistit in aggregato ex entibus realibus, & cognitione falso adunante illa entia. Sic *hirco cervus* est ens rationis, non quia importet quid fictum, sed quia est aggregatum ex hircocervo, & cervo media cognitione falso adunante utramque naturam. Ita P. Herice, Sfortia, Lince, & novissimè Thirso pro se referens Antonium Perez, & Vazquium.

Probatum primò. Quia licet constitutiva hominis, scilicet materia & forma sint incorruptibilia; totum ex eis resultans est corruptibile: ergo licet partes hircocervi, scilicet hircus, cervus, & cognitio uniens, sint quid reale; totum ex eis resultans erit quid rationis: & consequenter ens rationis consistit in aggregato &c.

Secundò: Concipere gratiam coexistentem cum peccato, est ens rationis; patet, nam talis coexistentia est impossibilis, & sic solum habet esse

esse objective in intellectu: sed talis coexistentia nihil aliud est, quam existentia gratiæ, existentia peccati, & similitas utriusque, quæ sunt quid reale: ergo ens rationis nil est aliud quam aggregatum ex entibus realibus &c.

7. Quoad secundam partem probatur hæc sententia argumentis suadentibus ens rationis non consistere in aliquo esse ficto. Sit primum. Hæc propositio *homo est equus* repræsentat ens rationis: sed non repræsentat aliquid fictum: ergo ens rationis non consistit in esse ficto. Probatum minor. Hæc propositio *homo non est equus*, non repræsentat aliquid fictum: ergo nec ista *homo est equus*. Prob. consequentia. Quia propositiones contradictoriæ idem repræsentant ex parte objecti; cum oppositio contradictoria sit *affirmatio*, & *negatio ejusdem de eodem*, & *secundum idem*. Sed tales propositiones sunt contradictoriæ, ut patet: ergo &c.

Confirmatur. Hæc propositio *homo est equus*, repræsentat ens rationis: sed repræsentat verum hominem, & verum equum: ergo ens rationis non consistit in esse ficto, sed in aggregato falso realium realium. Probatum minor. Hæc propositio est falsa: quia in illa intellectus non

conformatur cum homine, & equo, quos affirmat identificatos: sed solum est falsum quod verus homo identificetur cum equo; non autem est falsum, quod homo fictus identificetur cum equo ficto: ergo si est falsa illa propositio, id est, quia verus homo, & verus equus repræsentantur falso adunati ab intellectu.

8. Hæc sententia impugnatur à reliquis DD. à Thomistis sic. Ens rationis nequit realiter existere: sed aggregatum ex entibus realibus & cognitione adunante, est potens realiter existere: ergo non est ens rationis formaliter. Probatum minor. Illud totum potest realiter existere, cujus partes, & unio realiter existunt: sed tale est aggregatum sententiæ contrariæ: ergo &c. Probatum major, quia totum non distinguitur à partibus ex quibus componitur, & unione. Minor probatur. Quia partes sunt homo, & equus, unio earum est cognitio intellectus: sed homo, equus, & cognitio, sunt quid reale potens realiter existere: ergo. Hæc ratio non videtur stabilis adhuc apud Thomistas, nam 1. Physicorum, querentes an totum differat à partibus simul sumptis, & unitis: Dicunt, quod non est idem

idem partes & unio; ac partes unitæ: quare totum differt à partibus & unione; non tamē à partibus unitis: ergo hīc licet probēt, quōd homo, equus; & cognitio possunt realiter existere; non sequitur, quōd aggregatum resultans possit realiter existere, nisi ulterius probent, quōd homo, & equus, ut uniri possunt existere: quod non facillē probabitur.

Impugnant secundō: Quia ex duobus accidentibus unitis, nequit fieri una substantia; nec ex duobus entibus materialibus unum spirituale: ergo nec ex duobus entibus realibus unum ens rationis. Patet consequentia, quia magis distat ens rationis ab ente reali, quā materiale à spirituali, & accidens ab accidente: ergo si ex duobus accidentibus, &c.

Hæc ratio non videtur urgens quia major distantia entis rationis potius conducit, ut resultet ex duobus realibus. Et patet, quia major distantia juxta hos authores est, quia ens rationis non habet esse verum, sed fictum; sed quōd ens rationis habeat esse fictum, conducit, ut ex entibus falsō adunatis resultet entitas ficta: ergo. &c. Omittimus argumenta Thomistica, probantia ens rationis consistere in esse ficto, quia de illis

infra. Contentio erit cum solis Thomistis, & alijs DD. ejusdem sententiæ.

9. Improbatur hæc sententia juxta nostra principia, primō, quia omnia ejus fundamenta nil probant de entibus logicis, nec de alijs entibus rationis fundatis: Rursus nil probatur de ente chimarico: ergo revera nil probatur de ente rationis. Probatur major; secundæ intentiones generis, differentia, speciei &c. reperiuntur in his conceptibus *animal, rationale, homo*, & sunt entia rationis logica: at ista entia non consistunt in aggregato ex entibus realibus falsō adunatis per intellectum; non enim assignare poteris quid intellectus aggreget conceptui *animal*, ut in eo ponat secundam intentionem generis: ergo entia rationis logica non consistunt in illo aggregato.

Vergetur in alijs entibus fundatis. Dum concipis Deū ut Creatorem, verē concipis relationem rationis Dei ad creaturas. Petimus, in quo aggregato ex realibus consistat hoc ens rationis? Quid reale aggregat intellectus noster Deo dum ipsum apprehendit ut Creatorem? Certē nihil. Nam si quid cognitio nostra adunaret Deo, hoc esset relatio realis ad creaturas, non

nō enim aggregat aliquid reale absolutum: ergo solum relativum. At hoc non est relatio realis: ergo relatio rationis concepta in Deo Creatore non consistit in aggregato ex entibus realibus. Patet hæc minor. Quia intellectus concipiens Deum ut Creatorem, non est falsus, nec mendax; mendax, & falsus foret, si concipiendo Deum Creatorem, ei affigeret relationem realem ad creaturas.

Rursus dum dicimus, *homo est albus*, plura adsunt entia rationis. Nam adest secunda intentio subjecti, secunda intentio prædicati, copula, propositio, & totum artefactum Dialecticum. At ista entia rationis non consistunt in aggregato ex entibus realibus falsō adunatis: ergo idē. Probatur minor. Quia hīc non sunt alia entia realia, nisi *homo*, & *albedo*, vel subjectum habens albedinem: at ista entia non adunantur falsō, sed ex parte objecti realiter in re sunt adunata, ex parte actus verē adunantur, & per cognitionem veram, hoc est conformem cum objecto prout in re: ergo.

10. Iam verō quōd nec de ente ficto sententia ista sit vera, probatur. Nam ista propositio *homo est equus*, vel affirmatio identitatem hominis

cum equo; vel solam unionē utriusque naturæ in eodem supposito. Si primum? ergo de formali dicit identitatem fictam, & sic ens rationis chimaricum consistit in esse ficto. Patet consequentia. Quia si foret identitas vera, esset distincta ab extremis identificatis, & sic non esset falsum affirmare talem identitatem de homine, & equo. Si affirmat solam unionem hominis cum equo in eodem supposito; propositio est falsa, sed non repræsentat ens rationis; ergo ens rationis non consistit in illa unione affirmata. Probatur antecedens. Nam ens rationis est quod tantum habet esse objectivum, & nec est realiter, nec potest realiter esse: at talis unio utriusque naturæ, licet non datur de facto, potest dari, si Deus velit: ergo propositio illam affirmans de facto, est falsa; sed non repræsentat ens rationis.

Hæc ratio nostra sumitur ex Ægidio in 1. Sent. dist. 36. q. 1. art. 2. ad 1. ubi ait: (Quod licet hircocervus, & chimæra, non sint entia in rerum natura; non tamen de ratione eorum est privatio entis, & idē imaginabilia sunt, & ideam habent.) Sed Deus non habet ideam impossibilium, sed possibilium, & factibilium: ergo *hircocervus* est possi-

possibilis, & sic quid reale habens esse in suis causis. At non est quid possibile, ut dicit identitatem naturæ hirco cum natura cervi, quia hoc modo est chimæra, & identitas ficta: ergo solum est possibile quare nuscit unionem utriusque naturæ in eodem supposito, vel in eodem corpore: quare ut dicit unionem est quid reale, & non rationis.

Explicatur. In Christo Domino datur unio utriusque naturæ Divinæ, & humanæ in eodem supposito: ergo quidquid sit, an suppositum creatū possit terminare alienam naturam; unio tamen naturæ hirco cum natura cervi in eodem corpore, possibilis est. Patet consequentia. Quia magis distat natura Divina ab humana, quàm cervina ab equina: ergo si de facto naturæ infinite distantes sunt in Christo Domino realiter unitæ; poterunt & aliæ uniri & sic talis unio est possibilis, & ideam habet. Ergo ut *hirco-cervus* sit ens rationis, & quid impossibile; debet apprehendi ut duplex natura identificata, & sic debet fingi identitas, nec sufficit a-

Quis falsus unies  
utraq; natura.

id est

§. III.

Explicatur sentētia constituentē ens rationis in solo esse ficto.

II. Communissima sentētia Thomistarum, Scotistarum, & quàm plurium Societatis, docet cum Soncinæ, Harvæo, & alijs antiquis omne ens rationis consistere in aliquo esse ficto, distincto ab omni ente possibili. Quare inter entia rationis fundata & non fundata nullum ponit discrimen, nisi quòd fundata habent in re fundamentum, ut sic fingantur; quod non habent entia chimærica; at omnia habent esse fictum ab intellectu, & in eo formaliter consistunt.

Hoc suadent ex isto principio certo apud DD. hujus sententiæ, scilicet quòd ens rationis fit ab intellectu non per quamcumque cognitionē ejus, sed per illam solam, qua cognoscitur res aliter ac est in se. Quapropter fit per cognitionem, qua intellectus cognoscit ut distincta, quæ distincta non sunt; & ut identificata, quæ non identificantur; & ut relata, quæ non referuntur. Vnde ens resultans ex ista cognitione, est ens fictum:

quod

quod satis apparet insinuatum à D. Thoma Opusc. 42. cap. 2. ubi ait: (Tunc efficiens rationis, quando intellectus nititur apprehendere quod non est; & idèd fingit illud, ac si esset ens.) En esse entis rationis esse fictum ab intellectu, quia fit ab eo per apprehensionem rei, quæ non est; & sic fit per cognitionem rei aliter ac est.

Ex hoc principio infert sententia ista, & benè, quòd ens rationis solum existit quādo actu cognoscitur. Et patet, quia si ens rationis non habet nisi esse fictum, tantum durat, quantum cognitio fingens; quare cessante cognitione fingente, non existit ens rationis; imò nec ante cognitionem istam fingentem datur ens rationis. Quare dicunt, quòd posita cognitione directā, qua cognoscitur *homo* abstractus à singularibus, adhuc non datur ens rationis nec universale formaliter, sed fundamentaliter, quia posito conceptu *homo* sic abstracto, restat quòd intellectus per secundā cognitionem reflexam fingat in conceptu *homo* relationem universalitatis ad Petrum, & Paulum, & per istam relationem sic fictam, constituitur *universale* formaliter. Idem docet de alijs entibus rationis logicis.

Vt clariùs procedamus, pro nunc omittimus examen hujus principij de quo questione diversa, etsi cum ista summè connexa, contēdemus; an ens rationis fiat ab intellectu? Et fiat per cognitionem rei aliter ac est in se? Nunc solum erit discussio circa esse entis rationis, an sit fictum, an autem verum? Thomistæ, & alij laudati docent esse fictum, & probant sequentibus fundamentis.

I. Primo sic. Ens rationis consistit in esse purè objectivo in intellectu, ut constat ex diffinitione ejus ab omnibus admittit: sed esse purè objectivum est esse fictum, & impossibile, adæquatè distinctū ab omni possibili: ergo ens rationis consistit in esse ficto. Minor probatur. Esse purè objectivum est esse quod nequit existere à parte rei; aliàs non esset purè objectivum, si posset realiter existere: ergo esse purè objectivum est esse fictum, & impossibile. Patet consequentia. Nam soli impossibile repugnat realiter existere.

Confirmatur à Froylano: Idèd ens rationis non consistet in esse ficto, quia tale esse fictum non posset cognosci ab intellectu: sed contrarij tenentur concedere tale esse fictum cognosci ab intellectu: ergo ens rationis consistit in

Mm

esse

esse ficto. Probatur minor. De obiecto non cognito nihil potest affirmari, vel negari: sed de tali esse ficto negant contrarij posse cognosci: ergo tenentur dicere posse cognosci.

Confirmatur secundo. Quando dicitur *Alier Deus est impossibilis*, intellectus concipit ex parte subjecti aliquid de quo affirmat esse impossibile: sed illud de quo affirmatur esse impossibile, non est verum ens reale & possibile, sed impossibile & quid fictum; alioquin propositio non esset vera: ergo ens rationis consistit in esse ficto. Omittimus alias rationes ad idem, quia omnes probant de ente chimerico, de quo non negamus consistere in esse ficto; vel suadent quod ens rationis non consistit in esse possibili possibilitate reali, quod libenter concedimus.

13. Secundò probari potest hæc sententia sic. Quid quid est verum ens, habet verum esse: sed ens rationis non habet verum esse: ergo non est verum ens, sed fictum. Probatur minor. Illud habet verum esse, quod non habet esse per fictionem: sed ens rationis habet esse per fictionem intellectus: ergo &c. Secundò probatur minor. Illud habet verum esse, quod verè cognoscitur ab intellectu: sed

ens rationis non cognoscitur verè ab intellectu: ergo non habet verum esse. Probatur hæc minor. Ens rationis cognoscitur per cognitionem rei aliter, ac est in se; vel per cognitionem attingentem id, quod non est, ac si esset: ergo non verè. Vtraque probatio ista sumitur ex D. Thoma Opusc. 42. verbis datis num. 11.

Confirmatur primò. Quid quid est ens, vel est verum, vel fictum: sed ens rationis non est ens verum: ergo est ens fictum. Major patet, nam quid quid est homo, vel est verum, vel fictum, & idem de alijs. Minor probatur. Verum ens, est ens reale: sed ens rationis non est ens reale: ergo non est verum ens.

Confirmatur secundò. Illud est verum ens, quod verè affirmatur de ente reali & vero: sed ens rationis non affirmatur verè de ente reali & vero: ergo non est verum ens. Probatur minor. Quid quid verè affirmatur de ente reali & vero, convenit enti reali, & cum eodem identificatur, modo quo de illo affirmatur: sed ens rationis nec convenit enti reali, nec cum illo identificatur: ergo &c. Totum patet in hac propositione *homo est species*, ubi de homine vero affirmatur secunda intètio speciei

ciei; & tamen nec ei convenit realiter, nec cum homine identificatur: ergo id quod affirmatur non est quid verum, sed apparenter tale, & per fictionem.

Tertiò: Illud est verum ens quod sine fictione intellectus affirmatur de ente reali & vero: sed ens rationis non affirmatur sine fictione: ergo non est verum ens. Probatur minor. Id affirmatur de alio sine fictione, quod ei convenit sine fictione: sed ens rationis non convenit enti reali sine fictione: ergo &c. Probatur minor. Secunda intentio speciei non convenit homini ut est in se, sed homini abstracto à singularibus, qualiter non est in se: sed quod rei convenit sine fictione, convenit rei, ut est in se: ergo.

14. Hæc fundamenta, si tenent, probant amplius, quàm desiderant. Nam probant quod conceptus *homo* abstractus à singularibus per cognitionem directam, sit ens rationis, & quid fictum; quod non intendunt DD. hujus sententiæ, ut vidimus num. 11. Probatur sequela. Nam juxta præcipuum eorum fundamentum, num. 12. Illud est ens rationis, & quid fictum, quod nequit realiter existere: sed *homo* abstractus ab inferioribus nequit ita realiter existe-

re, ut contra Platonem docet Aristot. & cum eo omnes Peripatetici, de quo libro sequenti: ergo *homo*, sic abstractus erit formaliter ens rationis, & quid fictum.

Confirmatur. Illud est ens rationis juxta hos DD. quod attingitur per cognitionem rei aliter ac est; unde attingitur cognitione fingente, & habet ab illa esse fictum. Sed *homo* sic abstractus à singularibus, attingitur aliter ac est in rerum natura, ut patet; unde attingitur cognitione fingente, quæ non potest dare esse verum, sed fictum juxta hos DD. ergo *homo* sic abstractus per cognitionem directam, erit ens rationis formaliter, & habebit esse fictum, quod est contra veritatem, & contra mentem horum DD.

Est contra veritatem, quia *homo* dicit naturam humanam, quæ habet esse reale in rerum natura extra intellectum; unde non habet esse mere objectivum in intellectu. Est contra mentem horum DD. qui docent quod per cognitionem directam, attingentem naturam humanam sine singularibus, ponitur fundamentum proximum entis rationis, & universalitatis; non autem ponitur ens rationis formaliter, usque dum veniat altera cognitio reflexa fin-

gens in conceptu homo relationem rationis ad singularia.

## §. IIII.

*Nostra sententia explicatur, & probatur ex P. Augustino.*

5. **N**OSTRA sententia docet (ens rationis cum fundamento consistere in esse vero, distincto ab ente reali, & ab ente ficto.) De ente rationis chimerico non curamus, sed cum Thomistis dicimus consistere in esse ficto. Ut ergo percipias hoc medium verum inter esse reale, & esse fictum, id exponimus exemplo Thomistico. Nam Thomistæ ponentes ens rationis pro objecto Logicæ, docent, quod licet ens rationis non sit verum ens, est tamen verè scibile, quia scibilitas consistit in connexione essentiali cum proprietatibus; atqui essentialia entis rationis verè connectitur cum suis proprietatibus: ergo ens rationis est verè scibile. Hæc Thomistæ, ut vidimus lib. 1. q. 8. Quibus si reponas, an connectio illa sit vera vel ficta? Respondent esse veram. Si quæras, an sit realis, vel rationalis? Aliqui docent, quod

*De Ente rationis.*

præscindit ab utroque. Alij, quod non est realis, sed rationalis, ut sunt extrema: at non est connectio ficta, sed vera.

Ecce juxta Thomistas loquentes de scibilitate entis rationis, & de connexione entis rationis cum suis proprietatibus, datur medium verum, quod non est verum reale, nec fictum. Quod ipsi docent de scibilitate, & connexionem; dicimus nos de entitate entis rationis fundati; & nisi fallimur, majori fundamento, & minori difficultate. Nam Thomistæ hoc assertum tenentes, laborant duplici difficultate; nos autem unica. Illi duplici, quia primò tenentur ponere mediū verum inter reale, & fictum. Et secundò tenentur conciliare hæc duo, scilicet quod essentialia entis rationis sit ficta, & tamen connectio cum suis proprietatibus sit vera. Hæc enim est nova difficultas supra præcedentem, & illa major. Nos autem liberamur ab ista secunda, & consequentiū explicabimus primam.

16. Observa quod præcipua intentio Logicæ est explicare secundas intentiones, quod faciemus, ut inde, quid tenendum sit constet de alijs entibus rationis fundatis. Dicimus ergo quod semel posita cognitione directa abstrahente hominem à singularibus; tunc

*Quæst. II.*

tunc in conceptu homo resultat sine nova cognitione resultat ratio rationis ad Petrum, & Paulum, & alia individua. Quæ ratio est secunda intentio *universalis & speciei*. Hæc resultat modo, quo ratio realis similitudinis inter duo alba resultat sine nova actione distincta ab actione; quæ ponit fundamentum & terminum. Hoc modo cognitio directa ponens hominem abstractum à singularibus, ponit fundamentum proximum relationis rationis ad singularia: & sic sine nova actione resultat ratio rationis ad individua.

Et quidem, quod non sit necessaria nova actio, inde patet, quia si juxta Philosophum 5. Physicorum non datur per se motus, nec actio terminata ad relationem realem, quia est minimæ entitatis; quare sufficit actio terminata ad fundamentum ex quo resultat ratio ejusdem ad terminum. Ergo cum ratio rationis sit minoris entitatis, quam ratio realis, multò minus petit novam actionem, distinctam ab actione ponente fundamentum. Si enim novam actionem peteret ratio rationis, quam non petit realis ratio; hoc idè esset, vel quia ratio rationis est quid fictum, petens actionem fingentem, qualis non est actio

## §. IV.

ponens fundamentum: vel quia ratio realis realiter resultat; secus ratio rationis, & idè petit novam actionem. Neutra ratio convincit ponere novam actionem pro relatione rationis. Non prima ratio, quia infra probabimus relationem illam non esset fictam, sed veram. Non etiam secunda ratio, quia talis debet esse resultantia, qualis est entitas resultans: atqui entitas relationis rationis non est realis, sed vera: ergo solum petit resultantiam veram, sed non realem.

Iam verò, quod vera resultantia non petat actionem distinctam, patet: quia realis resultantia non petit novam actionem distinctam ab actione fundamenti: ergo nec vera resultantia, quæ non est realis. Patet consequentia, quia quo magis aliquid habet de realitate, magis habet de causalitate, & actione. Secundò. Quia si resultantia relationis rationis peteret novam actionem, non esset resultantia vera sed ficta; quia quod verè resultat, non fit per se, sed ratione alterius, ut patet in relatione reali. Ergo si ratio rationis resultat vera resultantia, petit novam actionem. Quod autem vera resultantia



resultantia resultet, probabitur infra, & docetur millies à D. Thoma dicente has relationes consequi ad considerationem intellectus in rebus consideratis.

17. Hinc sequuntur tria, infra probanda. Primum est, quod ens rationis non fit per cognitionem fingentem, sed per veram & abstractam naturam à singularibus. Nam fit solum fundamentaliter, ut relatio realis, hoc est per cognitionem ponentem fundamentum, hoc est naturam abstractam: sed hæc cognitio non est fingens juxta Thomistas: ergo hæc relatio rationis non fit per cognitionem fingentem.

Secundum est, quod esse illius relationis non est fictum sed verum. Hoc sequitur ex primo asserto. Quia si foret fictum, id haberet à cognitione fingente: sed ut in primo dictum est, hæc relatio habet esse fundamentaliter à cognitione directa fundamenti, quæ non est actio fingens: ergo talis relatio non habet esse fictum.

Tertium est, quod relatio illa rationis, ut existat non petit cognitionem fingentem; imò nec cognitionem actu cognoscentem relationem illam. Hoc patet ex duobus assertis datis; nam præcisè per

hoc quod ponatur fundamentum, resultat verè relatio illa rationis: sed resultando, existit: ergo cum pro resultantia non requiratur cognitio fingens, nec alia cognitio, nisi qua cognoscatur fundamentum; sequitur quod relatio illa existit independenter à cognitione fingente, & ab omni cognitione actu cognoscente relationem illam.

18. Hinc fit, quod si posito fundamento & jam relatione rationis resultante, intellectus per novam cognitionem reflexam velit cognoscere illam relationem jam existentem; hæc cognitio non facit relationem illam, sed invenit jam factam, quæ est phrasis millies repetita à D. Thoma: unde cognitio hæc reflexa non dat esse enti rationis, nec est factiva, sed ad inventiva juxta D. Thomam, & investigativa entis jam facti juxta nostrum Egidium. Unde non est actio practica, sed merè speculativa & verissima cognoscens ens rationis, ut est in se, hoc est secundum illud esse merè objectivum quod habet in conceptibus objectivis, vel in rebus consideratis.

Sententiam istam sic explicatam, putamus esse D. Thomæ, & nostri Fundat. Doct. ut patebit infra. Sumitur

tur etiam ex P. Augustino locis allegandis. Pro ea stant Vallius 1. p. Prologom. q. 3. cap. 2. Noster Villanova docens has secundas intentiones esse quid reale, & non quid fictum. *Ly reale*, sumitur pro non esse ficto, non autem pro realitate propria. Pro eadem sententia sunt noster Gerardus, & alij nostri DD. quos pro se allegat N. Villanova. Et videtur mens Arist. lib. 1. text. 6. dicentis: *Verum quidem oportet esse, quoniam quod non est, non est scire*. En ens fictum non potest sciri; maximè cum juxta Arist. & omnes, *scientia non fit nisi verorum*: ergo ut Logica sit de secundis intentionibus, istæ debent verè esse, & non consistere in esse ficto, & falso.

Addimus ante probationes, nostram sententiam aliquomodo vindicare naturam humanam, & excellentiã Logicæ. Nam cum nihil possimus cognoscere, nisi componendo, & dividendo, ex quo resultant secundæ intentiones; si istæ solum habent esse fictum; nihil possumus cognoscere sine fictionibus. Itè cum Logica sit tota de secundis intentionibus, certè tota erit de fictionibus, quod est æquè miserabile. Actandem cum omnia verba nostra sint signa ad placitum, sicut

& sacramenta sunt signa; & in talibus signis interveniat relatio rationis, nil possumus loqui sine fictionibus, nec Christus Dominus sacramenta instituit in ratione signis nisi fingendo; imò dum nobis præcepit facere Sacrosanctum Mysterium Corporis sui in sui memoriam, nobis præcepit fingere. Nostra sententia nos liberat ab his pressuris, & à tanta fictione vindicat, ostendens omnia hæc sine fictionibus subsistere. Veniamus ad probationes.

19. Probatur ergo conclusio nostra, Primò ex P. Augustino in Soliloquijs lib. 2. ubi longe, latèque disputat quid sit verum in rebus? Quidve falsum, aut fictum ex eis, quæ videntur, aut cognoscuntur? Ibi cap. 2. ait: *Quid igitur falsum, quare falsum est?* Responder: *Quod aliter se se habet, quam videtur*. Nunc sic: sed ens rationis cum fundamento, non aliter se habet, quam videtur ab intellectu, qui juxta S.P. est *oculus anime*: ergo ens rationis cum fundamento, non est falsum, aut fictum, sed verum.

Secundo ibidem cap. 5. dicit S.P. *Verum est quod ita se habet, ut cognitori videtur, si velit, possitque cognoscere*: Sed ens rationis fundatum ita se habet, ut cognitori videtur, si



si velit ipsam cognoscere: ergo ens rationis fundatum est ens verum.

Rufus, ibidem, cap. 9. ait: (Video enim tentatis quantum potuimus omnibus rebus non remansisse quod falsam jure dicatur, nisi quod aut se fingit quod non est, aut omnino esse tendit, & non est.) Sed ens rationis fundatum non se fingit ens reale quod non est; nec tendit ad esse reale, quod non est: ergo non est ens falsum, sed verum.

20. Dices: Etiam chimæra, & omne ens fictum, ita se habet ut cognitori videtur, si velit ipsam cognoscere: ergo his autoritatibus, ut à nobis explicatis, probatur etià quod chimæra est ens verum; quod satis alienum est à mente P. Augustini.

Sed contra. Quia ens fictum, idè est fictum, quia cognoscitur ut ens verum, & fingitur ad similitudinem verentis: ergo ens fictum non apparet cognitori, ut est, sed qualiter non est; & idè est fictum. v. g. cæcitas est quid fictum, dum cognoscitur tanquam quid positivum, quod non est: si tamen cognoscatur ut quid negativum, uti cognoscitur à Deo, sic non est quid fictum, sed verum; non verum positivè, sed negativè, quia non est ens positivum, sed carètia

entis: & eo modo quo est ens, est verum. Ergo ens fictum, idè est fictum, quia non apparet cognitori ut est, sed aliter ac est: quare dum apparet cognitori, se fingit esse quod non est.

De hoc ente ficto loquitur S. P. ibi cap. 17. vocans illud *inane*, de quo negat esse verum, nec posse oriri ab intellectu vero. Verba P. N. sunt hæc: (Non ergo inane verum, quia neque ab eo quod inane non est, inane fieri potest: & quod veritate caret, verum non esse, manifestum est. Et omnino quod inane dicitur, ex eo quod nihil sit, dicitur. Quomodo ergo potest verum esse quod nihil sit, dicitur: Quomodo ergo potest verum esse quod non est; aut quomodo potest esse, quod penitus nihil est? Age nunc, inane tãquam inane deseramus.) Preme verba S. P. perpende sensum non inaniter arguentis circa inane.

Ens ergo chimæricum, fictum, & sine fundamento, nihil est; inane est; & sic fictum, & veritate carens; & licèt sit ab intellectu, sit ab inani, quia sit ab intellectu fingente; & intellectus, ut fingens, inanis est. E contra ens rationis fundatum non fit ab intellectu fingente, ut infra probabimus, sed ab intellectu verè, & dire-

**Q. cognoscere:** intellectus sic inanis non est: ergo quod ab intellectu sic fit, non est inane, nec nihil: ergo aliquid: ergo verum: ergo non inane juxta P. Augustinum.

21. Dices: Nostra sententia contendit nos posse pro hac præsentì vita intelligere sine fictionibus; id insinuavimus num. 18. in fine. Sed hoc est expressè contra mentem P. Augustini: ergo de illius mente nihil probatur pro nobis, sed contra nos. Probatur minor ex P. N. lib. de Vera Religione cap. 34. ubi docet, nihil sine fictionibus posse à nobis in hoc statu cognosci. Verba ejus sunt: (Si una Roma est, quam circa Tyberim nescio quis Romulus dicitur condidisse, falsa est ista, quam cogitans fingo; non enim est ipsa, nec ibi sum modo, nam quid ibi agatur modo, utique scirem. Si unus est sol, falsus est iste, quem cogitans fingo: nam ille curricula sua certis locis, & temporibus peragit; istum verò ubi volo, & quando volo constituo.)

Prosequitur ibidem: (Si unus est ille amicus meus, falsus est iste, quem cogitans fingo: nam ille, ubi sit, nescio; iste ibi fingitur ubi volo. Ego ipse certè unus sum, & hoc loco esse sentio corpus meum;

& tamen figmento cogitationis pergo quolibet, & loquor cum quolibet. Falsa sunt hæc: nec quisquam intelligit falsa. Non ergo intelligo, cum ista contemplor, & istis credo, quia verum esse oportet, quod intellectu contemplor. Numquid fortè sunt ista, quæ phantasmata dici solent? Unde ergo impleta est anima mea illusionibus? Vbi est verum, quod mente conspicitur? Ecce nihil intelligimus, nisi medijs fictionibus, nec hoc negari potest, ut experientia ipsa convincit; sed dolendum, inter miserasque hujus vitæ cū S. P. computandum.

22. Respondemus nostram sententiam non procedere de his fictionibus, quas omnes tenentur concedere, sed de alijs, supra istas fundatis. S. Parens loquitur hic de speciebus quæ nobis representat objecta, quæ cognoscimus: istæ species vocantur phantasmata recepta per sensus de rebus, quæ videmus, aut quomodo sentimus; & sunt imagines quædam, intrantes per sensus externos, quæ intra phantasiam disponuntur, & denudantur à materialitate, ut sic spiritualizata uniantur intellectui nostro, & fiat cognitio illius objecti, ut docet S. P. libro laudato cap. 10. dicens: (Phantasmata por-

rò nihil sunt aliud, quàm de specie corporis corporeo sensu attracta figmenta, quæ memoriæ mandare &c.) Et lib. 10. de Trin. cap. 11. ait: (Et quemadmodum per sensum discimus corpora, sit eorum aliqua similitudo in animo nostro, quæ phantasia memoriæ est: non enim omninò ipsa corpora in anima sunt, cum ea cogitamus, sed eorum similitudines.)

Istæ similitudines sunt nobis necessariae ad cognoscenda objecta. Ratio est, quia intellectus nequit cognoscere nisi objectum sibi unitum; *ab objecto enim & potentia paritur notitia*, ut docet S. P. & cum eo omnes DD. Sed res corporales, & quæ extra nos sunt, non possunt per se ipsas uniri nostro intellectui: ergo debet supplere defectum istum species, vel similitudo aliqua objecti, quæ ideò dicitur *objecti vicaria*, quia gerit vices illius. Hæc species intrat per sensus, quia juxta Philosophum *Omnis cognitio nostra incipit a sensu*: Et quia per sensus non intrat objectum reale, sed imago ejus; ideò dicit P. Augustinus, quòd hæc imago, aut hoc phantasma, non est verum objectum, sed figmentum: sicut imago picta hominis, non est verus homo, sed *figus*.

Ceterum observa cum P. Augustino discrimen inter imagines mentales, & externas. Nam imago externa non est tam bona, quàm imaginatum: unde homo pictus inferior est homine vero, nam iste vivit, imago est insensibilis & mortua. Ceterum imago mentalis objecti est melior sapè ipso objecto, quia lapis in se nec vivit, nec est in vivente. Ceterum imago lapidis mentalis est in anima, quæ vivit; ita loco laudato de Trinitate: (Melior est tamen imaginatio corporis in animo, quàm illa species corporis (intellige de specie extra animam): in quantum hæc in meliore natura est id est in substantia vitali, sicut animus est.)

Vtraque imago mentalis, & externa, est quid reale apud omnes; de pictura patet; de mentali specie etiam, cum habeat esse in intellectu *subjectivè*, & ipsi inhæreat *physicè*, unita intellectui. Quare non est ens rationis, nec esse fictum, de quo est questio nostra. Dicitur tamen figmentum propter duas causas. Primò, quia non est entitativè id quod apparet, sed representativè: entitas enim picturæ non est entitas hominis representati; at est representatio hominis, & sic est representativè homo, Secundò, quia hæc imago fit

à nobis, & quod fit, dicitur fingi; ita docet S. P. in expositione Psalmi 93. ad illa verba (Qui fingis laborem in præcepto. Supra quæ ait: Fingis enim est facis, formas, plasmas: unde & figuli dicuntur, & vas fictile dicitur.)

21. Igitur ad verba S. P. in replica posita, cujus occasione hæc explicata sunt; dicimus, non esse contra nos. Primò, quia ibi S. P. arguit contra Idolatras, adorantes sua phantasmata, & imagines, quas habent in mente, in quo errant contra Religionem; ita ait libro laudato cap. 10. (Quamobrem sit tibi manifestum, atque perceptum, nullum errorem in Religione esse potuisse, si anima pro Deo suo non coleret animam, aut corpus, aut phantasmata sua, aut horum aliqua duo conjuncta, aut certè simul omnia.) Qui enim adorat pro Deo suo illud phantasma, quod habet, dum cogitat Deum; ille est idolatra, adorans non Deum, sed figmentum; quia phantasma illud non est Deus; sicut nec phantasma solis est sol, nec imago Romæ est Roma &c.

Error iste consistit in eo, quòd approbat imaginem pro imaginato. Quare loco laudato de Trinitate, postquam dicit nos cogitantes corpora,

non habere intra animam corpora cogitata, sed eorum imagines, subdit: (Itaque cum eas pro illis approbamus, erramus. Error namque est pro alio alterius approbatio.) Hinc sequitur (omisso errore idolatriæ, de quo Theologi) nos verè cognoscere objecta in hac vita, licet fiat per species, & imagines, à nobis formatas; quia illæ sunt naturalis, vel intentionalis similitudo objecti, ut videbimus ex D. Thoma: sed cavendus est error, quo possumus errare, putando hanc similitudinem esse ipsum objectum cognitum. Non enim est tale, sed est similitudo ejus, ducens nos in cognitionem prototypi.

24. Ex dictis vides replicam non esse contra nos, qui contendimus excludere fisiones logicas, non autem fisiones animasticas, ab omnibus admittas. Figmenta phantasia, sunt fisiones animasticæ, vel similitudines objectorum intentionales, quæ non sunt quid rationis, sed reale; & dicuntur fictæ, hoc est formatæ ab intellectu nostro. De his certum est, necessarias esse ad cognoscendum, non solum nobis, sed Angelis; quia solus intellectus Divinus cognoscit omnia in sua essentia, ubi verius habet esse, quàm in seipsis. Quare Angelis, &

homines, cognoscunt res per species distinctas à rebus, quæ sunt quid reale, sed sunt imago objecti, non ipsum objectum, nec in eis objectum habet verius esse, quàm in se.

Ceterùm ultra istam fictionem animasticam, ponit communis sententia aliam fictionem logicam, quæ est propriè fictio, quia est quoddam ens non reale, ut est species, sed purè fictum, quod non est imago alicujus entis realis, sed concipitur, & approbatur, ac si esset reale: quare v. g. concipit privationem ut quid positivum, cum tamè tenebræ, aut cæcitas non sint quid positivum, nec imago alicujus positivi, sed mera carentia lucis, & visus. Hoc concipere, quid logicè fictum est & error juxta P. Augustinum quia approbatur unum pro alio, scilicet quod non est ens pro ente, quod non est quid positivum pro positivo. Contra has fisiones invehitur sententia nostras; nec contra nos, sed pro nobis est P. Augustinus laudatus.

## §. V.

*Probatur nostra sententia ex D. Thoma, & B. Egidio.*

**N**ostra conclusio ex D. Thoma prolixius pro-

*De Ente rationis.*

banda est, quoniam disputatio cum Thomistis, non aliū judicem, quàm Angelicum permittit, & libentissimè ad tam securum veritatis tribunal properamus causam nostram dicuri. Sit prima auctoritas ex D. Thoma Opusc. 42. cap. 8. ubi distinguit inter entia rationis logica, & entia ficta per hæc verba: (Cum autem formatio generis, & speciei, quæ est actio intellectus, non sit fictitia, sicut est, quando fingit non entia, ut montem aureum, cui nihil respondet extra in re &c.) En S. Doctor vocat fictitiam actionem fictivam montis aurei, & negat esse fictitiam actionem formativam generis. Rursus dicit actionem fingere montem aureum; non tamen dicit actionem fingere genus & speciem, sed formare.

Nunc sic. Actio intellectus fingens montem aureum, non est fictitia in se *subjectivè*, quia est cognitio realis, & ens reale, ut patet: quare est fictitia *terminativè effectivè, aut casualiter*, quatenus activè fingit esse montis aurei, efficit illud esse fictū & ad esse fictū terminatur. Sed actio formativa generis, & speciei non est hoc modo fictitia juxta D. Thomam: ergo esse generis, & speciei, & cujuscumque secundæ intentionis logicæ, non est esse fictum,

*Quæst. II.*

Etum, nec à cognitione fingente, nec terminat cognitionem fingentem.

Secundò: Actio dans esse secundis intentionibus, est juxta D. Thomam formativa; actio dans esse chimeræ, est fingens, aut fictiva: quando intellectus dat esse generi, aut speciei, format; quando dat esse monti aureo, fingit: sed esse acceptum, est tale, qualis actio dans esse: ergo juxta D. Thomam esse chimeræ est fictum; esse verò secundarum intentionum est esse formatū, & verum.

26. Secundò probatur conclusio ex D. Thoma, qui semper, ac loquitur de ente rationis sine fundamento, dicit esse fictum, & fingi. Quando verò loquitur de secundis intentionibus logicis, nunquā dicit esse fictas, aut fingi, sed consequi ad nostrum modum potentialem cognoscendi, & inveniri à nostro intellectu in rebus consideratis. At hoc indicat expressissimè, S. Doctorem sentire entia rationis chimerica consistere in esse ficto; secus entia rationis logica: ergo nostra sententia est expressa in D. Thoma. Major non melius ostenditur, quàm allegando loca, & verba D. Thomæ pro ente sine fundamento & pro intentionibus logicis.

Pro ente sine fundamento Opusc. 42. cap. 1. ait: (Ens autem est objectum intellectus primum, eum nihil possit sciri, nisi secundum quod est ens actu, ut dicitur 9. Metaphysica. Unde nec oppositum ejus potest intelligere intellectus, non ens scilicet, nisi fingendo ipsum ens aliquomodo, quod cum intellectus apprehendere nititur, efficitur ens rationis &c.) En fictio entis rationis. Et observa quod istis verbis probant Thomistæ omne ens rationis esse fictum, ut vidimus num. 11. Ceterùm D. Thomas non loquitur hic de omni ente rationis, sed de chimerico, quia loquitur de ente formato ab intellectu, quando vult cognoscere non ens, ut in verbis S. D. patet: sed intellectus cognoscens non ens, nullum habet fundamentum in re, ut cognoscat illud ut ens, quia non ens, est negatio entis, & negatio nullum dat fundamentum ut cognoscatur per modum entis positivi: ergo hæc est sermo de ente sine fundamento.

Secundò id constat ex verbis datis num. 25. ubi S. Doctor actionem, qua fingimus montem aureum, vocat fictitiam, & dicit tale ens fingi, quia nihil ei respondet in re extra. Quod exemplum, & ratio doctrinæ, satis indicant ipsum

ipsum loqui de ente non fundato, de quo dicitur expressè habere esse fictum. Idè docet eodem Opusc. 42. cap. 7 de privatione, & negatione quæ in se sunt *non ens*, & non habet essentiam, quæ est principium existendi. Quæ verba infra expendemus ad probandum de mente D. Thomæ, quod privatio, & negatio non sunt entia rationis fundata, cujus contrarium docetur à R.R. & breviter hinc confirmatur, Nam S. Doctor dicit montem aureum fingi ens, quia nihil respondet ei in re: sed negationi, & privationi nihil in re respondet, quia in re sunt *non ens*: ergo finguntur, dum concipiuntur ut ens; & sine ullo fundamento.

27. Pro ente cum fundamento & secundis intentionibus audi D. Thomam 4. Metaphysicæ lect. 4. ubi ait: (Ens rationis propriè dicitur de illis intentionibus, quas ratio adinvenit in rebus consideratis, ut intentio generis, speciei, & similium, quæ quidem non inveniuntur in rerum natura, sed considerationem rationis consequuntur.) Nota ly adinvenit, & perpende ly consequuntur. Item 1. p. q. 28. ar. 1. ad 4. Relationes quæ consequuntur solâ operationem intellectus in ipsis rebus intellectis, sūt relationes rationis tā-

tum, quia scilicet eas ratio adinvenit inter duas res intellectas. Item in 1. Sent. dist. 2. q. 1. art. 3. (Aliquando hoc quod significat nomen, non est similitudo rei existentis extra animam, sed est aliquid, quod consequitur ex modo intelligendi rem, quæ est extra animam, & hujusmodi sunt intentiones, quas intellectus noster adinvenit, sicut significatum hujus nominis, genus.)

Rursus Opusc. 42. cap. 4. eadem verba habet, ac allegata ex 4. Metaphysicæ. Et q. 1. de Potentia. art. 1. ad 10. & de Ente & Essentia cap. 4. & uno verbo, semper ac D. Thomas loquitur de entibus fundatis, præcipuè de secundis intentionibus logicis, nunquam dicit esse fictas, sed adinventas ab intellectu, & quod consequuntur res intellectas. Imò de chimæra, & ente non fundato, negat consequi ad considerationem nostri intellectus. En verba loco laudato: Sent. (Aliquando vero id quod significatur per nomen, non habet fundamentum in re, neque proximum, neque remotum, sicut conceptio chimæra, quia nec est similitudo alicujus rei extra animam, neque consequitur ex modo intelligendi rem aliquam naturæ. Et ideo ista conceptio est falsa.)

Habemus ex allegatis de mente

mente D. Thomæ, quod ens rationis sine fundamento non consequitur considerationem nostri intellectus; nec intellectus id adinvenit in rebus consideratis, sed fingitur, & fit ab intellectu actione fictitia. Quare ejus esse consistit in esse ficto. A contrario secundæ intentiones logicæ sunt ens rationis, de quo nunquam dicitur fingi, sed consequi considerationem intellectus, & adinveniri in rebus consideratis. Ergo juxta D. Thomam esse secundarum intentionum non est fictum, imò nec formaliter factum, sed consequutum ad res consideratas, hoc est resultans ex rebus consideratis, & in eis adinventum ab intellectu reflectente; unde est esse verum cōtradistinctum à ficto; & quoniam est solum in rebus consideratis, est verum distinctum ab ente reali physico, ut tenet conclusio nostra.

28. Probatur 3. conclusio nostra ex D. Thoma. Si secundæ intentiones forent ens fictum, solum æquivocè convenirent cum primis intentionibus, quæ sunt ens verum: sed juxta D. Thomam non conveniunt æquivocè, sed analogicè: ergo juxta D. Thomam secundæ intentiones sunt ens verum. Major patet, nam ratio entis in ente ficto non

reperitur, & sic non est analogica, quia deberet reperiri in omni analogato. Minor probatur juxta D. Thomam 1. Sent. dist. 1. q. 1. art. 3. (Sapientia non dicitur æquivocè de Deo, & creatura, aliàs sapientia creata non duceret in cognitionem sapientiæ increatæ; & similiter de potentia, & bonitate: ) Sed juxta D. Thomam secundæ intentiones ducunt in cognitionem primarum: ergo veritas non dicitur æquivocè de primis, & secundis intentionibus, unde non conveniunt æquivocè, sed analogicè.

Minor hæc probatur expressis verbis D. Thomæ Opusc. 56. in fine ubi ait (Veruntamen quia hujusmodi secundæ intentiones communes sunt omnibus entibus, idè Logica est communis omnibus scientijs; & potest arguere in qualibet scientia. Nam secundæ intentiones ducunt in cognitionem primarum, in quantum fundatæ sunt in eis; ita quod per istam intentionem, quæ est species, possum cognoscere hominem non in quantum homo, sed in quantum de pluribus differentibus numero prædicatur; & sic per alias intentiones alias species aliarum scientiarum.) Ecce secundæ intentiones ducunt in cognitionem primarum;

rum; & sic cum eis conveniunt analogicè.

29. Probatur 4. conclusio nostra ex D. Thomæ Opusc. 56. in fine, ubi expressè ponit secundas intentiones logicas in genere entis, & dicit participare rationem entis, & veri, etsi minimum in tali genere. En verba S. Doct. (Inter omnia genera entium, entia, quæ sunt in anima, minus participant de entitate, ut patet in multis locis ab Arist. & alibi declarabitur: ergo minus participant de veritate, & quia eorum certitudo est veritas, ad plenum sciri non potest nisi per primas intentiones: nam nunquam fuisset cognita hominis intètio, quæ est species, nisi cognito quòd homo, secundùm quòd intellectus, participabilis erat à pluribus differentibus solo numero, à quo accipit anima hanc intentionem, quæ est species.) Hæc S. Doct.

Vbi plura observa. Primò quòd dicit secundas intentiones esse in genere entis, & veri, & participare entitatem, & veritatem. Ex quo sequitur quòd ratio entis, & veri est analogica, & non æquivoca ad ens reale, & secundas intentiones, ut arguebamus num. 28. Secundò expressè infertur secundas intentiones non consistere in esse ficto.

Nam ens fictum nequit adhuc minimum participare de ente vero, nec esse in genere entis, & veri: sed juxta D. Thomam secundæ intentiones sunt in genere entis veri, & participant, licèt minimum, rationem entis & veri: ergo non consistunt in esse ficto. Tertio dicit quòd intellectus accipit secundam intentionem ab homine cognito, nō dicit quòd illam fingit, aut facit, sed accipit, quia, ut supra vidimus, eam adinvenit in rebus consideratis; & nemo facit, aut fingit quòd adinvenit, sed accipit, ut apparet in eo, qui adinvenit thesaurum.

30. Confirmatur. Quod est accidens adveniens rei, est ens verum, & non fictum; sed secundæ intentiones juxta D. Thomam sunt accidentia, quæ adveniunt rei: ergo sunt ens verum, & non fictum. Major patet in quantitate, qualitate, & alijs accidentibus. Minor probatur; juxta D. Thomam dantur duo accidentia vera, unum quòd advenit rei, ut extra animam; aliud quòd advenit rei ut intellectæ; illud est accidens physicum; hoc est accidens intentionale. En verba S. Doct. lib de Ente, & Essentia cap. 4. (Si ergo patet qualiter essentia vel natura se habet ratione speciei; quia ratio speciei non est de illis,

quæ

quæ conveniunt ei secundùm suam absolutam cōsiderationem; neque de accidentibus, quæ consequuntur ipsam secundùm esse, quòd habet extra animam, ut albedo, & nigredo; sed est de accidentibus, quæ consequuntur eam secundùm esse quòd habet in intellectu, & per hunc modum convenit sibi ratio generis, vel differentia.)

Hinc observa quāto fundamento doceat N. Villanova secundas intentiones logicas esse quid reale intentionale. Nā D. Thomas hinc expressè affirmat eas esse accidentia quæ sequuntur ex rebus consideratis & illas afficiunt, sicut albedo, & nigredo sequuntur ad res extra animam, & illas sic afficiunt: sed albedo, & nigredo sunt accidens reale physicum; ergo secundæ intentiones sunt accidens reale intentionale. Nos hoc nomine nō utimur ad distinguendas secundas intentiones ab entibus intentionalibus, quales sunt colores in aère, & alia, quæ habent esse subjectivum reale intentionale. Hoc non habent secundæ intentiones logicæ, sed purè objectivum; ergo non sunt hoc modo entia realia intentionalia. Sunt vera entia intentionalia quæ habent esse minimum in genere entis veri, ut docet D.

Thomas, quare minus habent de esse, quàm colores in aère.

31. Ut ergo amplius videas quòd hæc ratio entis, & veri, quam S. Doctor agnoscit in secundis intentionibus, non est in ente ficto, nec in negationibus, & privationibus, audi ipsum libro laudato de Ente & Essentia cap. 1. ubi ait: (Scientiam, quòd sicut in 5. Metaphysicæ Philosophus ait, ens per se dicitur dupliciter. Vno modo quòd dividitur per decem genera; alio modo quòd significat propositionum veritatem. Horum autem differentia est, quia secundo modo potest dici ens omne illud de quo affirmativa propositio formari potest, etiam si illud in re nihil ponat; per quem modum negationes & privationes entia dicuntur. Dicimus enim quòd affirmatio est opposita negationi, & quòd cæcitas est in oculo. Sed primo modo non potest dici aliquid quòd sit ens, nisi in re aliquid ponat. Unde primo modo cæcitas, & hujusmodi non sunt entia.)

En privatio nihil ponit, nec in re extra, nec in re considerata, dum hominem affirmas cæcum, non in re extra, quia cæcitas est nihil, & ca-

rentia

rentia visus. Non in re considerata, quia illa propositio est vera; quod non esset, si cecitas affirmata poneret aliquid in homine considerato, quia tunc non esset conformis objecto extra animam. Unde solum privatio vocatur ens enuntiativè, ut dicit veritatem propositionis. At secundæ intentiones juxta D. Thomam laudatum ponunt aliquid in re considerata, cujus sunt accidentia; & sic sunt de genere entis, quod dividitur in decem prædicamenta, & pertinent ad prædicamentum relationis, ut videbimus ex S. Doctore: ergo juxta D. Thomam esse secundarum intentionum est esse verum, medians inter reale, & fictum, & adæquatè distinctum ab utroque extremo.

32. Tandem probatur conclusio nostra ex D. Thoma lib. de Ente & Essentia cap. 4. ubi explicationem nostræ sententiæ plenè adducit, & eam confirmat his verbis: (Relinquitur ergo, quod ratio speciei accidat naturæ humanæ secundum illud esse, quod habet in intellectu. Ipsa enim natura habet esse in intellectu, abstractum ab omnibus individuantibus, & habet rationem uniformem ad omnia individua, quæ sunt extra animam, prout essentia-

liter est imago omnium, & inducens in cognitionem omnium in quantum sunt homines: & ex hoc quod talem relationem habet ad omnia individua, intellectus adinvenit rationem speciei, & attribuit sibi. Unde dicit Commentator 1. de Anima, quod intellectus est, qui facit universalitatem in rebus: hoc etiam Avicenna in suæ Metaphysicæ octavo dicit.) Idem docet Opusc. 48.

En modus, quo fit universale, & fit in homine secunda intentio speciei. Cognoscit intellectus cognitione directa præcisiva naturam humanam abstractam à singularibus. Hæc actio non est fingens, nec rei aliter ac est, sed rei ut est essentialiter, præscindendo à singularitate. Hæc naturam humanam, sic abstracta, est fundamentum relationis ad Petrum, Paulum, & alios homines. Et hæc ratio resultat sine nova actione, ut diximus num. 16. & hic docet D. Thomas, imò & probat. Quia natura sic abstracta, est essentialiter imago omnium hominum, & ducit in omnium cognitionem: sed imago, ut talis, dicit relationem ad imaginatum; alias non duceret in cognitionem ejus: ergo præcisè ex vi abstractionis à singularibus, habet naturam abstractam relationem ad individua. Hæc

33. Hæc ratio naturæ abstractæ ad individua est formaliter ens rationis, & secunda intentio, quam intellectus, quando persequentem cognitionem reflexam considerat, non facit, sed invenit factam; & eam vocat secundam intentionem universalis, & speciei, quam verissimè attribuit naturæ abstractæ. Quod illa ratio sit ens rationis, patet, quia natura abstracta non differt realiter à singularibus, de quibus est prædicabilis per identitatem cum illis: sed inter extrema identificata non datur relatio realis, sed rationis: ergo illa relatio est ens rationis. Quod autem sit etiam secunda intentio universalis, & speciei patet; quia universale est unam potens esse in multis, & prædicari de multis. Sed natura hominis abstracta est una; & vi relationis ad individua respicit singularia in quibus potest esse, & de quibus potest prædicari: ergo natura abstracta, vi illius relationis est universalis, & speciei; unde illa relatio est secunda intentio.

Hanc secundam intentionem non facit intellectus, sed adinvenit factam juxta D. Thomam, quia intellectus, dum secundam cognitionem considerat naturam à se abstractam per primam cognitionem, videt

jam in natura abstracta relationem illam, ut probatum est: ergo hæc secunda cognitio reflexa non est practica, aut factiva, sed speculativa, & adinventiva relationis, jam factæ. Quare relatione illa sic inventa, eam vocat secundam intentionem vel generis, vel speciei, vel differentie, modo quo fuerit relatio, & attribuit naturæ abstractæ per actualem prædicationem sic, *Homo est species. Animal est genus. Rationale est differentia &c.*

Hinc facilè intelliges juxta nostram sententiam phrasim perpetuam D. Thomæ dum loquitur de secundis intentionibus. Dicit enim quod *consequuntur res consideratas. Quod consequuntur ad nostram modum intelligendi. Quod consequuntur nostram considerationem.* Et postea dicit, quod *ratio nostra illas adinvenit in rebus consideratis*, ut vidimus num. 27. Est sensus clarus, quia relatio rationis naturæ abstractæ resultat ex vi solum quod natura abstrahatur; nec ut resultet est necessaria alia actio, quam cognitio directa cognoscens naturam sine singularitate. Postea si intellectus per novam cognitionem reflexam cognoscat naturam à se primò consideratam, invenit non solum naturam, sed relationem



illam, jam resultatam; quam dicit ad singularia, ut imago eorum. Quo vides nostram sententiam plenè esse D. Thomæ, omnem excludere fictionem, & veras esse omnes sequelas, notatas num. 17. & seqq.

34. Hactenus actum est de secundis intentionibus universalis, generis, speciei, differentia, proprii, & similiū, quæ fundantur immediatè supra res consideratas; unde fundantur immediatè supra ens reale. Quæres fortassis, quid dicendum sit de secundis intentionibus, quæ fundantur supra ens rationis, vel supra alias secundas intentiones? An etiam istæ resultent sicut illæ, & quomodo? sit exemplum. Habemus in conceptu *homo secundam intentionem speciei*, & in conceptu *animal secundam intentionem generis*, istæ jam explicatæ sunt: ceterum si fiat hæc prædicatio *homo est animal*, ly *homo* habet secundam intentionem subiecti, & ly *animal* secundam intentionem prædicati. De his intentionibus, quæritur quomodo fiant, & in quo consistat esse earum?

Thomistæ communiter docent has intentiones subiecti, & prædicati, esse entia rationis distincta à secundis intentionibus generis, speciei, &

dicunt etiam quòd fundantur istæ intentiones supra illas; quare distinguunt duo entia rationis, unum quòd immediatè fundatur supra quid reale, & tales sunt intentiones universalis, generis: & aliud quòd fundatur immediatè supra aliud ens rationis, sicut intentio subiecti, prædicati, mediij, extremitatis, & similitium, quæ fundantur supra intentiones generis, speciei & immediatè, & mediatè fundantur supra ens reale, quòd est immediatum fundamentum intentionum generis, & speciei.

35. Si teneas hæc sententiam dices, quòd per cognitionem directam abstractivam naturæ, solum resultat secunda intentio generis, speciei, & similitium. Vt ergo resultet secunda intentio subiecti, & prædicati, mediij &c. necessaria est alia cognitio comparativa, & actualiter prædicativa unius de alio, & dicente *homo est animal*, vel quid simile. Ratio est, quia per cognitionem merè abstractivam animalis ab homine, & equo, solum habet *animal* quòd possit prædicari, non autem habet quòd actu prædicetur. Sed secunda intentio prædicati convenit animali ex eo quòd actu prædicetur: ergo solum convenit animali per cognitionem actu præ-

prædicativam, non autem per cognitionem abstractivam animalitatis, ab inferioribus.

Et confirmatur. In hæc prædicatione *homo est animal*, ly *animal* est prædicatum, quatenus dicit determinatè relationem rationis ad *hominem*, qui est subjectum: sed per cognitionem merè abstractivam animalis ab inferioribus, ly *animal* non dicit determinatè relationem ad hominem, sed indifferenter refertur ad hominem, equum, leonem, & alia animalia: ergo per cognitionem primam abstractivam non resultat secunda intentio prædicati, aut subiecti, sed debet resultare ex nova cognitione comparativa, & prædicativa.

36. Iuxta hæc viam dicendum est in nostris principijs, quòd sicut cognitio abstractiva *animalis* ponit fundamentum ex quo resultat relatio generis ad inferiora; ita cognitio comparativa & prædicativa ponit fundamentum ex quo resultat relatio animalis determinatè ad hominem, qui est subjectum. Quare dum intellectus reflectitur supra propositionem, in qua unum prædicatur de alio, invenit relationem subiecti ad prædicatum, & prædicati ad subjectum, quas non facit, sed invenit factas, aut resultat

per primam actionem, ponentem fundamentum, quæ fuit actio prædicativa. Vnde eodem modo philosophandum est, ac dicebamus de intentionibus generis, speciei &c.

Observandum ex D. Thoma 4. Metaphysicæ lect. 4. & Opusc. 42. cap. 4. Quòd dato, quòd secunda intentio subiecti, & prædicati, sit ens rationis distinctum à secundis intentionibus generis, speciei, & similitium, istæ magis habent de entitate, quàm intentiones subiecti, & prædicati. Quare ens rationis quòd est quid commune ad omnes hæc secundas intentiones, proprius convenit intentionibus generis, speciei &c. quàm intentionibus subiecti, & prædicati, quare est ratio communis analoga ad tales intentiones. Id docuit D. Thomas loco laudato dicens: (Ens rationis propriè dicitur de illis intentionibus &c. ut intentio generis, speciei & similitium.) Nota ly *propriè*, ut videas, quòd licet secundæ intentiones subiecti, prædicati, mediij &c. nō sint improprie entia rationis, nec quid fictum, non tamen sunt ita propriè ens, sicut intentiones generis, speciei, & similitium.

Hujus ratio data est à nobis ex nostro Egidio q. 1. hujus libri num. 10. Quia scilicet,



licet quò magis secundæ intentiones appropinquant enti reali, eò magis habent de-cantitate: sed secundæ intentiones generis, speciei &c. fundantur immediatè supra res reales consideratas; & secundæ intentiones subjecti, prædicati &c. non fundantur immediatè, sed mediatè supra reales naturas consideratas: ergo licet omnes intentiones istæ habeant esse verum, at minus habent de esse, & de veritate secundæ intentiones immediatè fundatæ supra alias secundas intentiones.

37. Licet sententia explicata de mente Thomistarum sit probabilior, & communi sensui conformior, potest tamen dici quòd secunda intentio subjecti & prædicati, non est distinctum ens rationis à secundis intentionibus generis, speciei, sed quòd per eandem relationem rationis, per quam natura abstracta hominis v.g. est species prædicabilis, actu prædicatur, & est actu prædicatum sine nova relatione superaddita. Hoc explicabimus unicè ad exercenda ingenia incipientium, non tamen assertivè, quoniam primus modus Thomistarum explicatus verissimus est.

Dicimus quòd natura hominis abstracta, ex vi abstractionis duas habet rela-

tiones rationis, unam ad Petrum, Paulum &c. quorum est essentialiter imago; ut vidimus ex D. Thoma num. 32. aliam ad naturam animalis, similiter abstractam, cujus etià est imago essentialiter. Hujus ratio est, quia conceptus *homo* est imago omnium, in quo datur natura humana, vel pars naturæ humanæ; in Petro, Paulo &c. datur tota natura humana: in animali abstracto datur pars naturæ humanæ; quare conceptus *homo* repræsentans naturam humanam, repræsentat animalitatem, & rationalitatem; quare est imago Petri, & Pauli, ac est imago etiam animalitatis: ut imago dicit relationem rationis ad imaginatum: ergo dicit relationem rationis ad animalitatem, & ad Petrum, & Paulum. Hæc secunda est relatio speciei prædicabilis; illa prima est relatio speciei subjicibilis: per hanc *homo* potest esse *subjectum*; per illam potest esse prædicatum. Hæc certa videntur.

38. Nunc sic. Per illud potest *homo* esse prædicatum, per quod est prædicabile; & per illud potest actu esse *subjectum* per quod est actu species subjicibilis: sed ex vi solius abstractionis ab inferioribus habet conceptus *homo* relationem rationis, qua

est

est species subjicibilis, & species prædicabilis: ergo per hæc relationem, sine nova relatione, aut secunda intentione addita potest esse actu *subjectum*, & actu prædicatum. Consequentia tenet, minor patet ex dictis, & major videtur certa, quia esse speciem prædicabilem, est posse actu prædicari, & esse speciem subjicibilem, est posse actu subjici: sed actu subjici est esse actu *subjectum*; & posse actu prædicari est posse actu esse prædicatum: ergo per illud &c.

Confirmatur. Posito quod requiritur, ut fundamentum possit actu referri, ponitur quidquid requiritur ut fundamentum actu referatur: ergo posito quod requiritur, ut fundamentum, vel conceptus actu possit subjici, & prædicari, ponitur quidquid necessariū est ut actu prædicetur, & subjiciatur. Antecedens patet, quia essentia relationis consistit in actuali exercitio referendi, & sic positus requisitis ad posse, ponuntur ad actu referri. Consequentia autem probatur, quia esse prædicabilem, aut subjicibilem, est relatio formaliter, & de genere relativo, quare arguitur in paritate à subalternante ad subalternatam, sicut dum dicitur *animal est sensibile*; ergo

*vale animal est sensibile.*

39. Nec urgent motiva contraria, posita num. 35. Ad primum dici potest, quòd secunda intentio prædicati potest considerari *exercitè*, & *signatè*. Per cognitionem abstractivam habet *animal* secundam intentionem prædicati *signatè*; non autem *exercitè* usque dum actu prædicetur. Ceterum intentio prædicati exercita, & signata, non sunt duæ intentiones, sed una, sicut relatio signata, & exercita non sunt duæ relationes, sed unica. Posse prædicari actu est esse prædicatum *signatè*; actu prædicari est esse prædicatum *exercitè*: sed probatum est quòd actu prædicari non est relatio distincta à relatione qua potest actu prædicari: ergo relatio prædicati exercita, non est distincta à relatione prædicati *signata*.

Ad confirmationem dici potest majorem esse falsam: quia in hac prædicatione *Petrus est homo*, *ly homo* retinet universalitatem, ut lib. sequenti dicemus cum communi sententia. Imò apud omnes hæc prædicatio est superioris de inferiori. Sed *ly homo* non est superior ad Petrum, nisi dicat etiam relationem ad Paulum, & alios: ergo *ly homo* in actuali prædicatione non dicit relationem determinatè

ad

ad Petrum, sed indifferentem ad omnes, modo quo ante prædicationem.

Responderetur 1. dist. maj. *ly animal* est prædicatū, quatenus dicit relationem determinatē ad hominem, relationem distinctam à relatione quam dicebat in statu abstractionis, nego maj. relationem eandem, cum modificatione, & determinatione orta ab actuali prædicatione, concedo maj. & concessa min. dist. consequens, intentio signata, nego consequentiam, intentio exercita, concedo consequentiam. Hic negamus relationem prædicari esse distinctam à relatione prædicabilis: argumentum non probat distinctas relationes, sed unam cum differentijs indifferentiæ, & determinationis. Hæc determinatio oritur ex actuali prædicatione, sed non est nova relatio, sed determinatio præcedentis. Sicut Pater eadem relatione respicit plures filios, moriantur omnes uno excepto, tunc dicit relationem ad unum superstitem; non relationem distinctam à prima, sed eandem, determinatam tamen ab extrinseco, scilicet à causis tollentibus alios filios. Ita suo modo in casu nostro: de quo satis.

40. Quæres: Quid dicendum sit in hæc prædicatio-

ne *animal est homo*? Item in ista *Petrus est lapis*? Ratio dubitandi est quòd *homo* abstractus non dicit relationem prædicabilis ad *animal*, quod est superius, sed ad inferiora, scilicet Petrum, Paulum &c. Itē *lapis* abstractus solum dicit relationem prædicabilis ad hunc, vel illum lapidem, quorum est essentialiter imago; non autem ad Petrum, Paulū & quorum imago non est: ergo dum fiunt tales prædicationes, & resultat in homine relatio prædicati, sicut & in lapide; debet causari nova relatio prædicati, quæ non erat in conceptibus *homo*, & *lapis*, abstractis.

Respondeo concedendo consequentiam ob rationem datam. Cui addimus quòd istæ novæ relationes prædicati sūt ens rationis sine fundamento; & earum esse est esse fictum; & actus intellectus sic prædicans est falsus, & fingens. Totum constat ex nostris principijs, quæ breviter insinuabo, citans loca, ubi doctrina data est.

Dicimus primò, quòd istæ relationes sunt sine fundamento in re. Ratio est, quia secunda intentio prædicati fundatur supra intentionem prædicabilis, & media illa supra rem abstractam, & media abstractione supra rem ut existētem

rem extra intellectum; ita diximus cum Thomistis num. 34. sed *homo* non habet intentionem prædicabilis de animali, sed de suis inferioribus: nec *lapis* habet intentionem prædicabilis de Petro, sed de hoc, vel illo lapide: ergo dum actu prædicatur *homo* de animali, & *lapis* de Petro, istæ intentiones prædicati non habent fundamentum: & sic sunt entia rationis sine fundamento.

Dicimus secundò tales intentiones prædicati habere esse fictum. Hoc constat ex toto isto §. ubi probatum est, quòd ens rationis sine fundamento habet esse fictum; sed ex primo dicto constat, in eis propositionibus prædicata non habere intentiones fundatas: ergo esse talium intentionum est esse fictum.

Dicimus tertio: Actum intellectus sic prædicativum esse falsum, & fingentem. Vtrumque est idem. Sed de fictione constat, quia tale esse fictum non resultat, sed fit ab intellectu, ut hoc §. ostensum est, præcipuè ex D. Thoma num. 25. sed esse intentionis prædicati in dictis propositionibus est fictum, ut patet ex secundo dicto: ergo actio sic prædicativa est fictitia. Iam verò quòd etiam sit falsa patet ex dictis lib. 1. q.

8. §. 6. à num. 27. ubi explicata est veritas directa, & veritas reflexa. Vide ibi dicta, ex quibus colliges, quòd hæc propositio *animal est homo*, est falsa falsitate reflexa. Hæc autem *Petrus est lapis*, est falsa falsitate directa. Quare doctrina data de objecto logicæ, & quæ hic datur de constitutivo secundarum intentionum, colligata est, & mutuo se confirmant.

41. De mente N. Fundatissimi Doct. constat ex dictis hoc lib. q. 1. §. 1. & 2. ubi entia rationis explicata sūt ferè verbis Doctoris nostri. Vide Beatorum Doctorem locis ibi notatis, & præcipuè 1. Sent. dist. 30. q. 1. art. 3. ubi intentiones logicas, quas D. Thomas dicit inveniri ab intellectu, dicit N. Egidius esse, (quas intellectus ex sua subtilitate investigando perquirat.) Nec invenies verbum, quo insinuet has intentiones fingi: imò pluries insinuat esse quid reale, ut q. 1. in Porphyrium: quòd fundamento N. Villanova, ubi supra docet has intentiones esse quid reale.

Eandem sententiam secuti sunt, & eodem motivo nostri Magni Gerardus Senensis, Toletus, Lusitanus, & alij citati à Villanova. Ceterum exponendus est N. Egidius, sicut D. Thomas qui videtur

insinuare has intentiones esse accidentia realia in rebus consideratis. Vide dicta hinc num. 3. ubi invenies motivum, quo recedimus à modo loquendi nostri Villanova, licet non à sensu illius, & DD. nostræ Religionis. Nec immorandum censemus in persuadendis nostris Augustinianis de mente satis clara Doctoris Fundatissimi: fuit tamen necessariū prolixius disputare cum Thomistis de mente D. Thomæ, ne nostra via vel apparenter recedere putetur à doctrina Angelici Magistri.

## §. VI.

*Nostra sententia probatur à ratione.*

42. **P**robatur primò conclusio nostra à ratione sic. Secundæ intentiones (& idem de alijs entibus rationis fundatis) non consistunt in esse ficto: ergo consistunt in esse vero. Pater consequentia, quia esse vel est verum, vel fictum. Antecedens probatur primò. Quia secundæ intentiones conveniunt analogicè in ratione veri & cognoscibilis cum primis intentionibus: sed si consisterent in esse ficto, non convenirent analogicè, sed merè

*De Ente rationis.*

æquivocè cum primis intentionibus: ergo secundæ intentiones non consistunt in esse ficto. Major, & minor probatæ sunt num. 28. ex D. Thoma, cujus est hæc ratio.

Probatur antecedens 2. Intètio speciei reperta in conceptu *homo* consistit in relatione rationis, quam dicit ad Petrum, Paulum, & alios homines, de quibus est prædicabilis: sed hæc relatio non est quid fictum: ergo secunda intentio non consistit in esse ficto. Probatur minor. Illa relatio convenit conceptui *homo* quatenus est essentialiter imago Petri, Pauli, & aliorum: sed non est imago ficta, sed vera; nec est imago per fictionem, sed essentialiter. Item relatio quam dicit imago vera, & essentialis, non est relatio ficta: ergo relatio, quam dicit conceptus *homo* &c. Major & minor, imò & tota hæc ratio sumitur ex D. Thoma laudato, & allegato à num. 32.

Tertiò: secundæ intentiones generis, & speciei non habent esse per actionem fictitiam: sed si haberent esse fictum, haberent esse per actionem fictitiam: ergo secundæ intentiones non consistunt in esse ficto. Major, & minor sunt D. Thomæ, cujus verba invenies num. 25.

Quat-

*Quest. II.*

Quartò: Id quod consequitur sine nova actione ex modo intelligendi vero, & ex cognitione vera, & directâ, nō est fictum, sed verum: sed secundæ intentiones consequuntur verè ex modo intelligendi vero, & ex cognitione vera, & directâ, qualis est cognitio directâ abstractiva: ergo consistunt in esse vero, & non in esse ficto. Major est expressa in P. Augustino verbis datis num. 20. ibi: *Neque ab eo quod inane non est, inane fieri potest.* Minor autem est D. Thomæ omnibus locis laudatis, num. 27. Omittimus alias rationes, quæ formati possunt ut istæ ex dictis inter probandam sententiam nostram ab autoritate.

43. Probatur 2. Conclusio nostra à ratione sic. Christus D. fuit verè logicus, egregius disputator, & sic plures secundas intentiones formavit in suis disputationibus: sed istæ secundæ intentiones formatæ à Christo D. non habebant esse fictum: ergo secundæ intentiones non consistunt in esse ficto, sed vero. Major est expressa in P. Augustino lib. 1. contra Cresconium Grammaticum cap. 17. cujus verba dedimus lib. 1. q. 9. num. 7. Minor probatur. Christus D. non potuit fingere: ergo intentiones factæ à

Christo D. non habebant esse fictum. Antecedens docetur à SS. PP. præcipuè à S. Gregorio Papa Hom. 23. in Evangelia ad illa verba Lucæ 24. *Finxit se longius ire.*

Respondet Bajona, & cum eo Palanco, & alij, Christum Dñm non potuisse fingere *assertivè*, & *judicativè*, at bene *apprehensivè*. Ratio est, quia fictio assertiva opponitur summe veritati, & sic repugnat Christo Dño; ceterum fictio apprehensiva non opponitur veritati, & sic potuit esse in Christo. Quare licet non potuerit v. g. asserere Deū Creatorem relatum ad creaturas, potuit tamen sic Deum apprehendere, quia in apprehensione non est falsitas, nec mendacium.

Hæc solutio fundatur in sententia asserente, quod veritas, & falsitas solum sunt in secunda operatione intellectus, quæ est judicium; non autem in prima, quæ simplicium apprehensio. Nolumus nunc disputare de hoc: satis nobis nunc erit repellere à Christo Dño hanc fictionem apprehensivam, & ostendere eam repugnare intellectui ejus.

Per vos repugnat Christo Dño fictio judicativa: ergo & apprehensiva. Probo consequentiam primò, quia ideo

repugnat judicativa, quia est cognitio judicativè, & assertivè difformis objecto: sed fictio apprehensiva est etiam cognitio difformis objecto: ergo si illa repugnat, etiã hæc. Secundò, quia apprehensio ordinatur ad iudicium, sicut iudicium ad discursum: sed apprehensio fictitia solum est ordinabilis ad fictionem judicativam: ergo si Christo repugnat fictio judicativa, etiam fictio apprehensiva. Tertiò: Supposito Divino ut in humanitate repugnat quidquid veritati opponitur: sed veritati nedum opponitur iudicium falsum, sed apprehensio falsa: ergo. Tandem qui malè semper apprehendit non potest verè iudicare: sed Christus Dñs est impotens falsò iudicare, & idè ei repugnat fictio judicativa: ergo & ei repugnat fictio apprehensiva.

44 Contra secundò: Dum Christus Dominus cognovit privationes ad modum entis, vel cognovit illas per assensum, vel cognovit illas per dissensum; vel suspendendo assensum, & dissensum. Si per assensum? Ergo finxit judicativè, quod Christo repugnat juxta solutionem datam. Si per dissensum? Ergo non fecit ens rationis sic cognoscens. Patet hæc consequentia juxta Thomistam, de qua vi-

de Bajonam q. 2. de Ente rationis art. 5. num. 185. ubi docet quòd Deus cognoscens privationem per dissensum, non facit ens rationis. Si tandem Christus cognoscit privationem ad modum entis, suspendendo assensum, & dissensum. Inquirimus an suspendat liberè assensum, an sit necessitatus? Si suspendit liberè? ergo potest non suspendere, & sic poterit fingere judicativè, quod negas in solutione. Si est necessitatus? ergo Christus est necessitatus non assentire objecto, quod apprehendit, ut verum. Hoc videtur magis chimericum, quàm ens rationis fictum.

Contra tertiò: Licèt apprehensio fictitia non sit falsitas, est tamen error: sed Christo Domino, qui est plenus scientia, & sapientia, repugnat errare: ergo repugnat fingere apprehensivè. Probat major, logica quæ est directiva intellectus, ne erret in suis operationibus, est directiva etiam primæ operationis: sed hoc indicat nos posse errare in apprehensione simplicium, & error consistit in apprehensione rei aliter ac est in se: ergo licèt fictio apprehensiva non sit falsitas, est tamen error Christo Domino repugnans.

Tandem fictio apprehensiva

siva explicatur sic: *Alter Deus possibilis.* Fictio judicativa sic: *Alter Deus est possibilis.* Hæc secunda repugnat Christo juxta solutionem, non autem prima fictio. Argues sic. Dum Christus concipit hoc objectum *Alter Deus possibilis*, vel concipit illud ut verum, vel ut falsum. Vnum ex his est necessariò concedendum. Si ut falsum? ergo apprehendit, & cognoscit illud per dissensum, & sic non facit ens rationis, ut dicunt Thomistæ. Si ut verum? ergo cognoscit illud per assensum, vel per modum talem, & sub ratione tali, sub qua potest assentiri, & sic fingere judicativè.

45. Ultimò probatur conclusio nostra à ratione & ad hominem contra RR. Thomistas. Idè juxta Thomistas ens rationis consistit in esse ficto, quia consistit in esse purè objectivo, impotente existere realiter, & adæquatè distincto ab omni ente possibili: sed hæc ratio non probat ens rationis fundatum consistere in esse ficto: ergo ex principijs Thomistarum suaderetur ens rationis consistere in esse vero. Major patet ex dictis num. 12. de mente ipsorum. Minor probatur. Connexio entis rationis cum suis proprietatibus solum habet esse objectivum, est impo-

tens realiter existere; & est adæquatè distincta ab omni ente reali possibili, ut patet; sed juxta Thomistas connexio illa non est ficta, sed vera; unde scibilitas entis rationis fundata in tali connexione, non est scibilitas ficta, sed vera, ut docent agentes de objecto formali logicæ: ergo licèt ens rationis fundatum solum habeat esse objectivum, sit impotens existere &c.

## §. VII.

*Expenduntur alie sententia cum suis fundamentis.*

46. **R** Estat expendere fundamenta aliarum sententiarum, quatenus nostræ possunt contradicere. Ad fundamenta primæ sententiæ posita num. 2. Respondeo, & ad primum concedo quòd extrinseca denominatio nil ponit intrinsicum in subjecto denominato: nego tamen consequentiam, scilicet quòd idè sit ens rationis. Ad probationem consequentiæ dist. maj. dum dicitur *paries est visus*, aliquid affirmatur de pariari, aliquid intrinsicum, nego maj. aliquid extrinsecum, concedo maj. sed hoc extrinsecum est quid reale, sicut denominatio, quia est terminaf-

se visionem, quod quid reale est. Sub eadem distinctione nego min. & consequentiam.

In hac propositione *Patres est visus*, aliquid affirmatur: hoc aliquid est reale extrinsecū quia est dicere quòd paries terminavit visum ratione coloris; quare est quid reale extrinsecum fundatum in colore reali, intrinseco parietis. Potest intellectus illud predicatum concipere ut aliquid intrinsecum: & tunc fiet ens rationis, sed chimericum, & sine fundamento, quia nullum est fundamentum ad concipiendum ut intrinsecum parietis, quod intrinsecum non est. Ceterum adhuc in eo casu ens rationis non consisteret in extrinseca denominatione visū, sed in illo esse ficto ab intellectu cognoscente extrinsecum, ut intrinsecum.

Ad confirmationem eodem numero positā dic, quòd Deus in tempore dicitur Creator, & Dominus: nego tamen minorem, scilicet quòd hæc denominatio sit aliquid rationis. Est enim denominatio illa quid reale, & Deo extrinsecè adveniēns à relatione reali creaturæ ad Deum, quæ solum datur in tempore, quia creatura nō est ab æterno. Sic Deus dicitur in tempore realiter Dominus à relatione reali servitutis, quæ est in crea-

tura temporali ad Deum. Sic juxta D. Thomam Christus dicitur realiter Filius Beatissimæ Virginis à relatione reali, quam Mater dicit ad Filium. Vnde denominationes istæ non sunt quid rationis, sed quid reale extrinsecum.

Attamen, quia hoc reale est relativum, nec potest à nobis concipi nisi cum relatione Dei ad creaturas, & Christi ad suam Matrem; idè cum in Deo non sit relatio realis ad creaturas, concipimus Deū cum relatione rationis ad illas. Hæc relatio rationis non est denominatio dicta, sed quid secutum ad talem denominationem à nobis cognitā. Ista relatio est ens rationis cum fundamento *necessitante*, ut diximus ex *Ægidio*; quia necessitatur sic cognoscere modo relativo Deum: quare non est esse fictum, sed verum; imò habet magis de entitate, & veritate, quàm habent secundæ intentiones logicæ supra explicatæ, ut dictum est.

Observe, quòd hæc relatio rationis, quam concipimus in Deo, dum consideramus, ut Creatorem, non ponitur, nec est in Deo extra intellectum, sed in Deo intra intellectum nostrum. In Deo extra intellectum nihil est, nec nostra cognitione ponitur: sicut dum concipis hominem,

ex

& resultat relatio rationis, nō resultat, nec ponitur in homine extra intellectum, sed in conceptu hominis, vel homine intra intellectum. Quare sicut relatio rationis in homine concepto verè est, & est vera: sic relatio Creatoris in Deo à nobis concepto vera est, & verè est; licet in Deo extra nihil sit. Hoc observa pro vitandis multis hallucinationibus, quæ sequuntur ex opposito.

47. Ad fundamentum Durandi positum num. 2. nego maj. nego scilicet quòd ens rationis sit illud quod consistit in cognosci, & actu obijci intellectui. Suprà enim ostensum est, quòd relatio rationis logica fundata consistit in quodam esse vero resultante ex conceptu naturæ abstractæ, & ibi manente independentem à nova cognitione illud cognoscente; & licet dependeat à prima cognitione abstractiva ponente fundamentum; at hæc cognitio ut directa non cognoscit relationem resultantem, quare esse hujus relationis non consistit in actu obijci, & actu cognosci ab intellectu, sed in posse cognosci, vel in esse vero, quod potest cognosci.

Et si dicas: Essentia entis rationis consistit in esse obijctivo: esse obijctivum solum habetur, dum actu cognosci-

tur: ergo esse entis rationis consistit in actu cognosci. Respondeo concessa maj. negando min. Nam esse obijctivum est esse quod potest obijci: unde est esse quod potest cognosci, nec petit actu semper cognosci. Sicut esse imaginis apparentis in speculo non est esse quod actu videtur, sed quod potest videri: hoc idè quia visio non dat esse illi imagini, sed illud supponit, & invenit. Ita cognitio intellectus quando terminatur ad ens rationis fundatum nō dat illi esse, sed invenit factum. Quare esse obijctivum entis rationis non consistit in actu cognosci, sed in posse cognosci.

Respondeo secundò admissa majori, dist. min. Denominatio cogniti consistit in cognosci, denominatio pro formali, nego min. pro materiali, subdist. purè in cognosci, nego min. non purè, concedo minorem, & nego consequentiam. Denominatio cogniti pro formali, dicit formam denominantem. Hæc est cognitio, & sic quid reale, quod non consistit in cognosci, sed in cognoscere. Pro materiali dicit rem cognitam. Hæc habet duplex esse, unum suum, ante cognitionem, quo potest cognosci, & est vera, & cognoscibilis: aliud

ex:

extrinsecum veniens à cognitione. Hoc extrinsecum, & illud intrinsecum faciunt unū esse, quod quidem non consistit purè in cognosci, ut patet. Quod si quæras de illo esse purè extrinsecum solitarie accepto; fateor esse consistens in cognosci, ceterum est reale, & extrinsecum; non autem est esse intrinsecum consistens in cognosci, quod requirebatur, ut foret ens rationis.

Ad fundamenta secundæ sententiæ posita num. 6. Respondetur, & ad primum concessio antecedenti, nego consequentiam. Disparitas, & ratio est, quia licet materia, & forma in homine sint incorruptibiles, unio utriusque est corruptibilis, & sic totus homo corruptibilis est, *Quia malum ex quocumque defectu*. Ut autem teneret paritas in aggregato ex entibus realibus oportebat ponere unionem rationis, quam nolunt ponere contrarij, sed loco ejus ponunt cognitionem adunantem, quæ est quid reale: ergo cum extrema, & unio sint quid reale; totum resultans nequit esse quid rationis. Hæc disparitas tenet etiã si admittas sententiam identificantem materiam cum unione. Nam licet in ea sententia non sit defectibilis unio quoad entitatē, est defectibilis quoad exerci-

tiū; & in nostris principijs est defectibilis quoad quidditatem.

Ad secundum fundamentum ejusdem sententiæ dic, quod concipere gratiam coexistentem cum peccato, est ens rationis fictum, & sine fundamento, quare concessio maj. nego min. Nego quod hoc sit quid reale. Nam ultra existentiam realem gratiæ, & existentiam realem peccati, coexistentia dicit simultatem, & unionem utriusque existentia in eodem subjecto: sed hæc unio est ficta, cum sit impossibilis, ut concedit argumentum: ergo ens chimæricum illius coexistentiæ consistit in esse ficto.

Ad fundamenta pro secunda parte ejusdem sententiæ posita num. 7. uno verbo respondemus non esse contrarios, qui negamus quod ens rationis fundatum consistat in esse ficto. Ceterum quia cum Thomistis concedimus ens rationis non fundatum consistere in esse ficto, idè etsi nulla sit nobis cura de ente chimærico, respondemus breviter, & ad primum concedo maj. scilicet quod hæc propositio *homo est equus*, repræsentat ens rationis chimæricum; nego autem min. scilicet quod non repræsentet quid fictum. Ad probationem

concesso antecedenti, nego consequentiam. Ad probationem consequentiæ nego maj.

Propositiones contradictoriæ petunt habere idem subjectum, & prædicatum, quia sunt affirmatio, & negatio ejusdem de eodem &c. at non petunt idem ex parte objecti repræsentare; alioquin vel ambæ forent veræ, vel simul falsæ, si idem repræsentarent. Hinc fit quod istæ sunt contradictoriæ: *homo est equus. homo non est equus*. Habent enim idem subjectum, & prædicatum, unde sunt affirmatio & negatio ejusdem de &c. sed non repræsentant idem, quia prima repræsentat identitatem fictam, & idè est falsa: secunda repræsentat distinctionem realem veram, & idè est vera. Quare licet secunda non repræsentet ens rationis; bene tamen prima.

Ad confirmationem hujus fundamenti dic, quod hæc propositio *homo est equus*, repræsentat ens rationis, non quia repræsentat hominem, aut equum fictum, ut bene probat argumentum: sed quia repræsentat identitatē utriusque, quæ ficta est, ut diximus. Quamobrem de primo ad ultimum constat, quod ens rationis chimæricum nō consistit in mero aggregato ex realibus, sed in quodam esse si-

cto. Et observa, quod quia nil curamus de ente chimærico, & ficto, idè omittimus alia argumenta hujus sententiæ, quibus contendit, quod ens fictum non potest cognosci. Ea vide apud Thomistas.

49. Restat solvere fundamenta tertiæ sententiæ, quæ expressè militant contra nos. Ad primum positū num. 11. dicimus illud principium à nobis non admitti, scilicet, quod *ens rationis fit per cognitionem rei aliter ac est in se*. De hoc principio Thomistico agemus infra, dum de causis entis rationis fit quæstio. Ex hinc dictis patet satis, quod ens rationis fundatum non fit formaliter, sed solum fundamentaliter. Item cognitio ponens fundamentum est cognitio abstractiva vera, quæ cognoscit objectum ut est in se essentialiter, licet non cognoscat objectum ut est in se realiter: Et ne tibi deficiat doctrina pro solutione hujus principij, en breviter quomodo explicatur.

Homo à parte rei est animal rationale, & est singularis, quia est Petrus, & Paulus, & alij homines singulares. Quare à parte rei est homo cum singularitate. Ceterum homo essentialiter solum habet esse animal rationale: quod autem habeat singularitatem hanc;



vel illam, non convenit essentialiter homini, sed accidentaliter prædicabiliter, quia nõ est de ejus essentia singularitas: licet realiter non existat nisi singularis. Cognitio nostra concipit hominem, ut *animal rationale*, & non cognoscit singularitatem. Quare cognoscit hominem ut est in se *essentialiter*, non autem cognoscit ut est in se realiter. Hinc non licet inferre, quod cognoscitur homo *aliter ac est in se*. Primum, quia non cognoscitur aliter ac est in se essentialiter, sed ut est in se. Secundò, quia *aliter* supponit hominem conceptum cum prædicato opposito illis, quæ habet in se, & hoc est falsum; quia non est idem concipere Mathematicum quantitatem abstractam à substantia, ac concipere quantitatem existentem sine substantia: primum est præcisio, & abstractio; secundum est error: & hinc oritur proloquiũ Aristotelicũ, quod *abstractum non est mendacium*.

Vt ergo probaretur ens rationis habere esse fictum, debebat probari factio ejus per cognitionem erroneam, falsam, & mendacem, aut rei aliter ac est in se alietate propria; non verò si fiat, ut fit fundamentaliter, per cognitionem abstractivam rei ut est

in se essentialiter, sine alijs, cum quibus est realiter, & non sunt de ejus essentia. Quare nisi Thomistæ velint suas, & nostras præcisiones objectivas esse falsas, nil probant contra nos. Nec autoritas inducta D. Thomæ eis favet: quia ibi loquitur de ente sine fundamento, ut vidimus num. 26. & de tali ente non negamus esse fictum, & fieri per cognitionem fingentem, & rei aliter ac est, alietate propria. Vide dicta num. 14.

50. Ad rationes Thomisticas positas num. 12. respondemus, & ad primam nego min. ad probationem, concessio antecedenti, nego consequentiam. Concedimus, quod ens rationis habet esse purè objectivum, quod nequit existere realiter, & est distinctum ab omni realiter possibili; negamus tamen tale ens habere esse fictum, & impossibile. Hæc enim non sunt immediate opposita, ita ut nullum cadat medium; cadit enim inter fictum, & reale, ens verum purè objectivum; quod est possibile, non possibilitate reali, sed possibilitate vera objectiva. De hoc medio est tota lis; Thomistæ id negant cum alijs, nos id defendimus cum DD. allegatis pro nostra sententia.

Explicatur sic. Inter ens reale,

reale, & ens rationis, nullum datur medium, quia ens rationis cõprehendit omne esse objectivũ, & ens reale omne esse subjectivũ: atqui omne esse vel est subjectivũ: vel objectivũ: ergo omne ens vel est reale, vel rationis, & sic inter hæc nullum est medium. Similiter inter distinctionem realem, & distinctionem rationis nullum cadit medium, quia distinctio realis comprehendit omnes distinctiones ante operationem intellectus, distinctio rationis omnes distinctiones post operationem intellectus: sed omnis distinctio est vel ante operationem intellectus, vel post intellectus operationem: ergo omnis distinctio vel est realis, vel rationis, & sic inter hæc non datur medium.

Ceterum inter distinctionem realem entitativam, & distinctionem rationis datur medium, scilicet distinctio modalis, quæ realis est non rationis, nec est realis entitativa, sed modalis. Similiter inter distinctionem realem entitativam & modalem ex una parte, & distinctionem rationis ex alia cadit medium juxta doctrinam Ægidianam, scilicet distinctio quidditativa, quæ cum sit realis non est distinctio rationis, & cum solum sit quidditativa, non est distinctio entitativa, vel mo-

dalís. Et omnium ratio est: quia distinctio realis entitativa non est membrum divisionis comprehendens omnes distinctiones reales; quæ dantur ante operationem intellectus; & idè inter distinctionem entitativam, & distinctionem rationis cadit mediũ, scilicet distinctio modalis apud omnes; & distinctio quidditativa apud Ægidianos.

Similiter dato (ut verius putamus) quod modus non est entitas, sed realis affectio entis realis, tunc inter ens reale, & ens rationis cadit medium distinctum ab utroque, scilicet modus, qui nec est ens rationis, cum detur à parte rei; nec est ens reale, cum modus non sit res, nec ens. In qua sententia licet omnis entitas realis sit realitas vera; non tamen omnis realitas vera est ens reale, quia modus est realitas vera, & tamen ens reale non est. Ergo similiter cum omne ens fictũ sit ens rationis, non tamen omne ens rationis sit fictum, quia datur ens rationis fundamentum, cujus esse non est fictum; idè inter ens reale, realiter possibile, & ens fictum, datur medium, scilicet ens rationis fundamentum, quod nec est realiter possibile, nec est fictum.

Tandem pro solvendis



omnibus replicis contra hoc observa, quod *possibile* est idē ac *potens existere*: & cum omne ens verum sit potens existere, omne verum ens, est verè possibile. Atqui probatum est ex D. Thoma, quod ens rationis fundatum est verum eas purè objectivum: ergo tale ens est verè possibile. Non possibile possibilitate reali, hoc est potens existere per existentiam realem; sed est possibile possibilitate objectiva pura sed vera; hoc est potens existere per existentiam objectivam veram, & sine fictione. Hinc fit, quod licet ens rationis non sit possibile realiter, sed realiter impossibile, in quo convenit cum ente ficto; differt ab ipso, quia ens fictum est impossibile utraque impossibilitate, scilicet impossibilitate reali, & impossibilitate objectiva vera; quia non est potens existere objectivè verè, sed fictè.

51. Ad confirmationes positas num. 12. dicimus non esse contra nos, qui nec negamus quod ens fictum potest cognosci ab intellectu; nec quod ens chimericū consistat in esse ficto. Si tamen confirmationes illas velis expendere, invenies non esse urgentes. Ad primam, concedo maj. concedo scilicet quod contrarij negant ens fictum esse

cognoscibile: nego autem minorem, scilicet quod contrarij teneantur concedere esse cognoscibile. Ad probationem min. dist. maj. De objecto non cognito nihil potest affirmari, vel negari, nihil cognitum, concedo maj. nihil non cognitum, nego maj. & concessa min. nego consequentiam.

Si teneret hæc confirmatio Magistri Froylan. nihil esset in mundo, imò nec in statu possibilitatis, quod non esset cognitum à quocumque rustico. Patet, nam ille omnia cognoscit, qui non potest verè affirmare *Hoc à me non est cognitum*: sed rusticus non potest hoc affirmare, non enim potest dicere *secreta cordis regij non sunt cognita à me*: ergo rusticus illa cognoscit. Probarur minor, quia de objecto non cognito nihil potest affirmari vel negari: sed rusticus affirmat, secreta illa non esse à se cognita: ergo sunt cognita ab ipso, nec potest illud verè affirmare. Intellectus ergo cognoscit se non cognoscere, sicut visus cognoscit se non videre, & auditus in silentio noscit se non audire. Non quia visus videt tenebras, nec auditus audit silentium; sed quia sentiunt se cessare ab actu videndi, & audiendi, ut dicemus ex R.

Au;

Augustino. Sic negat intellectus se posse cognoscere omnia possible in particularis nec hoc negans cognoscit illa.

Imò retorquetur confirmatio. Nam dum contrarij negant, ens fictum esse cognoscibile; vel hoc verè negant, vel verè non negant. Si verè negant? ergo ens fictum non est cognoscibile. Si verè non negant? ergo revera nihil negant. Ergo licet de objecto non cognito nihil negari possit; non sequitur ex negatione contrariorum ens fictum esse cognoscibile, quia id negantes, nihil revera negant.

Ad 2. confirmationem dicimus quod intellectus Divinus concipit veritatem hujus propositionis *alter Deus est impossibilis*, sicut veritatem hujus *tenebræ sunt non ens*, & hujus *cæcitas est nihil*. Sed in his ultimis juxta Thomistas non concipit ex parte subjecti quid fictum; nec etiam ens reale verum, alioquin propositio esset falsa, cum de ente vero non possit affirmari *non ens, nec nihil*: ergo licet de ente vero non possit affirmari esse impossibile, non sequitur quod in prima propositione concipiatur ex parte subjecti ens fictum, saltem ab intellectu Divino, imò nec ab humano. Sicut enim tenebra est

realis carentia lucis, & cæcitas realis carentia visus; ita *alter Deus* est realis carentia Dei. Cum hoc discrimine. Quod carentia lucis, & visus est realiter possibilis, quia visus, & lux non sunt entia necessaria. Sed carentia Dei est impossibilis, quia esse Dei necessarium est.

52. Ad aliud fundamentum positum num. 13. uno verbo dic, tenere de ente chimerico, sed non de ente rationis fundato. Unde nego min. ad ejus probationem nego min. nego quod ens fundatum habeat esse per fictionem. Ad secundam probationem min. nego min. Ad probationem ejus nego antecedens, quod non probatur ex D. Thoma, cum S. Doctor ibi loquatur de ente sine fundamento, ut dictum est. Ens autem fundatum non cognoscitur per cognitionem attingentem quod non est, ac si esset, sed per cognitionem, quæ attingit in natura abstracta relationem ad inferiora, quæ relatio verè ibi est, & attingitur ut est: nec conitio factiva fundamenti hujus relationis est cognitio rei aliter ac est in se *essentialiter*, quia non est falsa sed præcisiva, ut explicatum est num. 49.

Ad 1. confirmationem eodem num. 13. nego min. nego quod

quod secunda intentio non sit verum ens. Ad probationem min. dist. maj. verum ens est ens reale, verum ens subjectivum, concedo maj. verum ens objectivum, nego maj. secundæ intentiones sunt vera entia, & vera accidentia, quæ adveniunt rebus consideratis, ut vidimus ex D. Thoma: sed non sunt entia *subjectivè*, sed *objectivè* & idè non sunt quid reale, sed rationis.

Ad 2. confirmationem dicimus in ea multa implicari quæ sunt dubia. Dicitur ibi primò, quod quidquid affirmatur de ente reali identificatur cum ipso. Hoc dubium est; nam verè dicitur *homo est albus*: & tamen albedo non identificatur cum homine; quare *ly est* non dicit identitatem, sed inhæSIONem, vel unionem inhæSIVAM. Si tamen explicetur propositio sic: *homo est subjectum habens albedinem*, tunc videtur importari identitas, quia subjectum habens albedinem est ipse homo; & homo secum identificatur. Ceterùm nec sic est vera identitas, quia subjectum habens albedinem non est homo solus, sed est *homo sic habens albedinem*; sed hoc complexum addit aliquid reale supra entitatem hominis: ergo nec sic propositio dicit verè identitatem subjecti cum prædicato.

## De Enterationis.

Rursum dum dicitur *homo est species*, dubium est, an *ly species* prædicetur de homine extra intellectum, vel de homine intra intellectum, & ut concepto. Primo modo propositio est falsa, quia *homo* à parte rei non est universalis, sed singularis, & multiplex: unde sic non est species. Secundo modo propositio est vera, quia *homo* conceptus, est species, & universalis. Nec ad hoc requiritur, quod prædicatum identificetur cum subjecto, ut diximus de albedine; & juxta D. Thomam, sicut albedo, & nigredo sunt accidentia rei extra intellectum; ita secundæ intentiones sunt accidentia rei consideratæ. Vide verba S. Doct. num. 30. *Homo conceptus* est verum ens reale: de illo verè affirmatur species; nec ad hoc requiritur, quod ei conveniat realiter, sed verè objectivè, & sine fictione: ergo *ly species* dicit verum esse objectivum, conveniens verè, & verè affirmabile de ente reali vero.

In forma ad secundam confirmationem nego min. Ad probationem min. nego maj. nego quod quidquid prædicatur, debeat identificari cum eo, de quo prædicatur. Quod si recurras ad expositionem datam, scilicet quod *homo est albus*, idem, est ac *homo est subjectum*

## Quest. II.

*jectum habens albedinem*. Dicitur etiam, quod eodè modo hæc *homo est species*, exponitur sic: *homo conceptus est subjectum habens relationem speciei*, & hæc est vera, sed neutra dicit propriè identitatem propter supra notata. Ad explicationem patet solutio ex dictis.

53. Ad ultimam confirmationem eodem num. 13. nego min. Ad probationem min. nego min. ad ejus probationem concedo quod secunda intentio speciei non convenit homini ut est in se extra intellectum, sed homini concepto, & abstracto à singularibus, qualiter non est in se extra intellectum: & dist. min. sed quod convenit rei sine fictione, convenit rei ut est in se; quod convenit rei extra intellectum, concedo min. quod convenit rei intra intellectum, subdist. convenit rei, ut est in se *essentialiter*, concedo min. ut est in se realiter & extra intellectum, nego min. & consequentiam.

Instatur non importunè hæc confirmatio in Doctrina communi. Nam juxta Philosophum de singularibus non datur scientia, quia omnia singularia sunt corruptibilia, & contingentia; & scientia non est de contingentibus, & corruptibilibus, sed de perpetuis, & necessarijs, qualia sunt

universalia: ergo Petrus, & Paulus non sunt scibiles, nec etiam natura humana ut in Petro, Paulo, & alijs singularibus. Hæc certa sunt apud omnes.

Nunc sic. Scibilitas non convenit homini ut existit à parte rei, & ut est in se, quia sic existit singularis & hoc modo non est scibilis: ergo scibilitas convenit homini, lapidi, & alijs objectis, aliter à sunt in se: ergo scibilitas est quid fictum. Patet hæc consequentia. Quia quod convenit rei aliter, ac est in se, est quid fictum, ei conveniens per fictionem, ut dicit confirmatio contra nos; sed homini, rosæ, lapidi, & alijs objectis, non convenit scibilitas ut sunt à parte rei in singularibus, sed ut sunt objecta abstracta à singularibus, qualiter non sunt in se: ergo scibilitas est quid fictum, & per fictionem conveniens. Iam vides absurdum consequentis, alioquin omnis scientia nostra esset de ente ficto, si scibilitas est quid fictum: restat, ergo agnoscas falsitatem antecedentis. Vide dicta num. 14. & 40.

Ex quibus dicimus, illud verè convenire alicui, quod ei convenit sine fictione. At quedam conveniunt hominibus, v. g. extra intellectum, ut esse album, ambulare, comedere

re &c. Et hæc conveniunt homini ut est in se *realiter* extra intellectum, & sic homini, ut singulari. Quædam conveniunt homini intra intellectum, ubi nec est albus, nec ambulat, comedit &c. Et hæc conveniunt homini, ut est in se *essentialiter*; & quia est *essentialiter animal rationale*, non autem est *essentialiter singularis, existens, albus*; idè quæ conveniunt homini concepto intra intellectum, non conveniunt homini ut est in se extra intellectum, nec homini singulari, existenti &c. sed homini abstracto à singularitate, & existentia.

Observa, quòd etiam chimæris ut conceptis convenit esse objectivum; sed est disparitas quòd homo conceptus est quid reale: chimæra ut concepta, si concipitur per dissensum est nihil; si per assensum, est aliquid, sed fictum, & à cognitione falsa, & fin-

gente. Ergo aliter affirmatur dum dicitur *homo est species*, ac dum dicitur *chimæra est ens*. Quia in prima subjectum est ens reale verum; in secunda subjectum est non ens, & quid fictum. Utraque est affirmatio de re concepta; sed *homo* concipitur cognitione abstractiva vera, & conformi objecto ut est in se essentialiter. *Chimæra* concipitur cognitione judicativa falsa, & fingente.

Hæc dicta sufficiant pro nostra sententia; quæ si prolixæ nimis videantur, id egimus, quoniam quibus hæc sententia placuerit, non inveniunt apud RR. hanc viam propugnata, sed oppugnata. Et præterquam quòd tres quæstiones simul discussimus, ut num. 1. notatum est; fundamenta hæc explicavimus pro reliquis quæstionibus hujus libri, quæ idè brevius dilucidantur.

## QUÆSTIO TERTIA.

*Virum ens rationis adæquatè dividatur in privationem, negationem, & relationem?*

§. I.

*Referuntur sententiæ cum suis fundamentis.*

**V**idimus, quæstione præcedenti, in quo consistat ens rationis cum funda-

mento, & in quo ens rationis chimæricum: nunc quærimus quotuplex sit ens rationis?

Et

Et observa, quòd quæstio potest procedere, vel de omni ente rationis cum fundamento, & sine eo; vel solum de ente rationis fundato: nec apud Thomistas eodem modo procedit dubium, quia Bajona defendit divisionem istam esse adæquatam de omni ente rationis, ita ut nec detur ens chimæricum, quod non sit relatio, negatio, aut privatio. Froylan, Palanco, & alij dicunt, istam divisionem esse solum entis rationis cum fundamento; quare admittunt alia entia rationis chimærica, quæ non pertineant ad hanc divisionem.

Hoc supposito, prima sententia asserit ens rationis cum fundamento adæquatè dividi in relationem, privationem, & negationem. Ita omnes Thomistæ docentes hæc tria esse entia rationis fundata; negant autem dari substantiam rationis, quantitatem rationis, qualitatem, actionem, ubi, &c. Nec contradicit Bajona, utens rationibus aliorum, sed addit, & merito, quòd sub his membris continetur entia rationis chimærica.

Probatum primò auctoritate D. Thomæ q. 21. de Veritate art. 1. ubi ait: (Id quod est rationis, tantum potest esse duplex, scilicet relatio, vel aliqua negatio: omnis enim positio absoluta ali-

quid in rerum natura existens significat.) En juxta D. Thomam ens rationis adæquatè dividitur in relationem, & negationem: sed negatio est eadem forma, quæ si sit in subjecto capaci, dicitur *privatio*, ut cæcitas in oculo; si sit in subjecto incapaci, dicitur *negatio*, ut non videns dictum de lapide: ergo juxta D. Thomam ens rationis adæquatè dividitur in relationem, negationem & privationem.

Addit Froylan: quòd alia verba S. Doct. scilicet: (Omnis autem positio absoluta aliquid in rerum natura existens significat,) indicant quòd alia entia rationis præter ista sunt entia rationis sine fundamento. v. g. substantia, quantitas, &c. sunt quid absolutum, & significant ens reale in natura existens: sed quòd est ens reale nequit concipi cum fundamento, ut ens rationis: ergo præter species assignatas nullum datur ens rationis cum fundamento.

A ratione probat Bajona: Quia illud est ens rationis, quòd cum in se non sit ens reale, concipitur ad modum entis realis: sed sola privatio, negatio, & relatio, sunt hujusmodi: ergo sola ista sunt entia rationis. De reliquis, si ista excipias, certum est esse quid reale, ut patet in substantia, quan-

Re titat

titate, & alijs prædicamentis: lam verò quòd tria relata non sint ens reale, probatur. Quia privatio, & negatio non sunt quid positivum, sed non ens, & carentia formæ. De relatione id probatur ex D. Thoma 1. p. q. 2. art. 1. in corp. ubi ait: (Solum in his, quæ dicuntur ad aliquid, inveniuntur aliqua secundum rationem tantum, & non secundum rem, quod non est in alijs generibus, quia alia genera, ut quantitas, & qualitas, secundum propriam rationem significat aliquid alicui inhaerens.)

A ratione probat Froylan ex ista autoritate, quòd solum tria numerata sunt entia rationis cum fundamento, sic; illud est ens rationis cum fundamento à parte rei, quod in proprio conceptu non explicat entitatem realem: sed sola tria assignata non explicant entitatem realem: ergo hæc, & non alia sunt entia rationis cum fundamento in re. Minorem probat, quia negatio solum dicit carentiam formæ; relatio solum dicit conceptum ad, non verò realitatem inhaerentem. De alijs patet, quia substantia, quantitas &c. dicunt entitatem realem in suo conceptu, ut patet.

3. Secunda sententia negat hanc divisionem esse adæquatam; unde sicut D.

Thomas in prædicamento relationis ponit ens rationis, quod est relatio; ita hæc sententia ponit in omnibus prædicamentis entia rationis. Ita aliqui RR. quod suadent sic. Primum in prædicamento substantiæ: nam substantia est ens per se, quod nulli adhæret: sed plura finguntur entia rationis, quæ nulli adhæreere finguntur, ut *hirco cervus, Angelus corporeus, chimæra*: ergo in prædicamento substantiæ dantur entia rationis.

De quantitate sic. Quando fingitur *hirco cervus* fingitur cum sua quantitate: at hæc est ens rationis de genere quantitatis: ergo dantur entia de genere quantitatis. Adde quòd extra Cœlum Empyreum imaginamur spatium per modum cujusdam extensionis vacuæ: sed hæc extensio est ficta, & ens rationis de genere quantitatis: ergo idem.

De alijs prædicamentis constat: nam talem *hirco cervum*, fingimus calidum, coloratum, & ei affigimus qualitates fictas. Ipsum fingimus in loco, & sic ubicatum; agentem, patientem, &c. Et sic in eo fingimus entia rationis de prædicamentis qualitatis, actionis, passionis, ubi &c. ergo in omni prædicamento dantur entia rationis; & sic divisio data adæquata non est.

4. Tertia sententia est nostri Villanovani, docentis divisionem datam à prima sententia non esse adæquatam, quia ultra illa tria membra dantur entia rationis logica, & distinctio rationis cum fundamento, quæ non continentur in illa divisione. Probatur. Distinctio rationis est quid positivum: sed hæc distinctio nec est relatio, nec negatio aut privatio: ergo divisio Thomistica adæquata non est. Probatur min. Relatio rationis supponit extrema distincta; sicut relatio realis non facit, sed supponit extrema distincta: ergo non est distinctio relatio rationis. Aliunde quòd nec sit negatio, aut privatio patet: quia hæc sunt quid negativum: sed distinctio rationis est quid positivum: ergo distinctio rationis non est negatio, aut privatio.

Respondebis. Distinctio rationis est carèria identitatis; & sic est negatio. Sed contra: ergo jam identitas rationis non est negatio, aut privatio. Sed aliunde non est relatio; cum relatio petat extrema distincta, & sic opposita identitati: ergo vel distinctio rationis, vel identitas rationis est ens cum fundamento, quod non continentur sub aliquo membro ex datis à prima sententia.

*Nostri sententia proponitur, & probatur.*

1. **N**ostri sententia clarè distinguens inter entia rationis fundata & entia sine fundamento, duas continet conclusiones. Prima est: (Ens rationis cum fundamento non dividitur adæquatè, nec inadæquatè in privationem, negationem, & relationem,) quia negatio, & privatio non sunt entia rationis fundata, sed ficta sine fundamento; quare sola relatio est ens rationis fundatum. Hæc conclusio est contra primam, & tertiam sententiam.

Secunda conclusio est: (Ens rationis in communi, ut comprehendit entia fundata, & chimerica, adæquatè dividitur in relationem, negationem, & privationem.) Hæc conclusio est contra secundam sententiam & in favorem primæ: quia putamus ob autoritatem D. Thomæ, in nullo prædicamento posse formari ens rationis, nisi in prædicamento relationis.

Probatur ergo prima conclusio ex P. Augustino libro imperfecto de Gen. ad litteram prope initium, ad illa verba,

*Tenebrae erant super faciem abyssi.* Supra quæ S. P. dicit: (Et revera qui diligenter considerat quid sint tenebrae, nihil aliud invenit, quam lucis absentiam. Ita igitur dictum est, tenebrae erant super faciem abyssi; ac si dictum esset. Non erat lux super abyssum.) Hæc S. P.

Ex quibus sic: Si privatio esset ens rationis cum fundamento in re, qui diligenter consideraret hoc fundamentum, cognoscendo tenebras faceret ens rationis: sed juxta P. Augustinum, qui diligenter considerat, non facit ens rationis cognoscendo tenebras: ergo juxta S. P. privatio non est ens rationis cum fundamento. Major patet ex principijs Thomistarum, docentium apud Bajonam, Palanco, Froylan, quod illud est ens rationis cum fundamento in re, ad quod formandum invitatur ipsa res; ergo ut intellectus tali fundamento moveatur, debet considerare & attendere fundamentum, quo invitatur. Minor probatur. Qui diligenter considerat tenebras juxta P. Augustinum cognoscit eas per dissensum; quare cognoscit quod idem est *Tenebrae erant, ac non erat lux*, quod est cognoscere tenebras per dissensum: sed qui cognoscit tenebras per dissensum non fa-

cit ens rationis, ut concedunt Thomista, & constat in Deo; qui idem cognoscendo tenebras non facit ens rationis, quia eas cognoscit per dissensum: ergo &c.

Hinc S. P. lib. 1. ex perfectis de Gen. ad litteram cap. 4. ad eadem verba Genesis, ut ostenderet, quid sint privationes, & quomodo cognoscendæ sine fictione, aut errore, dicit: (Vbi lux non est, tenebrae sunt, non quia aliquid sunt tenebrae, sed ipsa lucis absentia tenebrae dicuntur. Sicut silentium non aliqua res est, sed ubi sonus non est, silentium dicitur. Et nuditas aliqua res non est, sed in corpore ubi tegumentum non est, nuditas dicitur. Et inanitas non est aliquid, sed locus, ubi corpus non est, inanitas dicitur. Sic tenebrae non sunt aliquid, sed ubi lux non est, tenebrae dicuntur.)

Coactus est S. P. hæc prolixè explicare contra Manichæos, delirantes tenebras esse quid positivum, non factum à Deo; & somniantes gentem tenebrarum bellum indixisse contra lucem Dei. Quos redarguit exemplo silentij, quod etiam erit quid positivum; & erunt gentes silentiorum, bellum gerentes contra vocem Dei; quod est absurdum, & ridiculum. Sicut Manichæi

concipiebant tenebras, ut quid positivum, ita sententia nostræ contraria, dicit à nobis concipi ut quid positivum: ceterum cum manifesto discrimine; nam hæretici concipiebant ut quid reale positivum, à Deo non factum; quod est contra fidem docentem, quod *Omnia per ipsum facta sunt.* Ioann. 1. At DD. Catholici dicunt à nobis concipi ut quid positivum fictum, licet cum fundamento in re.

6. Probatur secundò conclusio nostra de negationibus autoritate P. Augustini tractatu 1. in Ioann. ad illa verba *Sine ipso factum est nihil*, supra quæ S. P. sic: (Videte ne sic cogiretis, quia nihil aliquid est. Solent multi malè intelligentes sine ipso factum est nihil, putare aliquid esse nihil.) Et libro de natura boni cap. 23. ait: (Nec audienda sunt deliramenta hominū, qui nihil hoc loco aliquid intelligendum putant.) En qui putat nihil esse aliquid delirat, & qui sic cogitat, malè intelligit sed in re nullum est fundamentum ad delirandum, & malè intelligendum; imò implicat cogitare cum fundamento in re, & malè cogitare: ergo qui cogitat nihil ut aliquid positivum, fingit sine fundamento.

Observa etiam discrimen

datum inter Catholicos cogitantes nihil, ut aliquid positivum fictum, & Manichæos putantes nihil esse aliquid reale, à Deo non factum. Hoc Manichæorum delirium nostro sæculo suscitavit quidam demens dicens, duos esse Deos, unum verum, quæ adoramus, alterum, quæ vocabat nihil, & dicebat non factum, ex illo textu Ioannis 1. *Sine ipso factum est nihil.* Inter festiva colloquia quidam arguens cum demente, eum convicit, & à dementia sanavit sequenti argumento. Heu sto, qui plura cogitas de tuo Deo nihil: scito talem Deum jam non esse; quia captus est ab Apostolis piscantibus. En textum: *Magister per totam noctem laborantes nihil cepimus.* En testantur Apostoli se cum magno labore cepisse nihil: ergo nihil jam captus est; & sic non extat. Consensit demens, & dementia deposita ob argumentum fundatum in eadem dementi imaginatione.

Redeamus ad Intertum, quod confirmatur ex S. P. loco laudato de Natura boni ubi ait: (Quis aurem velit loqui cum hominibus, qui hoc ipsi sunt quod dixi, nihil in re est; possunt discere: ergo in re est aliquid, quia ipsi in nihil aliquid est.) Hic non est sermo de Nihilò Evægelij Ioannis,

nis: sed de *Nihil*, quod concipimus dum confabulamur: de hoc dicit S. P. quod nemo potest loqui cum hominibus tale *nihil* cogitantibus ut aliquid. Ergo quia sentit negationem entis importatam per *nihil*, non concipi ut quid positivum ab hominibus rationabiliter cogitantibus. Sed si negatio esset ens rationis fundatum, rationabiliter cogitaretur ut aliquid: ergo juxta P. Augustinum negatio non est ens rationis fundatum, sed sine fundamento. Unde sequitur solam relationem rationis esse ens fundatum juxta S. P.

7. Tertiò probatur conclusio nostra ex D. Thoma 1. Sent. dist. 2. q. 1. arr. 3. ubi explicatis primis & secundis intentionibus, quæ sunt aliquid fundatum in re extra, progreditur ad explicandum ens rationis sine fundamento, & dicit sic: (Aliquando verò id, quod significatur per nomen non habet fundamentum in re, neque proximum neque remotum, sicut conceptio chimæ, quia nec est similitudo alicujus rei extra animam, neque consequitur ex modo intelligendi rem aliquam naturæ; & idè ista conceptio est falsa.) Ex quo sic. Illud juxta D. Thomam est ens rationis sine fundamento, quod

## De Ente rationis.

est quid positivum, & non est similitudo rei extra animam; nec consequitur ex modo intelligendi rem extra animam: sed dum privatio, aut negatio concipitur ut quid positivum; hoc positivum non est similitudo rei existentis extra animam; neque consequitur ex modo intelligendi rem aliquam naturæ: ergo juxta D. Thomam privatio, & negatio non sunt ens fundatum.

Minor probatur. Dum concipis nihil, ut quid positivum, hoc positivum non est similitudo alicujus rei realis extra animam, ut patet. Nec sequitur hoc positivum ex modo intelligendi rem aliquam naturæ; quia concipiendo nihil, non intelligis rem naturalem, sed negationem omnium rei naturalis: ergo illud positivum est factum sine fundamento, cum nec sit similitudo rei naturalis; nec sequatur ex cognitione rei naturalis, sed carentiæ rei. Idè argumentum fit in cæcitate cognita, quia cæcitas non est res naturalis, sed privatio ejus. Ergo dum sequitur quid positivum ex cognitione cæcitatis, non sequitur ex cognitione rei naturalis.

Dices: Illud positivum quod resultat ex cognitione nihili, & cæcitatis, est similitudo rei naturalis, quia est quid

## Quæst. III.

quid conceptum ad similitudinem entis realis. Sed contra. Nam dum concipis chimæram, ut quid positivum, illam concipis ad similitudinem rei naturalis: & tamen juxta D. Thomam laudatum, chimæra concepta non est similitudo rei naturalis: ergo licet negationes & privationes concipias ad similitudinem rei naturalis, non sunt tamen similitudo, & sic non sunt quid positivum cum fundamento.

Et ratio ex D. Thoma est, quia solum datur in anima similitudo rei naturalis, quando natura realis cognoscitur abstracta à suis inferioribus. Audi ipsum lib. de Ente, & Essentia cap. 4. (Relinquitur ergo quod ratio speciei accidat naturæ humanæ secundum illud esse quod habet in intellectu. Ipsa enim natura habet esse in intellectu, abstractum ab omnibus individuantibus, & habet rationem uniformem ad omnia individua, quæ sunt extra animam, prout essentialiter est imago omnium, & inducens in cognitionem omnium in quantum sunt homines &c.) En quid sit juxta D. Thomam esse similitudinem rei extra animam, est enim esse imaginem essentialiter, & sine fictione entis realis, extra animam existentis. Sed nihil, & privatio non sunt similitu-

do, aut imago essentialis entis realis, sed ficta sunt ad similitudinem entis realis: ergo non sunt ens fundatum.

8. Confirmatur ex S. Doct. Opusc. 41. cap. 3. dicente. (Ex hoc namque quod aliquid in rerum natura est, sequitur veritas in propositione quæ illud significat quod ipsum verbum est. Sed quia illud, quod in se est non ens, sicut negatio, & privatio, intellectus accipit ut ens, idè talia dicuntur esse, quando formatur propositio de eis per copulam, est, licet non respondeat esse à parte rei, è quod talia essentias non habeant, quæ sunt principia existendi.) Hæc S. Doctor ubi plura notabis.

Primò, quod negatio & privatio, non habent esse, nisi in articuli propositione, v. g. dum dicitur *Cæcitas est in oculo. Tenebræ erant super abyssum.* Ratio hujus data est à D. Thoma lib. de Ente & Essentia cap. 1. Quia juxta Philosophum ens est duplex, unum quod dividitur per decem prædicamenta; aliud quod significat veritatem propositionis. Sed privatio, & negatio non sunt ens pertinens ad aliquod prædicamentum, cum non sint substantia, quantitas, qualitas, relatio &c. ergo non sunt ens primo modo, sed secundo modo,



modo, scilicet ut possunt facere propositionem veram.

Nota secundò, quòd privationi, & negationi nihil respondet à parte rei juxta D. Thomam: quare si in se accipiuntur ut entia distincta à veritate propositionis de eis formata, tunc talia entia finguntur, ut docet S. Doctor Opusc. 42. cap. 1. & constat fingi sine fundamento in re, quia ut hic ait idem Præceptor Ang. nihil eis respondet à parte rei.

Nota tertio: Quòd intellectus accipiens non ens ut ens, potest dupliciter accipere, scilicet ut ens distinctum à veritate propositionis; vel ut non distinctum à veritate propositionis. Si primo modo, fingit & sine fundamento, quia quòd est nihil, nequit cum fundamento in re concipi, ut ens pertinens ad aliquod prædicamentum; & ita docetur à D. Thoma Opusc. laudato. Si secundo modo? Tunc non fingit, sed nec facit ens rationis, quia tunc accipit propositiones de negatione, & privatione, ut veras: sed solum sunt veræ per dissensum; & sic cognitis non fit ens rationis: ergo concipièdo privationes ut ens indistinctum à veritate propositionis, non facit ens rationis, nec fingit.

His notatis, argue sic, iuxta D. Thomam priva-

tiones, & negationes, non sunt ens pertinens ad aliquod prædicamentum, sed sunt ens indistinctum à veritate propositionis, & quòd solum datur, quando formatur de eis propositio per copulam, est: sed quando formatur de privatione, aut negatione propositio per copulam est tunc vel privatio, ac negatio non sunt entia rationis, vel sunt entia sine fundamento: ergo juxta D. Thomam privatio & negatio, sunt entia rationis sine fundamento Probo min. in propositionibus datis in primo notabili. Vel illæ propositiones accipiuntur per dissensum; vel per assensum: Si per dissensum? Hoc modo sunt veræ, sed non formatur ens rationis, ut concedunt Thomistæ; & vidimus num. 5. ex P. Augustino. Si per assensum? Hoc modo propositiones sunt falsæ, & difformes objecto; quare privatio, & negatio, tunc non possunt esse ens veritate propositionis, cum propositio sic non sit vera. Ergo tunc si sunt entia privatio, & negatio, sunt entia de prædicamento; & sic ficta, & sine fundamento, ut notatum est.

Hinc colliges, quòd secundæ intentiones sunt entia rationis fundata, quia sunt relatio, & sic sunt ens de prædicamento relationis. Id docet expressè

pressè D. Thomas 1. p. q. 28. verbis datis hic num. 2. & rationem dat S. Doct. ibi: (Quia quæ dicuntur ad aliquid significant secundum propriam rationem solum respectum ad aliquid.) Est sensus, quòd relatio de prædicamento solum dicit ad; non tamen dicit realitatem; quare relatio ex suo conceptu & prædicamento non dicit ad reale, nec ad rationis, sed solum ad ab utroque præscindens. Ergo relatio rationis est ens de prædicamento, & sic est ens verum, ut diximus quæstione præcedenti. Imò vix invenies distinctionem inter relationem realem, & relationem rationis quoad veritatem entis prædicamentalis, nisi recurras ad hoc, quòd relatio realis datur in re extra animam, & sic ante considerationem intellectus; relatio verò rationis solum intra animam, & in re considerata, & post considerationem intellectus: utraque tamen est ad prædicamentale; utraque verum ad, & utraque accidens rei, una rei in re extra, altera rei considerata: Si enim relatio realis dicit in, & esse subiectivum, hoc non habet ut relatio, sed ratione fundamenti, ut dicemus lib. de Prædicamentis.

Quartò: Probatur conclusio nostra ex Doct.

Fundatiss. in 1. Sent. dist. 30. q. 1. art. 3. in corpore ubi ait: (Respondeo dicendum, quòd ea, quæ sunt in intellectu, aliquando habent reale fundamentum in re extra; aliquando non: & cum apprehensionem intellectus nihil respondet in re extra, tunc intellectus est cassus, & vanus: & tunc hujusmodi, quæ sic habeat esse, ita sunt entia apud animam, quòd amota anima jam non sunt.) En juxta Egidium ens sine fundamento, consistens in esse ficto, quòd tantum durat, quantum durat cognitio fingens, cassa, & vana, est ens, cujus apprehensionem nihil respondet in re extra: sed dum privatio, & negatio apprehenduntur ut quid positivum, apprehensionem nihil respondet in re extra; cum privatio, & negatio in re extra sint nihil, & non ens: ergo privatio & negatio juxta nostrum Doct. sunt entia rationis sine fundamento facta ab intellectu fingente, vano, & casso.

Et in eodem 1. Sent. dist. 36. q. 2. art. 4. in corpore, quærens quomodo mala habeant ideam in Deo, per quam sciuntur, & puniuntur, dicit cognosci per ideam boni, à quo discordant, & cujus sunt privationes, (Ut loquamur (ait), secundum quòd Philosophus 4. Metaphysicæ loquitur, qui



privaciones appellat. Etia quia sunt negationes entium. Et infra: Hæc omnia quodammodo tangit Augustin. 12. de Civit. Dei cap. 8. qui loquens de cognitione privationū ait: per id idem cognosci privati- va, per quod cognoscitur po- sitiva, non in specie; sed in speciei privatione: unde quo- dammodo sciendo nesciuntur. ) Est dicere quod tenebræ cognoscuntur per spe- ciem lucis, à qua discor- dant. & qua privant. Et quia hæc propositio, *tenebræ sunt*, cognoscitur per dissensum, scilicet per hanc *Non est lux*, ut supra vidimus ex Augusti- no, idè cognoscuntur nesciē- do, quia nihil cognoscis, dum noscis *Non est lux*; sicut sic di- cens nihil affirmas, sed potiùs negas.

II. Quintò: Proba- tur conclusio nostra à ratione. Ens rationis cum fundamento in re non reddit intellectum falsum, vanum, & cassum: sed privatio, & negatio conceptæ ut quid positivum, reddunt intellectum vanum, cassum, & falsum: ergo privatio & ne- gatio sunt entia rationis sine fundamento. Probatur minor, quia tunc intellectus est va- nus, cassus, & falsus, quando concipit aliquid positivum, cui nihil respondet in re: sed privationi, & negationi, nihil

respondet positivum in re: ergo &c. Secundo probatur mi- nor. Hæc propositio alioquin vera, *Homo est cæcus*; redditur falsa, si *ly cæcus* concipitur, ut quid positivum: ergo si priva- tio, & negatio concipiuntur ut quid positivum, reddunt intellectum falsum &c. Pro- batur antecedens. Si de obje- cto affirmatur quod non est, propositio redditur falsa: sed si *ly cæcus* concipitur ut quid positivum, hoc positivum af- firmatur de homine, qui tale positivum non est: ergo.

Confirmatur. Hæc pro- positio *Homo est cæcus* ex par- te objecti est idem ac ista *Ho- mo non est videns*. Patet hoc ex P. Augustino laudato num. 5. ubi ait, quod hæc propositio *Tenebræ sunt*, eadem est ex par- te objecti, ac ista *Non est lux*. Ergo ut intellectus sit verus in hac propositione *Homo est cæcus*, debet ex parte objecti concipere idem, ac in ista *Ho- mo non est videns*. Sed in ista nihil positivum cōcipit, quod affirmet de homine: ergo in prima dicendo *cæcum*, nil affirmat positivum, nec con- cipit in cæcitate. Ergo si con- cipit cæcitatē ut quid po- sitivum, fingit sine fundamen- to, & redditur intellectus fal- sus, & vanus.

Confirmatur secundo: Totum fundamentum juxta Tho-

Thomitas, ut privatio con- cipiantur ut quid positivum, est, vel quia quidquid con- cipitur cognoscitur ad mo- dum entis, quæ ratio est Phi- losophi, & D. Thomæ lib. de Ente, & Essentia cap. 1. vel quia de privatione affirmatur esse, sic *Cæcitas est in oculo*, quod exemplum etiam est D. Thomæ: vel tandem, quia privatio affirmatur de ente po- sitivo sic, *Homo est cæcus*. Sed ista omnia non sunt funda- mentum ad concipiendas pri- vaciones, ut quid positivum: ergo sic conceptæ sunt entia rationis sine fundamento. Mi- nor quoad duas primas partes probata est ex D. Thomæ num. 8. & 9. ubi privationibus so- lum concedit S. Doct. ratio- nem entis indistinctam à veri- tate propositionis; & tunc si propositio est vera, fit per dis- sensum, in quo non datur ens rationis. Quare vel privatio non est ens, vel est fictum sine fundamēto. De minori quoad tertiam partem constat ex pri- ma confirmatione rationis no- stræ.

12. Probatur nunc secunda conclusio nostra, quā defendimus ob auctoritatem D. Thomæ 1. p. q. 28. art. 1. in corpore, cujus verba dedimus num. 1. Dicimus enim S. Do- ctore nullam posse fingi eas rationis quod non sit relatio,

negatio, aut privatio. Proba- tur: Nullum est possibile ens rationis verum, & funda- tum, quod non sit relatio, ut supra probatum est. Sed etiam nullum est possibile ens ratio- nis fictum, quod non sit nega- tio, aut privatio: ergo nul- lum est possibile ens rationis cum fundamento, & sine fun- damento, quod non pertineat ad relationem, negationem, vel privationem, & sic divisio est adæquata. Probatur mi- nor. Nullum est possibile ens rationis fictum, nisi quando *non ens* fingitur ut *ens*; vel quando entia realia distincta concipiuntur ut identificata, vel non unibilia, ut unibilia: sed *non ens* conceptum ut *ens* pertinet ad negationem, & privationem; reliqua verò pertinent ad negationem quia negatio identitatis, vel unio- nis apprehenditur ut identi- tas, & unio, & fingitur inter extrema, quæ non habent il- lam: ergo.

Confirmatur hoc ex no- stro Egidio Quodlib. 4. q. 7. in corpore ubi ait: (Imagi- nabimur enim, ut imaginatur Philosophus in 3. de Anima, quod res apud intellectum sunt, sicut erant membra ani- malis apud Empedoclem. Po- suit enim Empedocles, quod à principio membra animalis erant divisa: & non solum ani- malis

malis membra, sed & rami arborum: v. g. erat caput sine collo; & erat crus, sive cololum sine spatulis; & sic de membris singulis. Hoc etiam modo & rami arborum divisi erant. Supervenit autem amicitia, & hæc divisa conjunxit: & quædam conjunxit rectè, quædam non rectè: quæ autem conjunxit rectè, fecit idè verum animal, & salvatum est. Aliquando autem conjunxit non rectè ut conjunxit caput bovis cum collo equi, vel cum ramo arboris, & tunc tale animal salvari non potuit. Hoc ergo modo apud intellectum res habent esse divisum, sed intellectus componit, & dividit. & hoc facit rectè, vel non rectè &c.)

En juxta nostrum *Ægidium* tota fictio nostri intellectus, aut tota ejus falsitas stat in unione eorum, quæ repugnant uniri: quare omnis chimæra, ut *hircocervus*, *homo equus*, *sanctus peccator*, & alia complexa ex partibus repugnantibus, quæ intellectus fingit ut identificata, ut unita, & coexistentia in eodem subiecto; hæc non consistunt in aggregato ex entibus realibus, ut probatum est quæst. 1. sed in identitate, vel unione ficta: atqui hæc identitas ficta est negatio, quia à parte rei illa extrema carent identitate, &

unione; & intellectus concipit illam carentiam identitatis, ac si esset identitas, imò & per assensum illam concipit, & affirmat: ergo talia fundamenta sunt negatio.

## §. III.

*Expenduntur aliæ sententiæ cum suis fundamentis.*

13. **A**D fundamenta primæ sententiæ posita n. 2. respondemus, & ad auctoritatem D. Thomæ ibi inductam, dicimus illa probari secundam conclusionem nostram, in qua dicimus cum S. Doct. nullum posse formari ens rationis, quod non sit relatio, negatio, aut privatio. Non tamen dividit D. Thomas in hæc tria membra ens rationis fundamentum, ut immeritò ei affigit *Froylan*, & ostensum est de mente S. Doct. sed dividit ens rationis in communi. Quare ly additum *omnis autem positio absoluta* &c. non benè explicatur à Sapientissimo Thomista, sed debet exponi juxta verba S. Doct. 1. p. q. 28. art. 1. ubi dicit quòd solum prædicamentum relationis admittit relationem rationis. Vide dicta à nobis num. 9. & vide *Bajonam*, qui eandem tradit expositionem ac nos. Ad

Ad rationem Mag. *Bajonæ*, si sit sermo de ente sine fundamento eam plenè admittimus: si verò sit de ente fundato, tunc major est falsitas: falsum enim est quòd ens rationis fundamentum est illud, quod cum non sit in se ens reale, concipitur ad modum entis realis. Hoc enim apud R.R. habetur ut inconcussè verum; sed oppositum latè probatum est à nobis quæst. præcedente. Nec ad hoc ullum datur fundamentum in natura ut *non ens* concipiatur per assensum ut ens, ut hac quæstione satis etiam probatum est.

Ad rationem Magistri *Froylan* dist. maj. Illud est ens rationis cum fundamento, quod in proprio conceptu nò explicat entitatem realem; præcisè, nego maj. quia privatio, & negatio non explicant entitatem, sed carentiam entitatis; & tamen si sunt entia rationis, fiunt sine fundamento, ut probatum est ex P. Augustino, D. Thoma, & *Ægidio*. Quod non explicat entitatè, & ei correspondet aliquid in re extra animam, ut fundamentum, concedo maj. sed hoc modo nego min. quia privationi, & negationi nihil in re extra animam respondet: relationi verò, & secundis intentionibus respondet fundamentum in re, ut quæst. præce-

denti latè ostensum est: ergo sola relatio rationis est ens rationis fundamentum.

14. Ad fundamenta secundæ sententiæ posita num. 3. respondemus, & ad primam de substantia rationis, dicimus *chimæram*, *hircocervum*, & *Angelum corporeum*, attentis extremis, esse substantiam, quia extrema aggregata substantia sunt: sed sic sunt quid reale. Ens autem rationis, quod in talibus est, consistit in identitate ficta corporitatis cum Angelo, & hirci cum cervo. Hæc est ens rationis chimæricum; ceterum tale non est substantia, nec in prædicamento substantiæ, sed est negatio, quia cum à parte rei detur inter hircum, & cervum carentia identitatis, intellectus fingit identitatem, & sic facit chimæram, quæ continetur sub negatione.

Ad aliud de quantitate hircocervi, dic idem: nam sicut in hircocervo intellectus fingens identificat duas naturas reales, & distinctas; ita fingens in hircocervo quantitatem, illam unit hircocervo. Quantitas unita quid reale est in se, sed unio est ficta, ut diximus de identitate. Et hæc unio ficta est etiam negatio, quia à parte rei quantitas solum unitur cum ente; ceterum inter quantitatem, & *non ens* datur

datur earentia unionis: ergo cum hircocervus à parte rei sit nihil, & *namens* hircocervus & *quantitas* à parte rei earent unione: ergo dum intellectus ea unit fingens, facit ens rationis quod est negatio.

Ad aliud de spatio imaginario extra Empyreum, dic quòd actu est nihil, ceterum est ens reale possibile, quia extra Empyreum potest Deus infinitos mundos creare, & locare. Et quia hoc spatium est ens possibile, quæritur à Theologo tractatu de immensitate, & à Philosophis 4. Physicorū, an Deus sit actu in spatijs imaginarijs? Quod negat S.P. Augustinus dolens, quòd juvenis ita Deum cogitaverit. Si ergo spatium illud est quid reale possibile, non erit ens rationis, ut patet. Si tamen fingamus tale spatium actualiter dari, & esse ens actuale, tunc fingitur ens rationis; non ens de genere quantitatis, sed ens quod est negatio; quia negatio entis actualis concipitur ut ens actuale.

Ad aliud de calore, & colore hircocervi fatemur posse fingi hircocervos calidos, item alios frigidos, ambulantes, volantes, nudos, vestitos, & mille combinationes hircocervi ad alia prædicamenta possumus fingere. Sed extrema sunt realia, & so-

la unio ficta est ens rationis ut de quantitate dictum est. Quare licet extrema realia pertineant ad varia prædicamenta, unio tamen ficta, quæ sola est ens rationis, ad nullum pertinet prædicamentum, sed est ens rationis, quòd est negatio.

Sed dices: Unio est modus rei unitæ; sed modus pertinet ad idem prædicamentum, ac res quæ est unita, & cujus est modus: ergo unio ficta in exemplis datis pertinet ad varia prædicamenta; & consequenter in omni prædicamento datur ens rationis. Respondeo dist. maj. unio vera concedo maj. unio ficta nego maj. Idem dic de identitate. Nec unio ficta est modus, sed ens fictum, vel nihil conceptum ut ens: nec adhuc dato quòd esset modus fictus, pertineret ad prædicamentum rei unitæ. Quia idè verus modus pertinet ad prædicamentum suæ rei, quia non habet entitatem nisi rei cujus est modus. At unio, & modus fictus non habet entitatem rei cujus est modus; quia res unita est realis; & unio ficta nō est capax entitatis realis: ergo unio ficta, & modus fictus, non pertinet ad aliquod prædicamentum.

15. Ad fundamenta tertiæ sententiæ posita num.

4. dicimus non subsistere, quia secundæ intentiones logicæ sunt relationes rationis, ut vidimus quæst. præcedenti, & constabit ex lib. 3. & 4. sequenti. Quare secundæ intentiones continētur sub relatione, quæ est unum ex membris divisionis. Ad aliud de distinctione rationis responderi potest juxta principia Thomistica, quòd distinctio rationis est relatio rationis, quæ supponit extrema distincta fundamentaliter, non verò formaliter. Nec est paritas de relatione reali; primò quia distinctio realis est absoluta, & sic præcedit relationem; distinctio verò rationis non est absoluta, sed respectiva orta ab intellectu comparante conceptus suos ad invicem. Præterea in Divinis distinctio Personarum est realis, & non ante relationes, sed per illas; imò ipsa distinctio est relatio.

Juxta nostra principia, de quibus lib. 3. sequenti, distinctio rationis non datur inter *animal*, & *rationale*, nec inter alios conceptus reales; quia unitas, & distinctio, sunt passionis entis, ab eo dimanantes, & cum eo commensurata: quare sicut duo entia rationis non possunt distingui realiter; ita duo prædicata realia, ut sunt *animal rationale*, non possunt distingui per

rationem, hoc est distinctio-  
ne, quæ sit ens rationis. Distinguantur enim illa prædicata realiter extrinsecè, quia repræsentantur in diversis conceptibus objectivis, præcisè objectivè; unde distinguuntur eadem distinctione, ac cōceptus; sed distinctio inter conceptus est realis: ergo inter *animal*, & *rationale* datur eadem distinctio. Sed cum hoc discrimine, quòd conceptus distinguuntur realiter intrinsecè; prædicata verò realiter extrinsecè. Quia sicut denominatio cogniti est extrinseca prædicato cognito, sic distinctio illa, quia provenit ab eadem cognitione eis extrinseca. Dicuntur hæc distingui per relationem, quia distinctio quæ in objecto erat virtualis, fit actualis per intellectum: sed est actualis realis extrinseca. Pro nunc sufficiat hæc insinuisse usque dum loco citato comprobentur.

At quoniam duo entia rationis fundata, v. g. relatio generis, & relatio speciei distinguuntur per rationem distinctione, quæ est ens rationis; de ista quæritur, an contineatur sub divisione data? Respondeo quòd continetur, & spectat ad relationem; non quòd talis distinctio sit relatio; quia sicut relationes comparatæ reales distinguuntur si-

re oppositione; ita sine relatione, quia omnis relatio maxime prædicamentalis oppositio est. Sed dicimus, quod pertinet ad relationem, quia est passio ejus; & sicut in ente reali unitas, distinctio, veritas, bonitas, & alia passiones pertinent ad idem prædicamentum in quo est entitas, cujus sunt passiones; ita distinctio, & unitas quæ sunt passiones entis rationis pertinent ad idem prædicamentum. Hoc ideo, quia sunt constitutivæ entitatis, & unitatis ejus. Quare de primo ad ultimum divisio data à D. Thoma, adæquata est.

Quæres. An unitas formalis naturæ universalis contineatur sub ista divisione? Respondeo sub distinctione: nam si talis unitas sit realis, non pertinet ad nos pro nunc qui agimus de divisione entis rationis. Si tamen sit unitas rationis (hoc est unitas non solum facta à ratione abstracte naturam, sed quæ sit ens rationis) tunc est idem ac relatio naturæ universalis, ut docet Froylan hic cum Thomistis; quare contineatur sub divisione data: & sic adæquata est.

Hoc modo quidquid est, habet essentiam; & dum est, habet existentiam. Jam vero de ente rationis scimus habere essentiam; hæc enim explicata est per definitionem ejus, & consistit in *esse objectivo*. Quærimus quænam sit ejus existentia; vel per quæ actualitate existat hoc esse objectivum, in quo consistit ejus essentia?

Supponimus secundò aliqua entia rationis immediate fundari in ente reali cognito, v. g. relatio speciei, aut universalis reperta in conceptu objectivo. *Homo*; hæc fundatur immediate in homine concepto, qui est ens reale. At verò alia sunt entia rationis, quæ fundatur supra aliud ens rationis, v. g. dum dicimus *Petrus est homo*, *ly homo* est prædicatum, & secunda intentio prædicati fundatur supra secundam intentionem speciei prædicabilis; unde unum ens rationis fundatur supra aliud.

2. His notatis: prima sententia docet ens rationis existere per existentiam sui fundamenti. Probat per primò: Quia plura sunt entia rationis, quæ existunt antecederet ad æqualem cognitionem intellectus; sed tunc solum existunt per existentiam sui fundamenti; ergo ens ratio nis existit per existentiam sui fundamenti. Minor patet, quia si non per illam, deberet per

propriam, & factam ab intellectu actualiter considerante; ergo si ante æqualem considerationem intellectus existunt &c. Major probatur. Ante omnem considerationem intellectus voces dicuntur signa; sacramenta etiam signa sunt ad placitum ex institutione Christi; item Christus D. dicitur Filius B. V. M. Rursum Deus dicitur Dominus, & Creator: sed voces sunt signa rerum per relationem rationis; sacramenta in ratione signi complentur per relationem rationis; Christus D. relative est filius, & non per relationem realem ad Matrem; Deus etiam Dominus, & Creator per relationem rationis ad creaturas: ergo relationes istæ existunt per existentiam sui fundamenti. Secundò probatur eadem sententia. Ideo ens rationis non existeret per existentiam sui fundamenti, quia aliquando fundamentum est reale, & ejus existentia realis est, quam non potest habere ens rationis, quod non realiter existit. Sed hæc ratio in primis non probat de ente rationis, fundato in alio ente rationis; aliunde nil probat de ente rationis, fundato in ente reali: ergo hæc ratio nil probat. Probat minor. Potest ens ratio nis existere per existentiam realem, quin realiter existat; ergo. Probat antecedens. Po

## QUÆSTIO QUARTA.

*Utrum ens rationis existat per existentiam sui fundamenti?*

### §. I.

*Referuntur sententia cum suis fundamentis.*

Supponit hæc quæstio aliqualem distinctionem inter essentiam, & existentiam; & quod existentia est *ultima actualitas entis, qua actualiter ens existit*, vel ut alij dicunt est ultima actualitas, qua res ponitur extra omnes

suas causas. Hyemali tempore non datur rosa, quam vernali expectamus pullulare; quando ergo plenè erupit, & effloruit, tunc existit, & existentia ejus est actualitas illa, qua actu ponitur extra causas suas, & existit in se. Hoc

teit Humanitas Christi existere per existentiam infinitam, & aeternam, quia infinite, & ab aeterno existit, ergo &c.

Confirmatur primò: Potest ens rationis terminare realem causalitatem intellectus, quia fit effectus realis: ergo poterit existere per existentiam realem fundamenti, quia ens rationis fit realiter existens. Secundò. Potest ens rationis representari per speciem impressam entis realis: ergo poterit existere per existentiam realem sui fundamenti realis.

Tertiò probatur hæc sententia. Vel est possibile ens rationis existere per existentiam sui fundamenti, vel non est possibile. Si possibile? ergo potest existere per existentiam sui fundamenti. Si non possibile? ergo sequitur etiam quòd possit per illam existere. Probatur hæc sequela. Qui apprehendit ens rationis existere per existentiam sui fundamenti, facit ens rationis; cum apprehendat objectum aliter ac est in se: sed hoc ens rationis factum per istam cognitionem, existit per existentiam sui fundamenti: ergo. Probatur hæc minor. Nam esse hujus entis rationis consistit in eo, quòd concipiatur sic existere per existentiam sui fundamenti: ergo &c.

3. Secunda sententia, quam defendunt omnes RR. Thomistæ, docet ens rationis existere per existentiam propriam, distinctam ab existentia fundamenti, & hoc non solum tenent de ente rationis fundato in ente reali, sed de fundato in alio ente rationis. Et si petas ab eis in quo consistit hæc existentia? Non explicat ex professo, sed colligitur ex eorum doctrina; juxta quam dicendum consistere in actualiter obijci cognitioni fingenti; vel in actu obijci cognitioni practice. Quare ens rationis non existit, quando actualiter non cognoscitur; si quidem tunc non habet esse objectivum actuale. Nec item existit, quando actu cognoscitur cognitione speculativa; quia Deus illud sic cognoscit, & tamen non facit ens rationis, nec dat ei existentiam. Rursus sæpe cognoscimus ens rationis jam factum, & consequenter non facimus illud; quia quòd factum est, nequit fieri; quia fieri est *transire de non esse ad esse*; & quòd jam est factum, nequit transire de non esse ad esse. Quare cognitio entis rationis, jam facti, non est practica, aut factiva, sed speculativa: entis jam facti, & idè non dat existentiam enti rationis; nec existentia ejus consistit in actualiter obijci

objici cognitioni speculativa.

Restat ergo quòd existentia entis rationis, quæ dicitur propria, consistat in eo esse objectivo, quo actualiter obijcitur cognitioni fingenti, aut cognitioni practice. Et patet, quia juxta ipsos Thomistas ens rationis solum existit, quando actu cognoscitur cognitione practica, & fingente; sed dum sic cognoscitur, actu obijcitur cognitioni practice fingenti: ergo existentia entis rationis consistit in actualiter obijci cognitioni practice fingenti.

4. Probatur primò hæc sententia de ente fundato in ente reali. Ens rationis nequit realiter existere nisi & existere per existentiam realem sui fundamenti, realiter existens; ergo ens rationis fundatum in ente reali nequit existere per existentiam sui fundamenti. Major patet, quia ens rationis est incapax recipere existentiam realem, aut effectum eius. Minor etiam est certa, quia effectus formalis existentie realis est realiter existens; effectus enim quuscumque formæ, est ipsa formæ communicata subjecto; sed existentia realis, communicata subjecto, sed sit subjectum realiter existens; ergo si ens rationis existeret &c.

Confirmatur primò: Quòd existit per existentiam realem, existit ante omnem considerationem intellectus: sed ens rationis nequit existere ante omnem considerationem intellectus: ergo nequit existere per existentiam realem sui fundamenti. Major patet, quia existentia realis est independens à consideratione intellectus, & datur in fundamento ante omnem considerationem intellectus: ergo si per hanc existeret ens rationis, existeret ante omnem &c. Minor probatur. Existentia entis rationis consistit in actu obijci intellectui consideranti: ergo ens rationis &c. Probatut antecedens. Existentia cuiuslibet consistit in eo quòd illud esse sit essentia quòd erit signatum, & possibile, fiat esse exercitum, & actuale; sed essentia entis rationis consistit in esse objectivo intellectui signato, & possibile, vel in esse potère obijci intellectui: ergo existentia entis rationis consistit in actu obijci intellectui.

Confirmatur secundò: Si ens rationis existeret per existentiam sui fundamenti, inciperet existere, quando inciperet suum fundamentum; sed hæc implicat; ergo &c. Major patet, quia tunc aliquid incipit existere, quando datur ejus

existentia; existentia autem fundamenti datur quando incipit fundamentum existere. Minor probatur. Implicat quod ens rationis existat independentem ab intellectu: sed si inciperet existere, quando incipit fundamentum, inciperet existere independentem ab intellectu; cum fundamentum independentem ab intellectu incipiat existere: g. Confirmatur tertio: Implicat existere ens rationis, & non esse fictum in exercitio: sed implicat esse fictum independentem ab intellectu fingente: ergo implicat existere per existentiam fundamenti realem, & independentem ab intellectu. Minor constat, & major probatur. Quia sicut homo essentialiter est ens creatum, ita ens rationis est essentialiter fictum: sed repugnat homo existens, qui in exercitio non sit ens creatum: ergo &c.

Secundo probatur hæc sententia. Si ens rationis existeret per existentiam realem sui fundamenti, sequeretur dari plura entia rationis, quorum essentia, & existentia esset æterna & improducta: sed consequens est falsum: ergo & antecedens unde sequitur. Probatur major. Datur plura entia rationis, quorum fundamentum est æternum & improductum: ergo

si ens rationis &c. Probatur antecedens primò. Quia negatio alterius mundi, & negatio chimæ, quæ fundamenta sunt entium rationis, non minus quam carentia visus, & lucis, sunt ab æterno, & improducta. Secundo, distinctio virtualis inter *animal* & *rationale*, quæ est fundamentum distinctionis rationis; scilicet multiplicabilitas nature humanæ, quæ est fundamentum universalitatis, sunt ab æterno, & improducta.

Iam verò consequentia probatur. Ideo juxta contrarios essentia, & existentia entis rationis, quod fundatur in negatione visus, incipit independentem ab intellectu, quia ex quo incipit negatio visus, homo denominatur ex eo independentem ab intellectu: sed ex quo dantur negationes visus, & chimæ, & item ex quo dantur distinctio virtualis, & multiplicabilitas, & omnimodum alter mundus futurus, chimæ repugnans, animal distinctum à rationali, & natura humana species, & talia fundamenta sunt ab æterno: ergo si ens rationis existeret per existentiam sui fundamenti, plura darentur entia rationis, quorum existentia esset æterna, & improducta. Ita probatur à Mag. Bajona hæc assertio prolixius, quam ab alijs Thomistis. Iam

Iam verò de ente rationis fundato in alio ente rationis, probatur hæc sententia à Palanco, & Bajona sic. Etsi existat ens rationis fundans, potest non existere ens rationis fundatum: ergo ens fundatum non existit per existentiam fundamenti, adhuc quando fundamentum est ens rationis. Probatur antecedens. Etsi existat ens rationis fundans, potest intellectus nihil cogitare de ente rationis fundato: sed dum intellectus nihil cogitat de ente rationis, tunc non existit: ergo. Minor probatur. Ens rationis non potest aliter existere, quam objective: sed dum intellectus nil cogitat de ente rationis, non existit objective, cum actu non obijciatur: ergo.

Confirmatur à Palanco. Ens rationis essentialiter est ens fictum, ita ut nec possit fieri, nec conservari, nisi per fictionem: ergo nequit existere, nisi dum actu fingitur, sed dum fingitur, cognoscitur: ergo nequit existere, nisi actu cognoscatur. Minor sumpta patet, quia tunc aliquid fingitur, quando representatur, ac si esset: sed quando ens rationis representatur, ac si esset, cognoscitur: ergo dum fingitur, cognoscitur.

Secundo probatur hæc

sententia quoad istam partem à Mag. Froylan sic. Existentia fundamenti adequatur cum natura fundanti: ergo per illam nequit existere ens rationis fundatum. Patet consequentia, quia alias non adequaretur cum natura fundamenti, si aliquid ab eo distinctum, redderet existens. Antecedens probatur. Ita comparatur existentia ad naturam, cujus est existentia, sicut modus inhærentiæ ad accidens, cujus est inhærentia: sed ita adequatur accidens cum modo suæ inhærentiæ, ut per illam non possit aliud accidens inhære: ergo existentia fundamenti &c.

Secundo probatur idem antecedens. Nam quæ unio, & relatio, consistunt in actuali exercitio, essentialiter adequantur cum extremo, vel subjecto, quibus sunt conaturalia: sed existentia consistit in exercitio terminandi naturam: ergo &c. Tertio probatur idem antecedens. Quia figura est ultimus terminus quantitatis, adequatur essentialiter cum una quantitate: sed existentia est ultimus terminus nature: ergo idem. Quarto: Sic existentia comparatur ad naturam, à qua specificatur, qualiter relatio ad situm terminum: sed relatio essentialiter adequatur cum ter-



termino illam specificante: ergo & existens, cum natura quam terminat, non est confirmatur ab eodem. **Mag.** Omnis existens creata, est finita, & non continet perfectionem differentialem alterius: ergo existens finita fundamenti, nequit reddere existens ens rationis fundamentum. Pater consequentiam Nam idem existens Verbi Divini reddit existentem Humanitatem Christi. D. quia est existens infinita, potens facere quod faceret existens propria Humanitatis, si sibi esset; & hoc idem, quia continet eminenter perfectionem, illius: ergo à contrario existens, quia ratione sua finitudinis non continet perfectionem alterius, nequit illud reddere existens; & sic existens Retri nequit reddere Paulum existentem, quia finita est.

Hac fufius reposui, ut videas, quantum aequinis, & ingenij RR. devoverint, enti rationis, indagando ejus essentialiam, & existentiam: quod si ens rationis capax foret graditudinis, nemini ita gratum se ostenderet, quam Sapientissimo Froylano, qui in ultima sua confirmatione inde negat existentiam fundamenti sufficere pro ente rationis, quia finita est, quia non continet perfectionem entis ra-

tionis fundati; quam si contineret, foret existentia infinita. Quo dato restat, ut ens rationis existat per suam propriam existentiam fictam; vel si per alienam, solum poterit existere per existentiam Verbi Divini, ut Humanitas Christi. Nunquam sane tantam perfectionem sperare potuit ens rationis, quantum ista confirmatione recipit: ut jam merito conqueratur, si imperfectum, & fictum dixeris.

8. Si tamen Thomistis reponas contra, rationes factas, quod ens rationis potest representari per speciem impressam entis realis: ergo & poterit existere per existentiam realem fundamenti. Respondent concedendo antecedens, & negando consequentiam. Disparitas est, quod ex antecedenti solum sequitur, quod ens rationis realiter representetur; sicut, quod realiter cognoscatur, dum cognoscitur cognitione reali. Hæc non repugnat enti rationis, quia ille realiter cognitum, & realiter representatum, sunt de omnibus nationes, extrinsecas, quæ nihil intrinsecum reale ponunt in ente rationis cognito. & realiter presentato. Ceterum existens dicit effectum formalem existentie intrinsecum subiecto existenti. Et cum ens rationis sit incapax effectus realis, non feci,

feci, idem est incapax existendi realiter.

Et observat Magister Froylan, quod ens rationis non representatur per speciem impressam sui fundamenti; sed per speciem impressam entis realis, cum quo habet similitudinem. Quare relatio rationis non representatur per speciem impressam sui fundamenti absoluti, sed per speciem impressam relationis realis, ad cuius similitudinem fingitur relatio rationis: ergo inde non probatur existere per existentiam sui fundamenti. Ratio antecedentis est, quia species solum representat objectum cui est similis: sed species impressa fundamenti absoluti non est similis relationi rationis; bene verò species relationis realis est similis relationi rationis: ergo &c.

Quod si reponas Magistro Froylano, quod species impressa entis realis adæquatur cum ente reali cuius est species; & sic non poterit representare ens rationis. Vel si stante adæquatione potest poterit etiam existentia fundamenti adæquata fundamento, reddere existens ens rationis. Respondet Sap. Magister speciem impressam entis realis adæquari cum eo, tanquam cum objecto motivo, quia à solo ente reali immittitur

species illa. Cum hoc fiat, quod secundario representat ens rationis, ut objectum extensivum.

Tandem addit Mag. Bajona conclusionem Thomisticam quoad utramque partem esse. D. Thoma Opus 42. cap. 1. & in 1. Sent. dist. 2. q. 1. art. 3. & dist. 10. q. 1. art. 1. ubi docet, non fieri ens rationis, quando actu consideratur: sed ens rationis fit, quando ei existentia communicatur: ergo tantum communicatur illi existentia divina actu consideratur.

## §. II.

*Nostra sententia proponitur, & probatur.*

10. **N**OSTRA sententia dicit, (Ens rationis fundatum datum non existere per existentiam sui fundamenti; nec per existentiam propriam; sed per existentiam veram objectivam, quam habet in specie expressa; representativa fundamenti realis.) Hæc conclusio tres habet partes, duas contra præcedentes sententias, tertiam assertivam nostræ sententiæ, & omnes sunt sequela doctrinæ datæ questione 2. & 3.

Dicimus primò contra pri-



primam sententiam: *ens ratio non existere per existentiam sui fundamenti*. Hæc assertio juxta sensum sententiæ impugnat est nobis certissima. Nam primam sententiam procedit de fundamento reali extra animam, quod existit in re ante omnem considerationem intellectus, ut patet ex prima ratione probativa illius sententiæ. De existentia hujus fundamenti est nobis certissimum non posse reddere ens rationis existens. Probatur primo: Quia existentia fundamenti existentis in re extra, dat esse subjectivum, & est existentia subjectiva: sed ens rationis non est capax existentia subjectivæ, dantis esse subjectivum: ergo ens rationis non potest existere per existentiam fundamenti in re extra. Minor patet ex diffinitione entis rationis. Nam est *quod tantum habet esse objectivum in intellectu*: sed quod essentialiter habet tantum esse objectivum, est essentialiter incapax recipiendi esse subjectivum: ergo.

Secundo: Quod essentialiter habet esse objectivum in intellectu, essentialiter repugnat habere esse extra intellectum, & ante omnem considerationem intellectus: sed quod existit per existentiam realem extra intellectum, &

ante omnem considerationem intellectus, ut dicit prima sententia, habet esse extra intellectum & ante omnem intellectum considerationem: ergo ens rationis, cujus essentia est habere esse objectivum tantum in intellectu, nequit existere per existentiam sui fundamenti existentis in re extra. Hæc ratio æquè probat de omni ente rationis fundato, & ficto.

11. Ceterum quia, ut vidimus q. 2. ens rationis fundatum, duo habet fundamenta; unum in re extra animam; aliud in re concepta, vel considerata, & hoc est intra intellectum; de isto secundo restat dubium, quia prima sententia, & ratio nostra contra illam, solum procedunt de existentia primi fundamenti. Explicatur: Relatio rationis Creatoris ad creaturas; fundatur immediate, & est in Deo à nobis concepto; & mediate fundatur in actione creativa Dei existente extra intellectum nostrum. Prima sententia dicit relationem rationis existere ante omnem cognitionem nostram, per existentiam actionis creativæ Dei. Hanc impugnavimus supra. Restat videre, an relatio illa quæ non est in Deo extra, sed in Deo à nobis considerato, ut vidimus ex D. Thoma, & Egidio q. 1. An existit

existere possit per existentiam Dei à nobis considerati?

Respondemus quod non. Et probatur. Quia existentia intentionalis, quam habet Deus in nostro intellectu, dum cognoscitur ut Creator, non est existentia purè objectiva, sed subjectiva, & objectiva: sed ens rationis habens esse purè objectivum, nequit existere per existentiam non purè objectivam: ergo nequit existere per existentiam sui fundamenti proximi. Major patet ex dictis q. citata §. 1. Licet enim quidquid cognoscitur ab intellectu, sit objectivè, & habeat esse objectivum, non est ens rationis, quia non habet purum esse objectivum, sed subjectivum, & objectivum: quare entia realia à nobis cognita, non sunt ens rationis, de quo in presenti.

12. Quæres adhuc. Quid tenendum; quando fundamentum proximum esset ens rationis etiam, habens existentiam purè objectivam? Respondemus, quod nec in eo casu ens rationis fundatum existit per existentiam entis rationis fundantis. Probat: species expressa hominis abstracti à singularibus, repræsentat relationem speciei naturæ ad inferiora; & non repræsentat relationem prædicati æqualis, quæ invenitur in

homine, dum sic prædicatur *Petrus est homo*: sed existentia secundæ intentionis prædicati non habetur, nisi per speciem illam actualiter representantem, ut dicemus in tertia assertione: ergo ens rationis fundatum non existit per existentiam fundamenti proximi, adhuc quando fundamentum proximum est ens rationis.

Explicatur. In hoc conceptu *homo* solum datur secundæ intentio universalis, & speciei. In hoc conceptu complexo *Petrus est homo*, datur secundæ intentio prædicati, & etiam secundæ intentio universalis, quæ conservatur in actuali prædicatione, ut dicemus libro sequenti. Hæc intentio prædicati fundatur supra intentionem speciei, ut diximus num. 1. Nunc sic. Species impressa *homo* non repræsentat secundam intentionem prædicati: sed, ut dicemus in tertia assertione, existentia objectiva entis rationis est existentia repræsentativa: ergo intentio prædicati non existit per existentiam intentionis supra quam fundatur.

Confirmatur. Secundæ intentionis prædicati resultat ex secundæ operatione, quæ est iudicium, quia solum datur, dum intellectus unum prædicat de alio. Secundæ intentio univer-

falis, & speciei, resultat ex prima operatione, quæ est apprehensio: sed si intentio prædicati existeret per existentiam sui fundamenti, existeret ex vi solum apprehensionis naturæ, & ante actualem prædicationem: ergo cum repugnet intentioni prædicati ante actualem prædicationem, repugnat quòd intentio prædicati existat per existentiam secundæ intentionis fundantis.

13. Dicimus secundò: *Ens rationis non existere per existentiam propriam.* Hæc assertio est contra secundam sententiam, & vocamus existentiam propriam, illam, quam de mente horum DD. explicavimus num. 2. Probatur. Nam existentia dicta propria est illa quæ consistit in actu objici intellectui practico & fingenti: sed ens rationis fundatum non existit existentia consistente in isto actualiter objici: ergo ens rationis fundatum non existit per existentiam propriam sic dictam. Probatur minor primò. Quia esse entis rationis fundati non est esse fictum, sed verum: sed ens verum nequit existere per existentiam fictam, consistentem in actu objici intellectui practico fingenti: ergo &c. Minor cum consequentia tenet, & major latissimè probata est q. 2. de mente P. Augustini, D.

Thomæ, B. Egidij, & à ratione.

Secundò probatur minor. Existencia entis rationis fundati datur ante omnem cognitionem practicam, aut fingentem: ergo non consistit in actu objici intellectui practico fingenti. Probatur antecedens. Existencia entis rationis fundati datur, quando ens rationis consequitur ex modo intelligendi rem extra animam: sed ante omnem cognitionem practicam fingentem, consequitur ens rationis ex modo intelligendi rem extra animam: ergo existentia &c. Major est D. Thomæ, & etiam minor pluribus locis datis q. 2. pro nostra sententia; sed accipe nunc sola verba S. D. in 1. Sent. dist. 2. q. art. 3. in corpore: (Aliquando autem hoc quod significat nomen, non est similitudo rei existentis extra animam, sed est aliquid quod consequitur ex modo intelligendi rem quæ est extra animam; & hujusmodi sunt intentiones, quas intellectus noster adinvenit, sicut significatum hujus nominis genus,) legatur apud S. Doct. corpus integrum hujus articuli; & invenietur plenè pro nobis.

Argue sic. Iuxta D. Thomam per hoc præcisè quòd intellectus noster intelligit *animal abstractum* ab inferioribus,

consequitur ex isto modo intelligendi animalitatem secundam intentionem generis: sed ante omnem cognitionem practicam fingentem, cognoscit intellectus *animal abstractum* à suis inferioribus: ergo ante omnem cognitionem practicam fingentem consequitur & existit ens rationis fundatum. Major est D. Thomæ ubi supra & lib. de Ente & Essentia cap. 4. cujus verba dabimus in tertia assertione apponendo exemplum in homine & intentione speciei. Minor patet, quia cognitio abstrahens *animal* ab inferioribus, non est practica, nec fingens, nec reflexa; sed est cognitio directa, vera, & præcisiva; & sic datur ante omnem cognitionem fingentem, & practicam.

14. Rursus. Iuxta Thomam secundam sententiæ ens rationis non fit per cognitionem directam rei existentis extra animam, sed per cognitionem subsequenter, & reflexam, qua intellectus reflectitur supra res directè consideratas: atqui juxta D. Thomam laudatum hæc secunda cognitio non facit ens rationis, nec est practica, sed purè speculativa: ergo existentia entis rationis non consistit in actu objici cognitioni practice explicatæ à secunda sententiæ. Probatur minor. Quando

intellectus juxta D. Thomam per secundam cognitionem reflectitur supra res consideratas, tunc adinvenit in eis secundas intentiones, quæ consequuntur ex modo intelligendi directè res consideratas: sed intellectus non facit, quod adinvenit factum, & consequutum; sed speculativè contemplatur: ergo &c. Major patet ex verbis datis, & ex tota q. 2. ubi varijs autoritatibus S. Doct. probatum est, quòd nunquam dixit fieri ab intellectu, sed adinveniri.

Rursus. Iuxta D. Thomam locis datis, nulla est possibilis cognitio entis rationis, quæ sit factiva entis rationis: ergo existentia entis rationis non consistit in actu objici cognitioni practice entis rationis, ut dicitur secunda sententiæ. Probatur antecedens. Omnis cognitio quæ datur, ut *animal* sit genus, est, vel prima & directa, qua natura animalis abstrahitur; vel secunda & reflexa, qua intellectus reflexè considerat animal abstractum, & cum intentione generis ad inferiora. Prima cognitio est fundamentaliter practica, quia ponit naturam abstractam, quæ est fundamentum entis rationis. Sed hæc cognitio non cognoscit ens rationis, sed solam naturam quæ est in re extrà, & idè est

cognitio directa. Secunda cognitio certè cognoscit ens rationis, sed non est practica, quia non facit, sed adinvenit factam relationem generis ad inferiora; ergo nulla est possibilis cognitio entis rationis fundari, quæ sit factiva, & practica illius.

Et ratio hujus est tota doctrina data quæst. 2. ubi probatum est ex D. Thoma, & Ægidio nostro, quòd relatio rationis non fit formaliter, sed fundamentaliter, modo quo nec relatio realis fit formaliter, sed fundamentaliter solùm; nam non datur actio per se terminata ad relationem realem, & minus ad relationem rationis, ut dicitur 5. Physicorum; sed relatio resultat per hoc solùm quòd detur actio productiva fundamenti. Atqui actio productiva solius fundamenti relationis rationis non est cognoscitiva entis rationis, sed fundamenti: ergo actio factiva fundamentaliter entis rationis nec est cognoscitiva ejus, nec fingens. Hac actio præcedit alias actiones quibus intellectus adinvenit, & cognoscit ens rationis: ergo ante omnem cognitionem entis rationis fundati, existit ens rationis. Quare ejus existentia non consistit in actu objici cognitioni practice, & fingenti.

Quid autem sit, statim dicam; interim vide dicta quæst. 2. num.

15. Dicimus tertio: (Ens rationis fundatum existit per existentiam veram purè objectivam quam habet in specie expressa representativa fundamenti realis.) Hac est præcipua assertio nostra, quæ probatur tota doctrina data quæst. 1. & ex ibi dictis comprobabitur. Eâ explicamus sic. Intellectus cognoscens hominem abstractum ab individuis, producit notitiam, vel format speciem expressam, in qua veluti in speculo apparet representata natura humana. Hac natura humana hic representata, est imago quædam ducens nos in cognitionem Petri, Pauli, & aliorum in quantum sunt homines: sed imago dicit relationem ad imaginatum, vel ad prototypum: ergo species illa representans imaginem illam, representat etiam relationem, quæ non est realis, sed rationis cum sit inter extrema identificata.

Ecce verba D. Thomæ quibus continetur conclusio nostra, & explicatio data, lib. de Ente, & Essentia cap. 4. ait. (Relinquitur ergo quòd ratio speciei accidat naturæ humanæ secundum illud esse quod habet in intellectu. Ipsa enim

enim natura humana habet esse in intellectu abstractum ab omnibus individuantibus, & habet rationem uniformem ad omnia individua, quæ sunt extrà animam, PROVT ESSENTIALITER EST IMAGO OMNIVM ET INDV-CENS IN COGNITIONEM OMNIVM, in quantum sunt homines. ET EX HOC QVOD TALEM RELATIONEM HABET AD OMNIA INDIVIDVA, intellectus adinvenit rationem speciei, & attribuit sibi. Vnde Commentator dicit 1. de Anima quòd intellectus est qui facit universalitatem in rebus &c.) Ecce tota nostra sententia. Natura abstracta est imago ducens in cognitionem singularium, & ut talis dicit relationem rationis ad singularia: unde hæc relatio existit in specie expressa representante naturam abstractam. Pater hoc ex D. Thoma, primò quia species expressa representat naturam ut imaginem ducentem in cognitionem individuorum: at imago ut talis dicit relationem ad prototypum: ergo representat etiam relationem: Secundò. Nam D. Thomas dicit quòd imago illa habet talem relationem: ergo hæc relatio existit in eodem speculo, ac imago individuorum. Tertio quia D. Thomas

dicit quòd intellectus adinvenit relationem speciei, quia, *vel ex hoc imago illa talem relationem habet ad omnia individua*: ergo ante cognitionem adinventivam, & reflexam, jam existebat relatio illa in imagine, hoc est in natura abstracta: ergo nec fit relatio illa per cognitionem reflexam qua cognoscitur, ut dicebamus contra secundam sententiam; nec habet aliam existentiam, quam in specie, vel speculo representante naturam, & relationem.

16. Observa quòd speculum naturale reddens imaginem objecti sibi presentis, omninò similem in colore, & lineamentis externis, non representat ordinem, quem imago dicit ad objectum. At species expressa, quæ est speculum spirituale intellectus, representat non solùm naturam cognitam, sed ordinem, quem dicit ad imaginatum & exemplar. Hujus disparitatis ratio data est à D. Thoma in Proëmio Ethicorum per hæc verba. (Etsi vires sensitivæ cognoscant res aliquas absolutè, ordinem tamen unius rei ad aliam cognoscere est solius intellectus, aut rationis.) En solus intellectus potest cognoscere relationem, quare nec sensus externi, nec interni, nec etiam voluntas nostra pos-

possunt cognoscere relationem: sed speculum naturale, & intellectuale reddunt id quod possunt cognoscere & percipere potentia uterque speculis: ergo cum solus intellectus cognoscat relationes, potentia visiva autem non possit illas cognoscere, aut percipere; ideo speculum naturale repræsentat imaginem, sed non relationem ad imaginatum; speculum autem intellectuale repræsentat imaginem, & simul relationem.

Audi nunc B. Doct. sensum, & ferè verba sui Magistri Angelici proferentem q. 2. universi, ubi ait: (Res intellecta significata per ista nomina Homo, Animal, potest dici universalis, prout est intellectus abstractus: id est SECVNDVM QVOD EST SIMILITVDO APPREHNSA AB ANIMA, QVÆ REFERTVR AD REM CUIVS EST SIMILITVDO &c.) Vide nostrum Villan. disp. 2. de ente rationis dub. 7. à cap. 2. & seqq. ubi nostram docet sententiam, & pro ea citat plures DD. Augustinianos.

17. Observa, quòd licet species expressa repræsentet simul naturam humanam, & secundam intentionem, vel relationem rationis ad inferiora; at hæc ratio non cognoscitur ab intellectu per

cognitionem primam, qua produxit speciem expressam. Hujus ratio est duplex, prima, quia cognitio prima solum cognoscit id, quod antea erat in specie impressa: sed in specie impressa non erat hæc ratio, quæ juxta D. Thomam, & Egidium consequitur ad res consideratas: ergo per primam cognitionem abstractivam naturæ non cognoscitur ratio illa. Secundò, quia ratio illa est quid consecutum ad rem consideratam, & quid posterius resultans post rem consideratam, & in re considerata: ergo non cognoscitur per illam primam cognitionem, qua res consideratur.

Hinc fit 2. quòd ad cognoscendam illam relationem oportet quòd intellectus nova cognitione reflectatur supra rem consideratam. Hæc nova cognitio purè speculativa, adinvenit in re considerata relationem illam, jam factam juxta D. Thomam; & investigat illam relationem juxta nostrum Egidium pro sua subtilitate, ut dicit in 1. dist. 30. quia solus intellectus sic subtilis potest cognoscere relationem, quam non possunt cognoscere voluntas, aut aliæ potentie, ut diximus ex D. Thoma. Quo fit, ut cognitio hujus relationis sit speculativa,

va, eum ante illam existat ratio rationis: prima autem cognitio directa est factiva fundamenti relationis, sed illam non cognoscit. Quare ratio rationis non existit per hoc quòd obijciatur cognitioni practicæ factivæ, cum nulla sit possibilis, ut diximus num. 14. sed existit ut repræsentata per speciem expressam fundamenti realis repræsentativam: quod est tertium assertum nostrum.

18. Nostra sententia, quæ explicata & probata est autoritate D. Thomæ, & B. Egidij, probatur etiam ex P. Augustino tom. 2. Epist. 72. ad Nebridium, ubi explicat tria genera imaginum quæ ab anima formantur: (Vnum sensus rebus impressum: alterum putatis: tertium ratis.) De tertio illo genere quod dicit pertinere ad scientias, & disciplinas, ponit exempla, & ait: (Licet igitur animæ imaginari ex his, quæ illi sensus invenit, demendo, ut dictum est, & addendo, ea gignere, quæ nullo sensu attingit tota; partes verò eorum, quæ in alijs, atque alijs rebus attigerat.) Ecce ex specie sensibili Petri visivi, quæ per oculos intrat cum sua singularitate, & alijs conditionibus individuantibus, anima demendo, & tollendo singularitatem, & alias con-

ditiones materiales (quod fit medio intellectu agente) intelligit, & gignit speciem expressam hominis, quæ est imago, quam totam nullus sensus attingit: ergo quia imago hæc non solum repræsentat naturam, quam sensus attingit, sed relationem ad inferiora, quam nullus attingit sensus, ut vidimus ex D. Thoma num. 16.

Confirmatur ex eodem S. P. ibidem ponente exemplum in imagine corvi visivi. (Quid putas (ait) nisi esse vim animæ insitam minuendi, & augendi, quam quocumque venerit, necesse est afferat secum? Quæ vis in numeris præcipuè animadverti potest. Hac fit, verbi gratia, ut corvi quasi ob oculos imago constituta, quæ videlicet aspectibus nota est, demendo, & addendo quædam, ad quamlibet omnino nunquam visam imaginem perducatur.) Ecce uno viso corvo singulari, anima demendo ab imagine singularitatem perducitur ad cognoscendam imaginem nunquam visam. Hoc duplici ratione: quia ablata singularitate corvi visivi, remanet species, & imago, non naturæ singularis, sed naturæ universalis, hæc imago nunquam visa est, quia oculus, & sensus solum tangit, & percipit singularia. Secundò,

do, quia per illam imaginem sic abstractam perducitur anima ad cognoscendos corvos nunquam vivos, quia imago illa est essentialiter imago omnium, ut vidimus ex D. Thoma num. 15. ergo juxta S. P. August, relatio naturæ abstractæ ad inferiora existit objective in specie expressa naturæ cognitæ, quæ est fundamentum secundæ intentionis.

19. A ratione probatur conclusio nostra quoad tertiam partem sic. Existentia entis rationis fundati est existentia purè objectiva & vera: sed in specie expressa representativa fundamenti realis, datur existentia vera, & purè objectiva relationis rationis fundatæ: ergo ens rationis existit per existentiam veram purè objectivam, quam habet in specie expressa representativa fundamenti realis. Major patet ex dictis quæst. 2. ubi probatū est ens rationis fundatum non esse quid fictum, sed verum, & purè objectivū: ergo ejus existentia non erit ficta, sed vera, & purè objectiva.

Minor probatur. Species expressa representativa fundamenti realis, representat naturam humanam v. g. abstractam à singularibus, & ut est imago essentialiter omniū

singularium, ducens in eorum cognitionem: sed species ista continet etiam existentiam veram objectivam relationis rationis naturæ ad singularia: ergo in specie expressa &c Major est D. Thomæ ubi supra num. 15. sicut & nostri Egidij num. 16. Minor probatur. Species ista representans naturam ut imaginem, representat etiā relationem, quam imago dicit ad inferiora: sed existentia vera objectiva relationis est existentia representativa pura, & nil aliud est esse objectivum: ergo &c.

Confirmatur. Intellectus cognitione reflexa reflectens supra speciem representativam fundamenti, invenit in ea relationem naturæ consideratæ ad inferiora: ergo quia relatio rationis verè existebat purè objective, & representativè in specie expressa representativa fundamenti. Antecedens est D. Thomæ num. 7. laudati, & q. 2. multipliciter allegati. Consequentia probatur. Si relatio rationis non existeret objective, & representativè in specie expressa fundamenti, intellectus non inveniret illam ibi, sed fingeret, ut vult secunda sententia: at D. Thomæ & veritas ipsa, docent talem relationem non fingi, sed ibi inveniri: ergo quia ibi existit in specie expressa

pressa

pressa objective, & representativè.

20. Quæres, quid dicendum de entibus chimæricis, & fictis? Respondeo, (talia entia habere esse fictum, consistens in actu objici intellectui fingenti.) Ita Thomæ in 2. sententia, quam de his entibus putamus verissimam. Et probatur primo, quia talia non habent fundamentum reale, ut probatum est quæstione 2. ergo de istis non possumus dicere quod existant in specie expressa fundamenti. Rursus talia finguntur ab intellectu, ut probatum est q. 2. ergo talia non habent esse ante cognitionem fingentem, sed eorum existentia consistit in esse purè objective cognitioni practicæ fingenti. Tandem, talia non resultant ex mera cognitione directa abstractiva entis realis, sed sunt quadam complexa ex entibus falso adunatis ab intellectu fingente: ergo talia non habent esse nisi dum actu adunantur ab intellectu fingente: sed quando actu adunantur, actu objiciuntur intellectui practico fingenti: ergo talium existentia consistit in actu objici intellectui fingenti.

De istis loquitur S. P. loco laudato dicens: (Ego enim mihi ut liber, atque ut occurrit animo *A*lex faciem fingo,

ego Medææ cum suis anguibus alitibus junctis jungo: ego Chremetis, & alicujus Parmenonis &c.) Ecce pro libito fingimus quod volumus, & ex anguibus, & alitibus, formamus complexum fictum, quod fabulæ tradunt de Medæa incantatrice. Quid hæc? Certè nil aliud, quam esse fictum ab intellectu, quod tantum durat, quantum cognitio fingens, unde de illis dixit N. Egidius q. 2. §. 1. laudatus, quod amota jam non sunt. Sed de his satis, quia nullius utilitatis. De secundis intentionibus nostra cura est: quare ut dicta melius percipias, quadam in contrarium objiciemus, & solvemus.

### §. III.

*Quædam proponuntur, & solvantur contra nostram sententiam.*

21. **A**rgues 1. Implicat quod intellectu nihil cogitante, existat ens rationis: sed juxta nostram sententiam ens rationis existit, intellectu nihil cogitante: ergo nostra sententia est implicatoria. Minor est certæ, quia juxta nostram sententiam ens rationis existit in specie expressa entis realis

sed intellectu cessante ab omni cognitione, manet species expressa, quæ reservatur in memoria, quæ est thesaurus specierum, aut *verber anima*, ut eam vocat S. P. Augustinus: ergo. Minor est certa. Major autem probatur. Implicat quod ens rationis habeat actualiter esse objectivum intellectu nihil cogitante: sed ens rationis existere, est habere actualiter esse objectivum: ergo implicat &c. Minor est certa, & major probatur. Ens rationis habere actualiter esse objectivum est actu obijci intellectui, actu obijci est actu cognosci: sed implicat actu cognosci ab intellectu, nihil cogitante: ergo &c.

Confirmatur. Quod existit independenter ab actuali cognitione intellectus, existit realiter: sed ens rationis per nos existit independenter ab actuali cognitione intellectus: ergo existit realiter, quod negamus in primo asserto nostræ sententiæ. Probatur major. Quod existit independenter ab actuali cognitione intellectus, non existit per rationem: sed quod existit & non per rationem, existit realiter: ergo quod existit independenter &c.

Confirmatur secundò: Quod existit per existentiam realem, existit realiter, ut ad

mittimus contra primam sententiam: sed per nos ens rationis existit per existentiam realem: ergo existit realiter. Probatur minor. Ens rationis per nos existit per existentiam speciei expressæ: sed est realis sicut ipsa species expressa: ergo &c. Probatur major. Primò quia ens rationis per nos tantum durat quantum species expressa; sed ubi est eadem duratio, est eadem existentia, quia existentia est ipsa duratio, vel duratio est modus existentia: ergo. Secundò probatur major. Ens rationis per nos existit vi representationis speciei expressæ: ergo existit ea existentia, qua representatio existit: sed representatio existit per existentiam realem speciei, quæ est essentialiter representativa: ergo.

22. Respondetur ad argumentum neg. maj. ad probationem ejus neg. maj. ad ejus probationem nego etiam majorem, nam aliud est *habere actualiter esse objectivum*, aliud *actualiter obijci intellectui*. In hoc latet æquivocatio argumenti. Ens rationis, antequam resultet ex fundamento & representetur in specie expressa, habet esse objectivum possibile: hoc esse objectivum possibile, & signatū sicut actualiter, & exercitum, dum actu

producit fundamentum, ex quo resultat. Quod esse in specie illa representatum, & existit actualiter; non tamen actualiter obijcitur, nisi quando intellectus postea per secundam cognitionem reflectitur. Explicatur in ipso fundamento, quod habet in eadem specie esse objectivum non purum. Hoc esse in specie illa datur actualiter toto tempore, quo durat species, sed non semper actu obijcitur. Constat enim quod in memoria habemus plures species, de quibus non semper cogitamus: ergo in speciebus illis actu existit objective res representata, non tamen actu obijciuntur intellectui.

Sic etiam Deus creando Gabrielem Archangelum, ei infudit species omnium rerum visibilibus: ergo omnes res visibiles habent actualiter esse objectivum in eis speciebus. Atqui non semper actu obijciuntur intellectui Gabrielis, sed solum quando pro libito se convertit super hanc, vel illam speciem: ergo non est idem *habere actualiter esse objectivum*, & *actualiter obijci intellectui*. Audi S. P. Augustinum lib. 14. de Trin. cap. 7. dicenti: (Hinc admonemur esse in nobis in abdito mentis (memoria scilicet) quarundam rerum quasdam notitias; &

tunc quodammodo procedere in medium *hoc est actu obijci* atque in conspectu mentis veluti apertius constitui, quando cogitantur.) Ecce notitia rerum quæ sunt species expressæ rerum cognitarum, manent quasi occultæ in memoria, nec semper actu obijciuntur, nisi quando denuo positæ ante oculos mentis, actu cogitantur.

Iam verò quod res cognita habeant in illa specie esse objectivum actuale, constat ex communi sententia, & explicitè docetur à Doct. nostro verbis datis num. 16. ubi postquam dicit quod res cognita, & significata per voces istas *homo, animal* est quædam imago, & similitudo, quæ refertur ad rem extra animam; subjungit: (Et illa talis res non est in anima, nisi sicut objectum in potentia, quam perficit.) Ecce res cognita habens in anima esse objectivum actuale: at non semper actu obijciuntur; quia non semper actu cogitantur: ergo aliud est actu obijci intellectui, aliud actu habere esse objectivum. Res enim dum actu sunt in anima objective, habent actualiter esse objectivum: sed dum sunt in specie, actu sunt objective in anima: ergo.

23. Ad primam confirmationem dist. maj. Quod



existit independēter ab actuali cognitione, existit realiter independenter ab actuali cognitione existente, aut praterita, concedo maj. si depēdeat ab actuali cognitione praterita, nego maj. & dist. min. existit per nos ens rationis independenter à cognitione, à cognitione actuali actualiter existente, concedo min. à cognitione actuali praterita, nego min. & consequentiam. *Ly actualis* est ambiguū; quia ut contraponitur habituali, aut potenciali, convenit cognitioni praterita, quæ fuit actualis cognitio. Si tamen sumatur *ly actualis* pro existente; hoc modo cognitio praterita non est actualis, quia non existit.

Dicimus ergo, quod ens reale, vel realiter existens, est illud quod est ens independenter ab omni cognitione rā præsenti, quàm praterita. Hoc modo non ponimus ens rationis, quia dicimus ipsum dependere à cognitione abstracte naturam, ut à causa ponente fundamentum, unde resultat relatio rationis, quæ tantum durat, quantum durat fundamentum reale proximū, hoc est, quantum durat in anima objectum reale cognitum, & repræsentalum per speciē. Ut ergo sit ens rationis, sufficit hæc dependentia;

nec requiritur depēdētia à cognitione actualiter cogitantes & præsentialiter existente.

24. Dices: Etiam esse objectivum fundamenti pendet à cognitione praterita: & tamen non est ens rationis tale esse objectivum: ergo licet nostrum ens rationis sic pendeat, non erit ens rationis, sed reale. Rursus species illa expressa etiam pendet ab illa cognitione praterita: & tamen non est ens rationis, sed reale: ergo idem de nostro ente rationis.

Respondemus, quod relatio rationis non idè est ens rationis præcisè, quia pendet ab illa cognitione; sed quia esse quod ab illa recipit fundamentaliter, est esse purè objectivum cum repugnantia essendi extra intellectum. Hæc omnia partim, sed non plenè, adunantur in duobus adductis pro instantia. Nam species expressa non potest esse extra intellectum, & in hoc convenit cum ente rationis; sed differt, quia species illa habet esse subjectivum in intellectu, quod non habet relatio rationis; & sic esse speciē non est esse purè objectivum; quod petit, & habet ens rationis. Similiter ens reale cognitum convenit cum ente rationis, quia neutrum habet in anima esse subjectivū, sed objectivū,

ut *Objectum in potentia* quam perficit teste nostro Egidio, ubi proximè. Sed differt, quia ens reale præter illud esse quod habet objectivè in anima, habet esse extra intellectum; & sic esse ejus non est purè objectivum, sed mixtum: at relatio rationis nullum esse habet, nec potest habere extra animam: quare esse quod habet in anima est objectivum purum. Et hoc est propriè esse entis rationis, ut diximus cum communi sententia q. 1. §. 1.

25. Ad secundam confirmationem, nego min. Ad ejus probationem, nego maj. ad ejus primam probationem dist. maj. Ens rationis per nos tantum durat, quantum species expressa, tantum durat objectivè, & repræsentalivè, concedo maj. tantum durat subjectivè, nego suppositum majoris: & disting. min. ubi est eadem duratio est eadem existentia, ubi est eadem duratio pro formali, & materiali, concedo min. ubi est eadē solum pro formali, nego min. & consequentiam. Duratio est *Continuatio rei in existendo*: quare de formali dicit continuationem, & de materiali existentiam. Species expressa, quæ habet esse subjectivum, existit subjectivè, & durat subjectivè, hoc est continua-

tur existentia subjectiva ejus. At relatio rationis in specie illa repræsentalata, non existit subjectivè, sed objectivè: ergo non durat subjectivè, sed objectivè. Duratio utriusque est eadem pro formali, quia utriusque continuatio eadem est, eodem instanti incipit, & eodem per oblivionem deficit. Sed pro materiali non est eadem, quia duratio speciē dicit existentiam subjectivam, duratio entis rationis, solum dicit existentiam objectivam.

Ad secundam probationem maj. dist. antecedens. Ens rationis existit vi repræsentalationis speciē expressa, repræsentalationis passivè sumpta, concedo antecedens; vi repræsentalationis activè sumpta, subdisting: existit causaliter, concedo antecedens, existit formaliter, nego antecedens: & dist consequens existit ea existentia, qua existit repræsentalatio, repræsentalatio activa, nego consequentiam, repræsentalatio passiva, concedo consequentiam, & applicata distinctione ista ad ad minorem subsumptam, nego consequentiam.

Species expressa est activè repræsentalativa objectorū; & cum hoc sit ei essentialis; idè hæc activa repræsentalatio est ipsa species, & habent idè esse



esse subjectivum, & realiter subjectivè existunt. Ens rationis representatum non existit formaliter per illam representationem activam, sed per effectum ejus, scilicet per representationem passivam, quæ merè, & purè objectivè existit; & distinguitur ab ipsa specie, sicut speculum ab imagine, quam reddit; & sicut cognitio ab objecto quod cognoscit. Explicatur distinctio in actione creativa, quæ *activè* sumpta, est actio Dei immanens formaliter, cum Deo identificata, & est Deus ipse. At *passivè* sumpta, est esse ipsius creaturæ à Deo productum. Unde licet creatura existat formaliter per creationem *passivè* sumptam; non tamen existit formaliter per creationem *activè* sumptam, quia non existit per entitatem, & existentiam, quæ est Deus ipse. Dicitur existere vi creationis *activè causaliter*, quia est effectus ab actione illa causatus. Sic dicitur etiã ens rationis existere *causaliter* per representationem activam speciei, quia ab illa causatur representatio passiva; & per passivam existit *formaliter* ens rationis.

26. Argues 2. & potest esse replica contra dicta. Per nos existentia objectiva entis rationis consistit in esse

representativo quod habet in specie expressa: sed ex hoc sequitur multiplex repugnantia; ergo sententia nostra non subsistit. Probatur min. ostendendo varias sequelas nostræ sententiæ. Prima sequela est quod ens rationis fictum habeat existentiam veram. Probatur. Nam per nos existentia entis rationis in specie expressa, est existentia objectiva vera: sed potest dari species expressa representativa entis ficti: ergo in illa ens fictum habebit existentiam objectivam veram. Probatur min. Qui cognoscit quodcunque objectum, parit, & format notitiam, aut speciem expressam illius; *Ab objecto enim, & potentia paritur notitia*, ut docet P. August. sed qui cognoscit ens fictum, revera cognoscit aliquod objectum cognoscibile: ergo producit speciem expressam illius, & sic potest dari species expressa, representativa entis ficti.

Secunda sequela est, quod quicumque cognoscit ens fictum, dat ei existentiam, & sic facit ens rationis fictum. Quæ sequela inde videtur falsa, quia Deus cognoscens entia ficta, [faceret illa, & fingeret, quod non potest admitti. Sequela probatur. Qui cumque cognoscit ens fictum, for-

format speciem expressam entis ficti cogniti: sed formando speciem expressam, dat in illa existentiam objectivam entis ficti cogniti; & dare existentiam, est producere, & facere: ergo quicumque cognoscit entia ficta, facit illa. Hæc ratio à fortiori probat de omni ente rationis vero, & fundato,

Tertia sequela est, quod cessante cognitione fingente existat ens fictum. Hujus contrarium diximus num. 20. Probatur. Quia per nos ens rationis objectivè existens in specie, tantum durat quantum species expressa: sed cessante cognitione fingente, durat species expressa entis ficti cogniti: ergo durat existentia objectiva entis ficti cessante cognitione fingente. Probatur min. Species illa cessante cognitione, reconditur in memoria, cujus signum est, quod postea intellectus dum recordatur de tali esse ficto à se cognito, reddit eadem species, & posita in conspectu mentis, eam actualiter cogitat intellectus, ut diximus ex S. P. August. ergo cessante cognitione durat species entis ficti.

Quarta sequela est, quod vel entia ficta non possumus cognoscere cognitione vera; vel habent existentiam veram

sine cognitione fingente. Vtrumque est falsum, quia Deus cognoscit entia ficta, & sic cognitione vera. Rursus per nos num. 20. ens rationis fictum non habet esse verum, sed fictum, & à cognitione fingente. Iam verò sequela probatur. Qui cognoscit eas fictum cognitione vera, format speciem expressam veram, & verè representativam: sed in specie verè representativa datur existentia vera objectiva, & representativa: ergo qui cognitione vera cognoscit ens fictum, dat illi veram existentiam objectivam. Maj. parer, quia species est notitia objecti, & per cognitionem veram nequit haberi notitia falsa. Min. etiam est certa, quia talis est representatio passiva, quæ *formaliter* existit objectum, qualis est representatio activa speciei: sed in specie vera, representatio activa est vera; alioquin species non esset vera in representando: ergo &c.

27. Pro solutione nota quod licet ens fictum non possit esse verum, potest cognosci *speculativè* cognitione vera. Sic in simili observavit P. Augustinus, quod falsum nequit esse verum, potest tamen cognosci, & diffiniri cognitione vera. En verba S. P.

lib. 2. de Doctrina Christiana cap. 25. (Ipsum falsum diffinitur, cum dicimus, falsam esse significationem rei non ita se habentis, ut significatur, sive aliquo alio modo. Quæ diffinitio vera est, quamvis falsum verum esse non possit.) Hoc modo cognitione vera, & speculativa Deus cognoscit falsitates, & entia ficta nostra, de quo dicitur in Psalmis, *Deus scit cogitationes hominum quoniam vana sunt.*

Nota secundò quòd talia quæ non habent esse verum, vel quia sunt nihil, ut peccatum juxta P. Augustinum, & privationes, & non entia; vel quia sunt quid fictum ut chimæra, & monstrà à nobis excogitata; vel quia sunt quid falsum, ut vanitates nostrarum adinventionū. Hæc omnia non cognoscantur in specie impressa, aut expressa propria, sed in speciei privatione juxta P. Augustinum lib. 12. de Civ. Dei cap. 7. (Si quis *ait*) velit videre tenebras, vel audire silentium, quòd tamen utrumque nobis notum est, neque illud nisi per oculos, neque hoc nisi per aures, non sanè in specie, sed in speciei privatione.) Et infra: (Ea quippe, quæ non in specie, sed in speciei privatione sciuntur, si

dici, aut intelligi potest, quòd dammodo nesciendo sciuntur.)

Hinc Deus cognoscit peccatum non per speciem representativam peccati, sed per speciem representativam gratiæ, qua privat peccatum. Sic tenebra cognoscitur per speciem lucis; silentium per speciem sonus; falsitas per speciem veritatis; fictum ens per speciem veri entis, quo privat. Hoc dicit S. P. esse cognosci *in speciei privatione*; & quòd (Nesciendo sciuntur) quia cum scientia non sit nisi verorum, & quòd nō est, non sit scibile: idè quæ non sunt, sciuntur nesciendo; hoc est, non sciuntur in specie quam habent, sed in speciei entis, quo privant.

28. Ex hoc duplici notato, uno verbo solvitur argumentum, quia si entia ficta non habent speciem impressam, aut expressam, quam habent sola entia vera: ergo entia ficta non habent esse objectivum in specie expressa, sed potius species expressa ostendit non esse eorum entium; quare representat nō esse eorum. Cognoscantur enim in speciei privatione, hoc est, in speciei entis, quo privant: sed species entis quo privant, representat esse entis quo privant, & privationes

re-

representat, ut non habentes esse: ergo ex nostris principijs nulla sequela ex objectis sequitur, nec facit contra nos. Ceterum, quia oportet explicare enucleatius existentiam objectivam entis veri, idè ut magis pateat discrimen ejus ab ente ficto; sigillatim dicemus aliqua de sequelis objectis.

29. Ad argumentum in forma nego min. Ad probationem ejus, nego primam sequelam. Ad probationem ejus, nego min. ad probationem min. dist. maj. Quicumque cognoscit objectum parit notitiam ejus; qui cognoscit objectum verum, quòd sit ens, concedo maj. qui cognoscit objectum fictum, quòd non est ens, sed carentia entis, nego maj. & notato quòd ens fictum non est objectum verum cognoscibile, sed fictum, licet verè cognoscibile, id est per cognitionem veram, nego consequentiam. Talis est notitia, aut species expressa producta à cognoscente, qualis fuit impressa ante cognitionem: utraque enim est *Similitudo formalis objecti*, sed impressa *in actu primo*, expressa *in actu secundo*. Atqui ens fictum non cognoscitur in specie impressa vera, sed in speciei privatione, ut dictum est ex P.

Augustino: ergo nec producit species expressa entis ficti, sed species expressa entis veri, quæ representat privationem entis, vel non esse entis ficti.

Hæc dicta sunt, quando verè cognoscitur ens fictum. Si tamen velis scire quid dicendum, quando ens fictum fingitur? Dicimus, quòd species expressa, tunc eodem modo representat non esse, ac in cognitione vera: ratio hujus est, quia species est speculum veluti naturale, quòd representat, quòd est; non autem quòd non est; nec pèder à libito nostro modus representandi speciei, quia est essentia ejus, & sic representat quòd est, & modo quò est. At intellectus noster, qui non est ligatus ad modum speciei, pro libito illud non esse representatum concipit ut esse, & illud fingit, sed hoc esse fictum, nec apparet in specie, nec species illud representat. Et idè diximus quòd entia ficta solùm existunt objective, quando actu obiectantur intellectui, & eorum existentia est actu obiecti intellectui fingenti. Horum signum est, quòd ens rationis verum manet in specie expressa etiam cessante anima à cognoscendo: sed ens fictum non manet cessante cogni-

tionem fingente. Ita N. Egidius in 1. dist. 20. quæst. 1. art. 3. dicens: (Et tunc hujusmodi, quæ sic habent esse, ita sunt entia apud animam, quod amota anima jam non sunt.)

10. Ad secundam sequelam, nego illam sequi ex nostris principiis. Ad probationem hujus, nego maj. Nā Deus cognoscit entia ficta, & non producit speciem illorum: Quidquid enim cognoscit Pater æternus cognoscit in Filio, quod est Verbum à se productum: at hoc Verbum non est species fictionum nostrarum, sed est species omnis entis, & omnis veritatis, cui opponitur ens fictum: unde cognoscitur in speciei privatione, hoc est in specie representante non esse entium fictorum: ergo in ea specie privativa non existunt objectivè entia ficta, sed potius existit non esse eorum. Immo nec nos dum fingimus talia, formamus speciem illorum, sed in specie representante non esse illorum: quo accepto illud fingimus ac si foret esse.

Ad tertiam sequelam, nego ipsam. Ad ejus probationem, nego suppositum minoris, supponitur quod ens fictum habeat speciem expressam. Ad probationem hujus

suppositi, dic Quod ille, qui semel finxit aliquod ens, potest recordari entis à se ficti, non quia redeat species expressa entis ficti, nam talē negamus: sed quia redit species expressa entis veri, cui opponitur, & cognitionis fingentis, qua non esse finxit ut esse. Sicut enim ad primò fingendum ens sufficit species privativa explicata; ita ad rememorandū; maxime cum rememoremur cognitionis fingentis. Hinc ulterius patet, quod esse entis ficti cessat cessante cognitione fingente; quia species manens, sicut dum genita est, representavit non esse entis ficti, sic dum servatur in memoria, & dum iterum redit ante mentem, representat non esse entis ficti. Vnde nunquam habet esse objectivum in specie.

Ad quartam sequelam nego ipsam. Ad probationem ejus, disting. maj. Qui verè cognoscit ens fictum format speciem representativam veram: veram entis veri quo privat fictum, concedo maj. format speciem entis ficti, subdisting. positivam, & representativam, alicujus esse ficti, nego maj. privativam, & representativam alicujus non esse entis ficti, concedo maj. & sub data distinctione, nego consequentiam. solutio, &

& distinctio constant ex distis.

11. Dices: Intellectus nequit cognoscere, quod non representatur in specie: sed intellectus cognoscit esse fictum talis entis: ergo hoc esse fictum representatur in specie. Respondes dist. maj. quod non representatur positivè, aut privativè, concedo maj. quod non representatur præcisè positivè, nego maj. quia contrarium dicit S. P. August. num. 17. laudatus. Et dist. min. intellectus cognoscit ens fictum in specie positiva, & sciendo, nego min. in specie privativa, nesciendo, concedo min. cū S. P. Augustino ejus sensum explicavimus num. citato.

12. Argues. Species expressa representativa hominis, licet representet relationem rationis naturæ humanæ ad inferiora, non representat alias relationes rationis, quæ supra illam fundantur: ergo istæ relationes fundatæ supra alias non habent existentiam objectivam in specie. Patet consequentia, quia solum existit objectivè in specie illud, quod per illam representatur: ergo si aliæ relationes rationis fundatæ &c. Probatur antecedens. In hac propositione *Petrus est homo*, *homo* habet

relationem prædicati ad Petrum, qui est subjectum: sed hæc ratio non representatur in specie expressa hominis: ergo. Probatur hæc min. Nam semel abstracto conceptu naturæ humanæ, resultat ratio ejus ad inferiora non verò ratio actualis prædicati, sed prædicabilis: ergo. Probatur antecedens. Ratio prædicati actualis solum resultat in actuali prædicatione: sed actio merè abstractiva, quæ est simplex apprehensio, non est actio prædicativa, quia ista est judicium: ergo.

Hoc argumentum petit quod explicemus existentiam entis rationis fundati supra aliud ens rationis. Faciam breviter, quia te considero nimis detentum in re nullius momenti, & anima mea jam cerè nauseat super cibo isto levissimo. Scito quod doctrina data explicata est in simplicibus, & incomplexis, quia ibi est clarior: sed eadem tenet de complexis. Nam sicut incomplexa cognoscimus, & de eis formamus species expressas, quæ respondentur in memoria, ubi servantur, ut redeant. Sic veritates complexas noscimus, & producimus species & notitias complexorum, v. g. hujus principij *Logica est habitus intellectus*.  
Ny: *etiam*

*Ætalis. Deus est supremum ens*  
 Quo fit ut sicut species in  
 complexorū representat natu-  
 ram realē, & relationes ratio-  
 nis resultantes ita species cōple-  
 xorū representant cōplexa rea-  
 lia, & relationes *Subiecti, copu-  
 lae, prædicati, propositionis &c.*

Argumentum benè probat, quòd relatio subiecti, aut prædicati non existit objectivè in specie expressa incomplexorum; & talis est species naturæ abstractæ. Ceterum ex conceptibus incomplexis intellectus per secundam operationem format propositionem, & producit cognoscendo notitiam complexam, quæ est species expressa representativa prædicationis actualis. In hac specie entis complexi representatur secunda intentio subiecti, prædicati, propositionis &c. quæ sunt entia fundata supra alia entia rationis. Ex his in forma facile respondetur distinctione data, concessio antecedenti, disting. consequens: ergo tales intentiones non habent esse objectivum in specie expressa complexorum, nego consequentiam, in specie expressa incomplexorum, concedo consequentiam.

33. Observa quòd sicut prima operatio intellectus ordinatur ad secundam, & secunda ad tertiam. Ita species simplicium apprehensæ

### De Ente rationis.

ordinantur ad species complexorum productæ per iudicium, & istæ ad speciem perfectissimam inter complexas, quæ producitur per discursum. Nolumus nunc disputare, an species expressa representans hoc iudicium *Petrus est albus*, sit simplex qualitas, an composita: nam nostra sententia de existentia entis rationis, non pendet ex hoc. Tente quod volueris, semper in specie complexorum invenies representatas secundas intentiones subiecti, prædicati, &c. ubi existunt objectivè verè. Observa etiam quòd in propositionibus falsis. V.g. *Petrus est lapis*, intentiones subiecti, & prædicati si aguntur, nec datur species expressa positiva earum, sed privativa, ut dictum est de ente ficto in solutione secundi argumenti. Quare *ly lapis* sicut non verè prædicatur, sic non est verum prædicatum, sed fictum, & falsum.

### §. IIII.

*Expendantur alie sententia cum suis fundamentis.*

34. **A**D fundamenta primæ sententiæ posita num. 2. respondet secunda sententia quòd

### Quæst. IIII.

quòd Deus dicitur Dominus, Sacramentum signum, &c. ante omnem considerationem intellectus, quia licet Deus constituatur Dominus completivè per talem relationem, & hæc non detur ante actualem cognitionem; datur fundamentaliter; & licet deficiat formaliter, nihil reale deficit, & deficit id quòd est tam minima entitatis, ut quasi nil deficeret, subsistat denominatio Creatoris, Domini, signi &c.

At juxta doctrinam nostri Egidij in 1. Sentent. dist. 2. & dist. 30. quæst. 1. art. 3. dicendum est relationes rationis objectivas in prima probatione, esse ex illis, quæ habent fundamentum necessitans; & tales non sunt in rebus, vel in objecto in re extrà, sed ut à nobis cognito. Pono exemplum. Vt Deus sit realiter Dominus, non est necessaria relatio rationis, sed sufficit quòd terminet relationem realem subjectionis creaturæ: hanc terminat ante omnem cognitionem nostram: ergo ante omnem cognitionem nostram habet omnia constitutiva Divini domini. Hinc est quòd relatio rationis non est necessaria in Deo, ut sit Dominus, nec per illam contempletur Divinum dominium; quod

### §. IIII.

contempletur purè terminando relationem realem servitutis creaturæ. Est tamen relatio rationis necessaria, ut Deum cognoscamus, ut Dominum. Quia non possumus ut Dominum concipere Deum nisi concipiendo ipsum relativè ad creaturas: ergo in Deo à nobis cognito consequitur illa relatio rationis, & necessariò consequitur unde vocatur relatio cum fundamento necessitante.

Venio ad aliud exemplum ut sic doctrina clareat pro reliquis. Sacramenta sunt signa Gratia: & ad placitum ex institutione Christi Domini. Vt ergo ipsa in se sint signa, non pendent à relatione rationis nostra, sed id habent ex institutione Christi, sicut voces esse signa, habent ex institutore, sine dependentia à relatione nostra. Vt ergo sint signa respectu nostri, oportet illa ut signa cognoscere: hoc non possumus nisi media relatione rationis, quia non possumus illa ut signa cognoscere nisi cum relatione ad signatum; sed ad signatum non dicunt relationem realem; quia istam dicunt sola signa naturalia: ergo oportet concipere illa ut signa cum relatione rationis ad signatum; Hæc relatio rationis est cum fundamento necessitante quia

quā necessitatur intellectus sic cognoscere, nec potest aliter. Cum ergo relatio ista non sit necessaria ut signa in se sint signa, ideo nō limitum, quod datur illa signa ante omnem considerationem nostram.

De istis relationibus rationis dic idem, ac de intentionibus Logica, quod non sunt formaliter ab intellectu, sed resultant ex signo, & rebus à nobis cognitis, & sunt in re non extra animā, sed in re ut concepta à nobis, & earum existentia est esse objectivum, quod representatur in specie expressa representante nobis Deum ut Dominum, Sacramentum ut signum, voces ut signa conceptuum &c.

35. Ad secundum fundamentum respondemus cum Thomistis secundæ sententiæ negando min. Ad probationem ejus, neg. antecedens, ad ejus probationem concessio antecedenti, nego consequentiam. Disparitas optimè datur à Thomistis, nam existentia Verbi Divini licet nō præferat humanitati omnes effectus, præferat aliquem cuius est capax humanitas, scilicet dat ei realiter existere. Forma ut subjecto communicetur, non requirit in subjecto capacitatem ad omnes

effectus suos, satis est ad aliquid quem, ut patet in Gratia habituali, quæ Christo Domino inhaeret, sanctificando illum, licet non constituat Filium adoptivum, quem invenit Filium Dei naturalem. At existentia realis nullum effectum potest communicare enti rationis, & sic nequit ei uniri. Et si dicas potest illi communicare tantum existere: ergo ei potest uniri. Respondemus, quod existentia realis solum habet dare existere subjectivum, & hujus est incapax ens rationis, ut dictum est in probatione nostra.

Ad confirmationem Thomistæ dicunt, quod ens rationis terminat secundariò realem causalitatem intellectus. Nostra autem sententia id negat, quia sicut ad relationem realem non datur per se motus nec actio, minus minus ad relationem rationis. Actio ergo intellectus producit fundamentum, scilicet speciem expressam, vel notitiam representantem naturam: & ex isto fundamento resultat relatio. Hinc fit quod relatio rationis non terminat actionem intellectus adhuc secundariò formaliter, sed fundamentaliter, quatenus producit fundamentum hoc modo concedimus enti

rationis existentiam realem, non per quam ens rationis existat formaliter, sed per quam existat formaliter solum fundamentum entis rationis.

Sed quid dicendum de ente ficto, quod formaliter fingitur ab intellectu? Respondemus, quod actio intellectus fingens, & dans illud esse fictum non est causalitas; quia efficere ens fictum non est efficere, sed deficere in principijs Augustinianis. Sic voluntas peccans facit peccatum, quod est nihil: ergo facit nihil? Respondet S. P. quod voluntas peccans non efficit, sed deficit (Nemo *ait*) quærat causam malæ voluntatis (*hoc est peccati*) nō enim est efficiens, sed deficiens) Sicut enim voluntas peccans facit nihil, & non est efficiens, sed deficiens; ita intellectus fingens, fingit nihil, & non efficit, sed deficit.

Ad aliud exemplum confirmationis, concessio antecedenti, nego consequentiam. Ens rationis est capax existentiae veræ objectivæ: sed representari per speciem realem, est existere objectivè verè: ergo ens rationis est capax, ut representetur per speciem realem. At non est capax existentiae subjectivæ: sed existentia realis est subje-

ctiva: ergo non est capax existentiae realis. Immo quia ens rationis fictum non est capax existentiae objectivæ veræ; ideo negavimus, ens rationis tale representari positivè per speciem entis realis.

36. Dices: Ens rationis fictum potest cognosci cognitione reali vera: ergo poterit representari per speciem realem expressam veram. Respondemus distr. antecedens, potest cognosci cognitione vera per dissentium, concedo antecedens; per assensum, nego antecedens: & disting. consequens, per speciem expressam veram privativam, representantem non esse entis ficti, concedo consequentiam, per speciem veram positivam representantem esse positivum entis ficti, nego consequentiam. Quod in cognitione vera est cognoscere per dissentium, est in specie representare non esse entis ficti: sic cognitio, & species sunt vera. Si tamen cognitio sit per assensum est falsa, sicut foret species, si representaret esse positivum entis ficti. Sed species non potest, ut diximus, representare rem aliter ac est in se, bonè verò cognitio cognoscere aliter pro libito fingentis.

37. Ad tertium funda-

damentum primæ sententiæ positum num. 2. respondeo non esse possibile ens rationis existere per existentiam sui fundamenti: nego inde sequelam, quod possit sic existere. Ad probationem sequentem, concedo quod, qui ita apprehenderet existere ens rationis, faceret ens rationis chimericam. At hoc ens rationis fictum non consisteret in existentia fundamenti nec per illam existeret; sicut qui fingit hominem equum non facit ens rationis consistens in eo quod homo sit equus, sed consistens in unione ficta utriusque extremi. Ita qui unit ens rationis cum existentia fundamenti, non facit quod unum sit aliud, nec per illud existat, sed fingit unionem, quæ existit per esse objectivum fictum actuale in intellectu fingente.

§ 8. Ad secundam sententiam explicatam num. 3. jam constat ex tota questione, in quo nostra sententia ab illa differat: quare ne eadem reperamus, ejus fundamenta expendemus, quatenus nostræ officiant conclusioni. Ad fundamenta posita num. 4. dicimus illa esse pro nobis, quatenus convenimus cum Thomistis in negando ens rationis existere per existentiam sui fundamenti.

In prima confirmatione Thomistica datur hæc propositio: *Existentiæ entis rationis consistit in actu obiecti intellectus.* Hæc propositio est falsa in nostris principiis; vide num. 21. dilucidè explicatum esse objectivum actuale entis rationis, quod non consistit in actu obiecti. Essentialia entis rationis consistit in esse possibili objectivo, existentia in esse actuali objectivo, utrumque tamen est signatè obiectibile, non exercitè objectum intellectui, ut volunt DD. secundæ sententiæ.

Tertia confirmatio Thomistica hanc propositionem nobis falsam assumit: *Implicat ens rationis existere, & non esse finitum in exercitio.* Hæc propositio de ente chimerico, & sine fundamento, tenet; sed de ente fundato non subsistit, quia oppositum probatum est à nobis abundè quæst. 2. & 3.

Secundum fundamentum Bajonæ positum num. 5. plura nobis falsa assumit. Dicit quod negatio chimære, negatio alterius mundi, negatio lucis, &c. fundant ens rationis cum fundamento. Hoc est nobis falsum juxta dicta quæst. 3. per totam, ubi probatum est quod nulla negatio, aut privatio est ens rationis fundatum. Secundò dicit quod inter *animal & rationale* datur ab æterno fundamentum ut fundetur distinctio ratio-

tionis. Hic duo nobis falsa assumuntur, unum est quod datur inter hæc prædicata distinctio quæ sit ens rationis. Hoc insinuavimus quæst. 3. & latè libro sequenti dilucidabitur. Alterum est, quod fundamentum hujus distinctionis datur ab æterno. Contrarium probatum est à nobis in Summulis disputatis quæstione 5. ubi latè propugnatum est nullas de objecto creato dari propositiones, quæ sint æternæ veritatis vel veræ ab æterno.

39. Ad fundamenta ejusdem sententiæ pro ente rationis fundato in alio ente rationis respondemus, & ad primum positum num. 6. dicimus hanc propositionem esse falsam, *Dum intellectus nihil cogitat de ente rationis, hoc non existit.* Vide contrarium probatum num. 2. Nec probatio Bajonæ urget, quia intellectu nil cogitante existit actualiter objectivè ens rationis in specie expressa, ut satis ostensum est. Confirmatio Magni Palanco falsum nobis assumit, scilicet quod entis rationis sit essentialiter ens fictum. Contrarium propugnatum est quæst. 2.

Fundamentum Magistri Froylan positum num. 7. plura includit dubia, quæ melius prætermittimus, quam

expendamus. Id sanè non omitterem, quod magis adequatur species impressa cum objecto representato, quam relatio cum fundamento, existentia cum natura, & inherencia cum accidente; vel saltem æqualiter: & tamen juxta Mag. Froylan species impressa, & expressa entis rationalis potest secundario representare ens rationis: ergo non obstante adæquatione posset existentia fundamenti reddere existens ens rationis secundario, nisi aliunde repugnaret. Si enim relatio quæ adæquatur cum termino specificante, potest respicere aliud secundarium, aut extensivum, ut patet in Patre habente plures filios: cur non idem de existentia fundamenti? Aliunde ergo repugnantia probanda est.

Ad confirmationem ultimam Mag. Froylan num. 7a positam dicimus non urgere in ejus principiis. Si enim existentia entis rationis est ficta: unde probabitur quod fundamentum illam continens foret infinitum, aut quod non contineat illam, quia existentia fundamenti finita est? Certè existentia Dei est infinita: dicemus, quod existentia Dei continet perfectionem existentie fictæ entis rationis? Hoc foret ponere ens ratio-



nis assumptibile ad unionem hypostaticam.

Defendunt multi Thomistæ unionem materiæ, & formæ, non esse ab eis distinctam. Et dum eis obijcitur quod ex identificatione essentia, & existentia, sequitur infinitas juxta Thomistas; ergo etiam ex identificatione unionis. Paret consequentia, quia existentia, & unio sunt ultima exercitia in sua linea. Respondent negando consequentiam. Quia existentia creaturae est actus de linea dicente perfectionem; & sic illam identificare arguit infinitatem. Ceterum unio est actualitas de linea potentiali, & informativa, dicente imperfectionem; & sic illam identificare non arguit infinitatem. Dic nobis, an existentia ficta entis rationis sit actus de linea dicente perfectionem; & inde collige, an petat infinitatem continentia perfectionis existentia fictæ.

Doctrina Thomistica data num. 8. pro nobis est. Sed observatio ibi addita, contra

nos; ceterum non est vera. Nam ens rationis fictum non habet speciem expressam, aut impressam propriam, sed alienam. Et hæc non est species entis realis ad cuius similitudinem fingitur, sed species entis realis, quo privatur, & cui opponitur. Hoc docet S. P. Augustinus num. 27. laudatus; & contrarium non probatur ab his DD. auctoritate, nec ratione urgente, quam viderimus. De ente autem rationis fundato, quod est sola relatio rationis juxta dicta quæst. 3. Hoc ens rationis non fingitur, ut diximus quæst. 2. nec cognoscitur per speciem expressam relationis realis, cum qua habet similitudinem; sed per speciem fundamenti proximi, representantem naturam, ut imaginem singularium, & cum ordine rationis ad individua. Hoc docet D. Thomas. sæpè allegatus hic, & quæst. 2.

Quare dicta sufficiant pro existentia entis rationis. Et sic ratio- nis.

## QUÆSTIO QUINTA

*Vtrum ens rationis fiat ab intellectu, & quomodo fiat?*

### §. I.

*Explicatur communis sententia cum suis fundamentis.*

**H**ANC quæstionem instituímus, ut omnia, quæ quæstionibus præcedentibus insinuatæ sunt, quasi epilogo resumamus. Nec dubium præsens est cum RR. aliquibus docentibus ens rationis consistere in aggregato ex entibus realibus falso adunatis per intellectum, nec cum alijs tenentibus ens rationis consistere in extrinseca denominatione cogniti. Cum his DD. jam satis egimus quæst. 2. Quare solum restat disputare cum communissima æquè, ac probabilissima Thomistarum sententia docente ens rationis consistere in aliquo esse ficto. Nec cum his DD. hoc dubium de esse entis rationis volumus refricare; satis enim actum est de illo quæst. 1. 3. & 4. Ceterum huc remissimus examinanda duo principia illius sententiæ communis, quæ desumuntur ex causa entis rationis, & modo causandi.

Hæc igitur sententia cõ-

munis docens omne ens rationis consistere in esse ficto ab intellectu; id inter alia suadet ex duobus principijs sibi certis. Primum est, quod omne ens rationis sit formaliter ab intellectu. Secundum est, quod non sit per quamcumque cognitionem veram, sed per cognitionem rei alter, ac est in se. Istam vocat cognitionem siagentem; & inde infert quod esse entis rationis est fictum. Circa primum advertit, quod intellectus est causa realis; at relatie ad ens rationis non est causa rigorosa, sed impropria, quia ens fictum non potest terminare rigorosè realem causalitatem. Ceterum secundario illam benè terminat modo quo species realis secundario potest representare ens rationis; et si fateantur speciem aliquando representate primario etiam ens rationis, ut vidimus quæst. 4. Pro utroque principio sigillatim proponemus fundamenta; sed non de illis.



2. Probatur ergo primo *Quod ens rationis fit formaliter ab intellectu.* Nam juxta D. Thomam in Proëmio *Æthicorum*, (Alius est ordo, quem ratio non facit, sed solum considerat, sicut est ordo rerum naturalium: alius est ordo, quem ratio cōsiderando facit in proprio actu, puta cum ordinat conceptus suos ad invicem, & signa conceptuum, quæ sunt voces significativæ: tertius autem, quem ratio facit in actibus voluntatis &c.) *Et post pauca, ait:* (Ordo, quem ratio considerando facit, pertinet ad Philosophiam rationalem.) Ecce ubi S. Doct. expressè docet quod relatio rationis, de qua agit Logica, est ens quod intellectus facit: ergo juxta S. Doct. ens rationis fit formaliter ab intellectu. Omittimus alias auctoritates, quia nulla adducitur expressior ista. De alijs vide Cōplutenses, qui plures colligunt. Et certè non aliunde dicitur *ens rationis*, vel *ens in ratione*, vel *ens per rationem*, nisi quia fit ab intellectu formaliter: ergo cum frequens sit hic modus dicendi apud D. Thomam, dicendum est de mente ipsius ens rationis fieri formaliter ab intellectu.

Secundò probatur à ra-

*De Ente rationis:*

tionem. Quidquid est ens, vel est Deus, vel creatura; hoc est, vel habet causam dantem esse, vel habet esse incausatum: sed ens rationis non est Deus, ut patet: ergo habet aliquam causam dantem esse. Sed non aliam, nisi intellectum, quia idè dicitur ens rationis: ergo ens rationis fit formaliter ab intellectu.

Confirmatur 1. Id quod incipit esse de novo, debet habere aliquam causam dantem esse: sed ens rationis incipit esse de novo per actualem cognitionem intellectus: ergo ens rationis formaliter causatur ab intellectu. Probatur min. Nam illud incipit esse de novo, quod transit de non esse ad esse: sed ante omnem cognitionem non habet esse ens rationis: & de hoc *non esse* transit per cognitionem ad habendam esse: ergo &c.

Confirmatur 2. Res quæcumque non aliter causatur formaliter, nisi quatenus causatur ejus existentia, qua ultimo ponitur extra suas causas: sed existentia entis rationis causatur ab intellectu: ergo ens rationis causatur formaliter ab intellectu. Maj. est communis consensus Philosophorū. Min. probatur. Existentia entis rationis consistit in actu objici intellectu,

hoc

*Quæst. 7.*

hoc est in actu cognosci: sed actu cognoscitur ab intellectu: ergo existentia &c. Probatur maj. Essentia entis rationis consistit in posse cognosci, vel in posse objici intellectui: ergo existentia ejus consistit in actu cognosci, & actu objici intellectui. Probatur hæc consequentia. Nam existentia est ultima actualitas essentia: sed ultima actualitas essentia consistit in esse objetivo, vel in posse objici, est actu objici: ergo &c.

Confirmatur 3. Ens nullam habes causam, est ens à se omninò independens, & cujus esse non est contingens, sed necessarium: sed hoc convenit soli Deo, nec potest applicari enti rationis, nisi chimæricè: ergo ens rationis habet causam dantem esse. Sed non aliam, nisi intellectum, ut quæst. sequenti probabitur cum communi sententia: ergo ens rationis formaliter causatur ab intellectu.

Quartò. Illa est causa formalis entis rationis, qua cessante operari, non existit ens rationis: sed cessante intellectu à cognoscendo, non existit ens rationis: ergo ens rationis formaliter causatur ab intellectu. Min. constat, quia ens rationis non existit

nisi objective in intellectu; dū autem non cognoscitur non objicitur; & sic non existit objective. Major etiam est certa, nam quod Deus sit causa omnium visibilium, & invisibilium, optimè probatur à posteriori ex eo, quod si Deus cessaret ab operando, nihil existeret. Ut enim ait P. Augustinus supra illa verba Christi *D. Pater meus usque modo operatur, & ego operor*, si Deus subtraheret suam latentem operationem, qua omnia conservat in suo esse, nihil subsisteret, sed omnia tenderent in nihilum, unde facta sunt.

3. Dicunt 2. *Quod ens rationis fit per cognitionem fingentem, vel per cognitionem rei aliter, ac est in se.* Probatur primo ex D. Thoma Opusc. 42. cap. 1. ubi ait: (Tunc efficitur ens rationis, quando intellectus nititur apprehendere id quod non est, ac si esset, & idè fingit illud, ac si esset ens.) Ecce ubi S. Doctor dicit ens rationis fieri ab intellectu, fieri per cognitionem fingentem; & fieri per cognitionem rei aliter ac est in se. Ergo de mente S. Doct. verum est, hoc assertum commune circa fieri entis rationis.

Secundò: Probatur idem à ratione. Idè juxta communior sententiam Deus non facit ens rationis, quia Deus

nequit cognoscere res, aliter ac sunt in se; Deus enim omnia comprehendit, & sic cognoscit, ut sunt in se: sed hæc ratio communis apud DD. nil valeret, nisi apud omnes foret certum, ens rationis fieri per cognitionem rei aliter ac est in se: ergo ens rationis fit per cognitionem rei aliter ac est in se.

Confirmatur primò: Intellectus distinguens in Deo misericordiam à justitia, & in homine animal à rationales; & in anima rationali gradū sentiendi à gradu vegetandi; & discurrendi, concipit ista omnia aliter, ac sunt in se: sed tunc facit ens rationis, facit enim distinctionem rationis: ergo ens rationis fit per cognitionem rei aliter &c. Minor cum consequentia tenet, & major probatur. Justitia in Deo non distinguitur à misericordia; nec in homine animal distinguitur à rationali; nec anima rationalis quatenus sensitiva distinguitur à se ipsa vegetante, & cognoscente: ergo intellectus ea concipiens sic distincta, cognoscit ea aliter, ac sunt in se.

Confirmatur secundò: In hac propositione, *Homo est albus*, & in ista *Homo est equus* intellectus identificat hominem cum albedine, & equo: sed homo in se distinguitur

ab equo, & albedine: ergo ens rationis in talibus propositionibus factum, hoc est identitas illa predicati cum subiecto fit ab intellectu cognoscente hominem aliter, ac est in se. Explicatur. In hac propositione, *Homo est species*, intellectus facit ens rationis: sed in illa non concipit hominem, ut est in se: ergo. Probatur minor. Homo in se non est species, nec est universalis, sed singularis; cum omnia quæ dantur à parte rei sint singularia: ergo &c.

Confirmatur tertio: Intellectus faciens relationem rationis dum Deum Creatorem concipit relatum ad creaturas, concipit Deum aliter, ac est in se: ergo quia ens rationis fit per cognitionem rei aliter &c. Probatur antecedens. Deus in se non est relatus ad creaturas, cum nec ab eis dependeat, nec mensuretur ab eis, sed potius sit earum mensura: ergo concipere Deum, ut relatum ad creaturas, est concipere aliter &c. Patet consequentia, quia si Deum ut est in se conciperemus, non conciperemus, ut relatum.

Quartò: Dum intellectus in animali format intentionem generis, & in homine intentionem speciei, concipit animal & hominem aliter, ac sunt in se: sed ita formatur

omne

omne ens rationis: ergo fit omne per cognitionem &c. Probatur major. Tunc intellectus in animali, & homine format tales intentiones, quando cognoscit hominem, ut unum in multis, & predicabilem de multis (idem de animali): sed nec humanitas est una in Petro, & Paulo, sed diversa realiter; nec animalitas est una in homine, & equo, sed multiplex, & realiter distincta: ergo dum intellectus &c.

Tandem. Quando intellectus format hunc syllogismum, *Omnis homo est animal: sed Petrus est homo: ergo Petrus est animal*, cognoscit præmissas ut causam conclusionis, & sic dicentes ordinem ad conclusionem. Item cognoscit extremitates *Petrus, & animal*, ut distinctas ab homine, qui habet rationem medij; unde concipit relationem extremitatum inter se, & relationem earum ad medium: sed hæc omnia cognoscuntur aliter, ac sunt in se: ergo idem. Probatur minor. Præmissæ in se nullum dicunt ordinem ad conclusionem, quam causant, quia causa non dicit relationem ad effectum, sed potius è contra. Insuper medium illius syllogismi, scilicet *homo*, non est quid distinctum à Petro, & animali: quare si res

cognoscereatur ut sunt in se, tunc in dato syllogismo non inferretur unum ex alio, sed unum ex se ipso: nec dicendo *Petrus est homo*, predicaretur unum de alio, sed idem de eodem; cum *Petrus & homo*, in se sint idem: ergo &c.

4. Dicunt tertio: *Quod ens rationis fit per omnes operationes intellectus*. Ita cum communi doctrina Mag. Palanco lib. 2. q. 8. De prima operatione, quæ est apprehensio simplicium, probatur auctoritate D. Thomæ allegata num. 3. ubi S. D. dicit: *Tunc effici ens rationis, quando intellectus nititur apprehendere, quod non est*. Sed nititur sic apprehendere per apprehensionem: ergo per primam operationem facit ens rationis.

De secunda operatione sic. In hac propositione *Homo est equus*, datur ens rationis consistens in ea identitate ficta hominis cum equo: sed hæc identitas, sicut & propositio, formatur per secundam operationem, quæ est iudicium: ergo per secundam operationem intellectus fit ens rationis.

De tertia sic. Connexio ficta antecedentis cum consequenti est ens rationis, v. g. dum dicitur *est homo*: ergo *est equus*: sed hæc connexio fit per tertiam operationem intel-

tel;

tellectus, quæ est discursus: ergo per discursum fiunt etiam entia rationis. Rursus: relatio antecedentis ad consequens, & e contra, non potest esse realis quando est inter extrema identificata: sed dum dicitur, *est homo*: ergo *est rationalis*, tunc antecedens, & consequens identificantur: ergo relatio illa est rationis. At ista relatio fit per discursum: ergo &c.

## §. II.

*Nostra sententia proponitur, & probatur.*

**P**ROBatum est à nobis, quòd ens rationis sine fundamento consistit in esse ficto ab intellectu, ut volunt Thomistæ, vide q. 2. & q. 4. quare de ente sine fundamento nulla est contentio inter nostram, & communem sententiam; de hoc enim fatemur fingi ab intellectu, formari per cognitionem propriè fingentem, & rei aliter, ac est in se, & quòd ejus existentia consistit in actu obijci intellectui fingenti. Quare libenter assumimus fundamentis §. præcedenti positis, si applicentur soli enti rationis chimerico, & sine fundamento.

Ceterum, quia q. 2. pro-

batum est quòd ens rationis fundatum non consistit in esse ficto, sed vero, quòd resultat ex cognitione vera objecti realis: item probatum est quòd existentia hujus entis veri non consistit in actu obijci, aut cognosci ab intellectu, ut videbis q. 4. idè tenemus recedere à fundamentis hic datis pro sententia communi RR. & ea expendere ad nostrum assertum tutandum.

Observa: quòd q. 3. probatum est, quòd sola relatio est ens rationis cum fundamento; quamobrem, ne inutiliter divagemur, ad solas relationes rationis hæc quaestio contrahenda est ex dictis q. 3. citata, ubi satis efficaciter hoc probatū est: quo notato en duo principia nobis tenenda consequenter ad dicta q. 2. & 4.

6. Dicimus primò: (Ens rationis cum fundamento non fit formaliter ab intellectu, sed fundamentaliter.) Explicatur ex dictis q. 2. num. 16. ubi ostensum est quòd posito fundamento proximo relationis naturæ humanæ ad Petrum, & Paulum, resultat sine nova actione relatio rationis: quare intellectus, per suam actionem solam abstractit naturam humanam à singularitate, & format hunc conceptum *Homo*; hoc factò, siac

sine nova actione resultat relatio hominis ad individua; quare intellectus per suam actionem facit fundamentū, non autem relationem rationis, quæ sine actione ad ipsam terminata, resultat per se. Rursus quaest. 4. num. 15. probatum est ex D. Thoma, quòd hæc relatio rationis existit objectivè in specie expressa, ubi tanquam imago in speculo representatur. Vide ibi dicta, ne illa hic repetamus. His notatis ex ibi probatis.

Probatur 1. præsens assertum nostrum ex P. Augustino lib. 2. Soliloq. cap. 6. (Quamvis enim pleraque specula homines faciant, non tamen ipsi effingunt eas quæ redduntur imagines: ) ergo licet intellectus noster formaliter causet, & faciat speciem expressam, quæ representat relationem rationis naturæ ad inferiora; non facit formaliter, nec fingit talem relationem representatam. Probatur consequentia de mente P. August. Idè homo formans speculum non habet formare imaginem in speculo representatam, quia hæc imago resultat in speculo, quasi naturaliter sine nova actione formantis speculum; hanc enim rationem dat ibi S. P. ut videri potest, quare imagines illas numerat

inter ea, quæ naturaliter resultant: sed posita expressa specie naturæ humanæ abstractæ, resultat sine nova actione intellectus formantis speciem, relatio rationis naturæ ad inferiora: ergo relatio illa rationis juxta P. August. non fit formaliter ab intellectu, sed fundamentaliter. Consequentia tenet: major est P. Augustini, & min. probata est ex D. Thoma quaest. 4. num. 15.

Rursus. Si ens rationis fieret per cognitionem rei, aliter ac est in se; intellectus nihil intelligeret per talem cognitionem, sed ens rationis, ut patet, fit per cognitionem, qua aliquid cognoscimus: ergo non fit per cognitionem rei, aliter ac est in se. Totus discursus in terminis est P. August. tom. 4. lib. 8. q. quaest. 32. ubi ait: (Quisquis ullam rem aliter quàm ea res est, intelligit, fallitur. Et omnis qui fallitur, id in quo fallitur, non intelligit. Quisquis igitur ullam rem, aliter quàm est, intelligit, non eam intelligit; Non ergo potest quidquam intelligi, nisi ut est, &c.) Ecce probatio majoris nostri syllogismi, & integer discursus factus, quo vides ens rationis non fieri per cognitionem fingentem, aut rei, ali-

ter ac est alietate propria; alioquin nihil cognosceremus per aliquam cognitionem nostram, cum nulla sit, quæ non sit præcisiva, aut iudicativa, & sic factiva entis rationis.

Probatur 2. ex D. Thoma, & formatur simul ratio sic. Si intellectus formaliter faceret relationem rationis hominis ad individua, vel faceret illam per cognitionem directam, qua primò cognoscit naturam humanam sine singularitate; vel per sequentem cognitionem reflexam, qua reflectitur intellectus supra naturam humanam à se primò cognitam: sed ratio ista non fit formaliter per primam cognitionem, aliunde nec fit per secundam: ergo per nullam fit formaliter. Min. quoad primam partem conceditur à DD. communis sententiæ, qui dicunt quòd cognitio illa directa non facit formaliter ens rationis, & universale logicum, sed fundamentaliter, quia ponit fundamentum relationis rationis faciendæ per sequentem cognitionem. Alij dicunt quòd per illam primam cognitionem fit universale metaphysicum, quia ponitur natura ut non singularis; sed non ponitur universale logicum formaliter, quia non

ponitur formaliter, sed fundamentaliter relatio rationis naturæ ad inferiora, quæ sola constituit universale logicum. Hac est eorum doctrina, ut videbimus lib. seq.

Nihilominus probatur insuper, quia relatio rationis non fit nisi per cognitionem reflexam: sed cognitio prima explicata, non est cognitio reflexa, sed directa: ergo non fit per primam cognitionem formaliter. Min. patet, & major probatur. Relatio illa rationis est secunda intentio objectiva: sed secunda intentio objectiva solum potest fieri per cognitionem reflexam, quæ est secunda intentio formalis: ergo relatio rationis &c.

Quoad secundam partem probatur min. principalis ex D. Thoma multis locis allegatis quæst. 2. n. 27. ubi S. Doctor loquens de intellectu reflectente supra naturam directè cognitam, dicit quòd *adveniit* relationem ejus ad inferiora; quòd talem relationem invenit intellectus in rebus consideratis. Ita loquitur 4. Metaphys. lect. 4. opusc. 42. cap. 4. quæst. 1. de Potentia art. 1. ad 10. & in Sententiaris 1. dist. 2. & 19. uno verbo semper loquitur ita, ut observavimus quæst. 2. Sed nemo facit id, quod ad-

in

invenit, ut de se constat: ergo juxta D. Thomam relatio rationis non fit per actionem reflexam.

Et confirmatur ex eodè S. Doct. qui eisdem locis dicit, quòd relatio rationis *consequitur* ad naturam, directè cõsideratam sine singularibus, quia natura sic abstracta est *Essentialiter imago singularium*. Vide dicta de hoc q. 4. num. 14. ergo quia sine actione distincta à prima cognitione naturæ abstractæ, existit relatio: sed actio prima cognoscens naturam solum causat fundamentum relationis rationis: ergo relatio rationis solum fundamentaliter causatur ab intellectu. Vide quæst. 2. num. 33.

De mente N. Ægidij eadem sententia constat, ut videbis quæst. 2. num. 41. & quæst. 4. num. 16. & 17. & directè illud probat de mente ipsius N. Villanovæ disp. 2. de ente rationis dub. 7. à cap. 2. Omittimus brevitate causa auctoritates ejus huc reponere. Eas invenies locis citatis, & est sequela sententiæ ipsius explicatæ quæst. 2. & 4. circa esse & existentiam entis rationis fundati.

8. A ratione probatur nostrum assertum. Quia relatio realis in re extra non fit formaliter per realem causa-

litatem, sed solum fundamentaliter: ergo nec relatio rationis fit formaliter ab intellectu, sed solum fundamentaliter. Antecedens est doctrina omnium Philosophorum cum Arist. 5. Physicorum ubi docet: quòd ad relationem realem non datur per se motus, nec actio, sed ratione fundamentis: quia posito per veram actionem fundamento, resultat relatio realis sine nova actione. Atqui etiam posito fundamento relationis rationis, resultat etiam sine nova actione relatio illa: ergo non fit formaliter ab intellectu, sed fundamentaliter. Vide istam rationem latè explicatam q. 2. num. 16.

Confirmatur. Non aliter fit ens rationis, nisi quatenus causatur illius existentia: sed existentia entis rationis non causatur ab intellectu formaliter, sed solum fundamentaliter: ergo ens rationis non fit formaliter ab intellectu, sed solum fundamentaliter. Major patet quia causare rem, est dare illi existentiam. Minor probatur. Existentia entis rationis consistit in illo esse objectivo, quod habet in specie expressa representativa fundamenti: sed hoc esse objectivum in specie illa, non causatur formaliter ab intellectu, sed solum fundamentaliter: er-

go existentia &c. Major probata est directè q. 4. num. 15. Minor probatur. Hoc esse obiectivum, quod habet relatio, causatur ab intellectu, causante speciem representativā fundamenti: sed actio ista est solum causativa formaliter fundamenti, non autem entis rationis, quod ex tali fundamento resultat: ergo.

Confirmatur secundò. Si ens rationis fieret formaliter ab intellectu, ejus esse consisteret in actu objici; & fieret per cognitionem practicā cognoscitivam, & factivam entis rationis: sed existentia entis rationis non consistit in actu cognosci, & objici; item non fit per cognitionem practicam cognoscitivam entis rationis: ergo non fit formaliter, sed fundamentaliter. Minor quoad primam partem probata est late q. 4. num. 13. Quoad secundam partem probatur. Nulla est possibilis cognitio entis rationis, quæ sit factiva illius: ergo ens rationis non fit per cognitionem practicam, quæ sit cognitio entis rationis. Consequentia tenet, & antecedens probatum est q. 4. num. 14.

9. Dicimus secundò: *Ens rationis cum fundamento non fit per cognitionem rei aliter ac est in se.* Ne in vanum laboremus, nota quòd *ly aliter ac est in se*, potest duobus

modis intelligi; primo *aliter* alietate ex parte cognoscētis; secundo alietate ex parte rei cognitæ. Alietas ex parte cognoscētis est, quādo id, quod est, intelligitur; ceterum modus intelligendi rem est diversus à modo quo res est in se. Sic Deus intelligit res materiales, sed non intelligit eas modo materiali, sed immateriali. Etiam intelligit entia finita, sed ea intelligit modo infinito. Etiam Deus intelligit res aliter ac sunt in se, sed non format ens rationis, nec falsò intelligit, sed perfectissimè, quia alietas est ex parte modi cognoscendi, non autem ex parte rei cognitæ.

Alietas ergo ex parte rei cognitæ datur quando vel cognoscitur res cū aliquo quod non habet; vel sine aliquo quod habet. Hoc potest fieri sic: cognoscis hominem ut *animal pinnibile*, malè cognoscis, & aliter ac est in se, quia ponis in illo id quod non habet. Cognoscis hominem ut *animal*, v. g. in isto actu *homo est animal*. Hic actus potest nasci ex duplici cognitione; nam vel judicas, vel apprehendis hominem esse solum animal: & tunc falleris, & cognitio ista verè est rei aliter ac est in se, quia homo in se non est solum animal, sed simul est *rationale*. Vel cognoscis hominem esse animal

animal, nil amplius cogitando, affirmando, aut negando; & talis cognitio est vera, & propositio formata vera est, dicitur tamen cognitio *præcisiva* quia non attingit totum quod est in objecto, sed partem: ceterum pars illa verè attingitur & sine falsitate; quare dicitur quòd *abstractivū nō est mēdaciū*.

Igitur non intendimus quòd ens rationis non fiat per cognitionem rei aliter, *ac est in se* præcisivam, & veram; imò cum nostro Egidio tenemus, quòd secundæ intentiones logicales unicè resultant ex cognitione præcisiva, & potentiali; quare nec à Deo, nec ab Angelis fiunt, ut dicemus q. 7. sed intendimus quòd ens rationis non fit per cognitionē rei aliter ac est in se, falsam, fingentem, & non veram. Hæc secundam docet sententia communis, quia dicit esse cognitionem fingentem; esse cognitionē quæ cognoscit id quod non est, ac si esset; quæ distinguit extrema non distincta, & unit, & identificat non identificata. Iam vides quid impugnamus, & quo motivo defenditur à communi sententia, & impugnatur à nostra. Nā cum esse entis rationis sit fictum apud contrarios, petit cognitionem fingentem, & talem qualem descripsimus. Sed à contrario cum nostra sententia propugnet esse verum in ente

rationis, non possumus talem cognitionē ponere factivā entis rationis fundati. His notatis.

10. Probatur ergo assertum hoc ex P. Augustino primò omnibus auctoritatibus, quibus q. 2. num. 19. & 20. probatum est, quòd ens rationis fundatum consistit in esse vero: sed ens rationis consistens in esse vero, non potest fieri per cognitionem fingentem, & rei aliter ac est in se alietate propria, & falsa: ergo juxta S. P. ens rationis fundatum, non fit per cognitionem rei aliter ac est in se.

Rursus probatur ex eodem S. P. lib. 2. de Ordine cap. 17. ubi ait: Ego quodam meo motu interiore, & occulto, ea quæ discenda sunt, possum discernere, & connectere: & hæc vis mea ratio vocatur. Quid enim discernendum est, nisi quod aut unum putatur, & nō est: aut certè non tam unum est, quàm putatur. En omnia munera, & officia intellectus nostri, ut ratio est, & vult adiscere; *discernere, & connectere*; hoc est *componere, & dividere*; in hoc enim intellectus noster differt à Divino, & Angelico, quia non simplici intuitu, ut illi, cognoscimus, sed componendo, & dividendo; ex divisione resultant entia rationis logica incomplexa; ex compositione resultant entia rationis complexa, & secun-

dæ intētionē subjecti, prædica-  
ti, & mediij, ut q. præcedente  
dictum est.

Nunc sic. Ens rationis fit  
per cognitionem discernen-  
tem, & connectentem ea, quæ  
discenda sunt: sed cognitio  
talis non est fingens, falsa, aut  
rei aliter ac est in se alietate  
propria: ergo ens rationis non  
fit &c. Minor probatur: Cogni-  
tio, quæ ita discernit, & po-  
stetā connectit, non discernit,  
nisi quod; aut unum putatur  
& non est: aut non est tam u-  
num, quàm putatur: at hoc  
non fit per cognitionem fin-  
gentem, & falsam, sed per ve-  
rissimam, subtilem, & præci-  
sivam: ergo.

Explicatur. Dum intelle-  
ctus discernit *animal à rationa-  
li*, discernit id quod unum est;  
quia realiter identificatur; sed  
*non est tam unum, quàm puta-  
tur*, quia licet sint unum rea-  
liter, sunt duo virtualiter, &  
in hac distinctione virtuali  
fundatur præcisio objectiva, ut  
dicemus cum Thomistis. Simi-  
liter dum intellectus cog-  
noscit hominem sine singu-  
laritate, & discernit; discernit  
inter ea, quæ unum sunt, sed  
*non est tam unum, quàm puta-  
tur*, quia sunt unum reali-  
ter, sed non virtualiter, nec  
singularitas est de essentia na-  
turæ humanæ; & in hoc fun-  
datur præcisio objectiva unius

ab alio. At actus sic discer-  
nens non est falsus, aut fia-  
gens, sed verus, subtilis, &  
præcisivus: ergo cum inde  
resultent entia rationis, ut in  
primo asserto probatum est,  
ens rationis non fit per co-  
gnitionem falsam, fingentem,  
aut rei aliter ac est in se alie-  
tate propria.

11. Probatur secundò  
de mente D. Thomæ Opusc.  
41. cap. 8. ubi ait: (Cum au-  
tem formatio generis, & spe-  
ciei, quæ est actio intellectus,  
non sit fictitia, sicut est quan-  
do fingit non entia, ut mon-  
tem aureum, cui nihil res-  
pondet in re &c.) Ecce S. Do-  
ctor vocat actionem fictitiam,  
quæ fingit montem aureum;  
& hoc negat de actione cau-  
sante genus, & speciem. Rur-  
sus dicit fingere montem au-  
reum, non dicit fingere ge-  
nus, aut speciem, sed forma-  
re. Vide q. 2. à num. 25. usque  
ad 27. & inuenies ex parte  
actionum discrimen expref-  
sum in D. Thoma pro ente  
sine fundamento, & pro en-  
te fundato; ita ut ens chimæ-  
ricum petat actionem fingentem,  
secus ens rationis fun-  
datum.

Probatur 3. ex nostro  
Egidio in 1. Sent. dist. 30. q.  
1. art. 3. ubi distinguens in-  
ter utraque entia fundata, &  
chimærica refundit discrimen

in cognitiones, docens intel-  
lectū circa chimærica esse fal-  
sum, vanum, & cassum. Se-  
cus circa entia fundata. Vide  
verba Fundatiss. Doct. quæst.  
1. num. 5. & eandem doctri-  
nam tradit in 1. dist. 2. con-  
fentiens plenè suo, & N. Ange-  
lico Præceptore in eadem di-  
stinctione 2. primi Sent.

12. Probatur à ratio-  
ne. Nam ens rationis funda-  
tum consistit in esse vero: sed  
esse verum non potest fieri ab  
intellectu per cognitionem  
fingentem, falsam, aut rei ali-  
ter ac est in se alietate rigo-  
rosa: ergo ens rationis fun-  
datum non fit per cognitio-  
nem fingentem &c. Major  
probata est quæst. 2. autho-  
ritatibus & ratione: inuenies  
rationes à num. 42. illas vi-  
de, & applica hęc. Minor est  
expressa in P. Augustino lib.  
2. Soliloq. cap. 17. dicente: (Nō  
ergo inane verum, quia ne-  
que ab eo, quod inane non  
est, inane fieri potest.) En-  
verum solum fieri potest à ve-  
ro; sicut non verum, & ina-  
ne, solum fieri potest ab in-  
tellectu fingente, vano, casso,  
& inani.

Confirmatur. Omne ens  
rationis fundatum (loquimur  
de secundis intentionibus ge-  
neris, speciei &c.) fit solum per  
cognitionem præcisivam: sed  
cognitio præcisiva non est fin-

gens, falsa, aut rei aliter, ac  
est alietate propria: ergo ens  
rationis fundatum &c. Major  
constat ex primo asserto no-  
stro, & ex dictis num. 10.  
cum P. Augustino; item ex  
tota q. 2. & 4. Minor probatur  
1. quia *abstrahentium non est  
mendacium, nec error*. Iuxta A-  
rist. ergo cognitio præcisiva  
non est falsa.

Secundò, quia hæc pro-  
positio est vera *Homo est ani-  
mal*. Et hæc *Petrus est homo*:  
sed in his propositionibus da-  
tur cognitio abstractiva, &  
rei aliter ac est in se alie-  
tate præcisiva: ergo cognitio  
præcisiva non est fingens, fal-  
sa &c. Probatur minor. In  
prima præscinditur animal à  
rationali: in secunda præscin-  
ditur homo à singularitate:  
ergo &c. Probatur antece-  
dens. In utraque id cogno-  
scitur solum quod prædica-  
tur: sed de homine solum  
prædicatur *animal*, non au-  
tem *rationalis*; de Petro solum  
prædicatur natura, non au-  
tem singularitas, quæ si præ-  
dicaretur, diceretur *Petrus est  
hic homo*: ergo.

Confirmatur secundò:  
Cognitio fundamentaliter fa-  
ctiva entis rationis, est co-  
gnitio factiva fundamenti: sed  
cognitio factiva fundamenti,  
non est fingens, falsa, aut rei  
aliter ac est in se alietate  
dicta:



dicta: ergo cognitio &c. Major patet ex primo asserto. Minor probatur. Cognitio factiva fundamenti, est cognitio v. g. faciens hunc conceptum objectivum *homo*, vel istum *animal*: sed cognitio hæc non est falsa, fingens &c. ergo. Probatur minor. Conceptus objectivus *homo*, & *animal* est conceptus realis, & verus, non autem est quid fictum: sed si fieret cognitione falsa, fingente &c. non esset conceptus realis, & verus, sed falsus, & fictus: ergo &c. Major patet, quia uterque conceptus est verè affirmabilis de Petro, de quo nihil nisi verum potest affirmari. Minor etiam est certa, quia conceptus objectivus nequit esse verus, si conceptus formalis sit falsus.

Confirmatur tertio: Hæc cognitio præcisiva *homo* est factiva entis rationis, ut probatum est: sed hæc non est falsa, aut fingens, nec rei aliter ac est: ergo idem. Probatur minor. Cognitio conformis objecto, & attingens illud, ut est in se essentialiter, non est falsa, fingens, aut rei aliter ac est in se: sed talis est cognitio *homo*: ergo. Probatur minor. Cognitio attingit totam hominis essentiam, & non tangit singularitatem: sed homo in se essentialiter est homo, non est autem essentialiter sin-

gularis: ergo &c. Hoc, dicit P. Augustinus, est discernere quod non est tam unum quam putatur, ut vidimus num. 10.

13. Dicimus tertio cum communi sententia ens rationis posse fieri fundamentaliter per quamcumque operationem. De prima patet ex dictis tora q. 2. pro intentionibus generis, speciei &c. De secunda patet ex dictis q. 4. num. 32. & 33. ubi etiam probatum est de tertia operatione; nec est aliquod disidium inter nostram, & communem sententiam.

Hic solum adverte pro confirmatione nostræ sententiæ, quod connexio antecedentis cum consequenti, si est vera est ens rationis fundatum, v. g. est *animal rationale*: ergo est *homo*. Ceterum si connexio non est vera, sed ficta, tunc est ens rationis chimericum, v. g. est *homo*: ergo est *equus*. Utrumque concedunt communiter DD. Ceterum inde inferimus, quod connexio vera est ens rationis verum, & fit per discursum verum, & non fingentem; secus connexio falsa, quæ est ficta, ut dicit Palanco ubi supra num. 1. Probatur sequela: Connexio illa non est ens reale, cum non detur inter extrema distincta, sed inter identificata: *homo enim & animal rationale* identi-

tificantur. Inter identificata datur identitas non autem connexio. Rursus est vera, ut patet: ergo est ens rationis verum. Sed ens rationis verum non fit per cognitionem fingentem, qualiter sit secunda connexio ficta, & falsa: ergo &c.

## §. III.

Solvuntur fundamenta sententiæ contrariæ.

14. AD fundamenta contraria, posita num. 1. respondemus, & ad autoritatem D. Thomæ dicimus primò, ibi non loqui S. Doct. de relatione, quæ sit ens rationis, sed de relatione reali conformitatis nostrorū actuum cum secundis intentionibus, ut vidimus q. 8. de objecto logicæ num. 4. & seqq. & constat, nam S. Doct. ibi ponit tres ordines quos ratio considerando facit, unum in actibus intellectus, & hic pertinet ad Logicam; alterum in actibus voluntatis, & hic pertinet ad Philosophiam moralem; ultimum in exteriori materia, & hic pertinet ad artes mechanicas; ita D. Thomas ibi. Sed ordo, quem ratio facit in actibus voluntatis, aut in exteriori materia, non est ens rationis; alioquin Philosophia moralis, & artes mechanicæ, haberent pro obje-

cto ens rationis, quod alienum est à mente D. Thomæ: ergo & ordo, quem ratio facit in actibus intellectus, non est ens rationis, sed relatio conformitatis explicata q. 8. citata.

Dicimus secundò admit- tendo verba S. Doct. juxta sensum sententiæ contrariæ, quod intellectus facit ordinem illū fundamentaliter in suis actibus, non formaliter; quia ordo ille est cum fundamento, & est vera relatio, non realis, sed rationis; hæc resultat, non autem fit, quia minoris entitatis est, quàm relatio realis; & nec relatio realis fit formaliter, sed fundamentaliter, cum non terminet per se motum, sed ratione fundamenti. Eadem expositio dāda est alijs autoritatibus, si fortè aliæ sint ista urgentiores; maximè cum D. Thomas nunquā, quod viderimus, dicat de secundis intentionibus, quod fiant, sed quod consequantur, & quod intellectus illas adinvenit in rebus consideratis.

Ad secundam rationem dicimus ens rationis non esse Deum; imò nec creaturam, cum non habeat esse reale per creationem: sed admissio latè nomine creaturæ, quia habet esse ab alio, & causatum; dicimus inde non probari, quod fiat formaliter ab intellectu; nam satis est fieri ab eo fun-



damentaliter. Et patet in relatione reali, quæ solùm fit fundamentaliter, & per resultantiam, & hoc sufficit, ut fit quid creatum. Imò quia esse relationis realis inter entia realia creata est minimũ, idè non fit formaliter, sed resultat. Cùm ergo relatio rationis, minus habeat de entitate, quàm realis; idè &c.

Ad primam confirmationem dicimus ens rationis incipere esse de novo, & habere causam dantem esse; & istam esse intellectum; at non est causa formaliter dans esse, sed fundamentaliter ob rationes datas, & patet in relatione reali.

Ad secundam confirmationem dic, quòd existentia entis rationis causatur ab intellectu fundamentaliter, non formaliter. Negamus, quòd illa consistat in actu obijci intellectui, sed in actu representari, aut in esse objectivo, quod habet in specie expressa fundamenti, ut probatum est q. 4. nec urget ratio id probans, quia q. citata cum alijs ad idem soluta est. Ad tertiam confirmationem dic intellectum esse causam entis rationis fundamentaliter, non formaliter: & hoc sufficit ne fingatur esse independens; quia Deus independens, nec fundamentaliter potest esse causa-

tus. Et instantia est in relatione reali.

Ad quartam confirmationem nego min. nam q. 4. probatum est, quòd ens rationis fundatum existit etiam intellectu nihil cogitãte. Quare solùm dependet in fieri ab intellectu producẽte speciem; sed non in conservari. Nec est paritas de actione Dei, à qua non solùm in fieri, sed in conservari dependemus omnes creaturã.

15. Ad fundamenta secundi asserti, posita num. 3. respondemus, & primò ad authoritatem D. Thomæ, dicimus ibi S. Doct. loqui de ente rationis sine fundamento. Vide comprobatam hanc expositionem q. 1. num. 26 & in solutione argumentorum. Nostrum assertum est de ente fundato, non de chimerico, de quo sentimus cum communi sententia habere esse fictum, & fingi.

Ad secundam probationem quæ est à ratione, dicimus tale fundamentum non probari nobis, qui ex D. Thomæ, & Egidio defendemus Deum aliqua entia rationis formare, licet non omnia. Quæ sententia plures habet DD. pro se; & omnes hi negant requiri ad talia formanda cognitionem rei aliter ac esse in se. Imò inde probatur amplius

no:

nostrum assertum, quia juxta D. Thomam, & Egidium, quæ plures ex nostris, sicut D. Thomam aliqui Thomistæ sequuntur, Deus facit aliqua entia rationis: sed non potest Deus cognoscere res aliter ac sunt in se: ergo talis cognitio non est necessaria pro faciendis entibus rationis.

16. Ad primam confirmationem latè patebit solutio lib. seq. interim vide dicta hoc lib. q. 3. num. 15. ex quibus dic, intellectum distinguẽtem in Deo justitiam à misericordia, non distinguere distinctione actuali, quæ sit ens rationis; sed distinctione actuali reali extrinseca, quam videbis loco citato. Hoc ita se habet. Iustitia & misericordia in Deo identificantur realiter, & solùm virtualiter distinguuntur. Vi hujus distinctionis virtualis, intellectus noster, qui non potest una cognitione attingere totum objectum, concipit per unam cognitionem misericordiam, & per aliam justitiam. Nulla ex his cognitionibus est falsa, quia attingit id quod est. Et licet non attingat & modo quo est, at illa alicuius est præcisiva, quatenus non attingit totum objectum, sed partem; sed non est falsa, aut fingens aliquid in objecto, ut vidimus num. 9.

Ex istis cognitionibus di-

versis oritur, quòd distinctio illa misericordiam, & justitiæ, quæ ante cognitionem erat solùm virtualis, redditur distinctio actualis per rationem, quia scilicet sunt cognita illa prædicata diversis cognitionibus realiter distinctis. Et sicut à cognitionibus denominantur extrinsecè cognita; ita ab eisdem denominantur extrinsecè distincta, distinctione cognitionum. Atqui cognitiones sunt realiter distinctæ: ergo per præcisionem justitiæ à misericordia redduntur actualiter distincta realiter extrinsecè. Ergo dum intellectus distinguit justitiam à misericordia, nullum facit ens rationis, ut supponit prima confirmatio: nec ibi intervenit altera cognitio fingens, aut falsa, sed merè præcisiva.

Observe quòd intellectus per cognitionem reflexã potest reflectere supra prædicata illa sic extrinsece distincta. & vel benè de illis judicare, vel malè. Benè judicabit, si dicat, justitia, & misericordia in se sunt virtualiter distincta, non actualiter adhuc extrinsecè, sed potentialiter, quatenus possunt cognosci varijs cognitionibus. Ceterum justitia, & misericordia ut actu cognita distinctis cognitionibus sunt actualiter distincta realiter extrinsecè. Hoc

judicium est verum; nec fingit aliquid, sed totum verè affirmat. Si tamen cognitio reflexa putet, quòd objecta illa in se ante cognitionem sunt distincta per rationem vel extrinsecè realiter, hoc est falsum & fictum. Si etiam putet quòd post cognitionem illa prædicata distinguuntur distinctione actuali, quæ sit intrinseca illis, & sic ens rationis, etiam hoc judicium est falsum, & fingit sine fundamento illud ens rationis. Quia distinctio virtualis quæ est in objecto, dat fundamentum nostro intellectui ad præcisionem unius prædicati ab alio: non tamen dat fundamentum, ad fingenda illa prædicata realia intrinsecè actualiter distinctione, quæ sit ens rationis.

17. Ad secundam confirmationem concedo quòd in hac propositione *Homo est equus*, intellectus identificat extrema: ceterum sine fundamento, & ideò facit ens rationis chimericum, de quo non negamus fieri per cognitionem fingentem. Nego, quòd intellectus in hac *Homo est albus*, identificet subjectum cum prædicato, alioquin propositio hæc vera, foret falsa, & difformis objecto. Unde *ly est* non dicit identitatem, sed unionem, vel inhaerentiam: & si dicit identitatem exponitur

sic *Homo est subjectum habens albedinem*. Hæc est vera, nec datur sic identitas ficta, nec cognitio rei aliter ac est in se; cum homo in se sit subjectum habens albedinem.

Ad explicationem secundæ confirmationis dic, quòd in hac propositione *Homo est species*, non prædicatur species de homine extra intellectum; alioquin propositio foret falsa. Prædicatur ergo de homine intra intellectum, vel de homine considerato; quod habent omnia prædicata, quæ sunt termini secundæ intentionis. Atqui de homine considerato, & intra intellectum est vera illa propositio; nec ibi intervenit cognitio rei aliter ac est in se considerata, licet sit rei aliter ac est in se extra intellectum alietate præcisiva: ergo ens rationis illius propositionis non fit per cognitionem fingentem, falsam &c.

Ad tertiam confirmationem vide dicta q. 4. præcedenti num. 3. Ex quibus dicimus, quòd intellectus concipiens Deum ut Creatorem, illum concipit cum relatione rationis ad creaturas; non cum relatione quæ sit in Deo, quia istam falsò fingeret in Deo extra intellectum; sed cum relatione rationis, quæ est in Deo à nobis cognito, vel intra cognitionem: & hoc est verum, nec

nec fingitur: sed sicut relatio rationis verè consequitur in Deo à nobis sic cognito; immò & necessariò consequitur; ita verè est in Deo à nobis cognito, licet non sit in Deo, ut est in se extra intellectum. Arguens putat relationem istam poni in Deo extra intellectum, & ideò putat fictam: sed non evenit sic, quia relatio ista consequitur res consideratas, ut ait sæpè D. Thomas, & intellectus illam *adinvenit*, non in rebus extrà, *sed in rebus consideratis*, ubi verè sunt, & sine ulla fictione, & falsitate.

18. Ad quartam confirmationem dicimus, illam, & ferè omnes alias æquivocare in termino isto *Res ut est in se*. Pone cognitionem perfectissimam rei, ut est in se; v.g. suppose nos videre Deum cognoscentem lapidē. Sanè hæc cognitio est rei ut est in se, quod docet fides, & lumen naturale. Considera lapidem in se extra intellectum Divinum, invenies illum materiale, corporeum, mortuum, defectibilem; & ipsum vide intra intellectum Divinum, vel *In arte, qua conditus est*, ut ait P. August. ibi lapis est immaterialis, spiritualis, vivens, immò ipsa vita, ut ait S. P. ad illa verba

Ioannis, *In ipsa vita erat*. Descende ad nostram cognitionem. Arca (& est exemplum S. P.) in se non vivit, in idea & mente artificis vivit: & tamen per ideam cognoscitur arca, ut est in se, vel ut erit in se; quia arca fit ad instar ideæ & exemplaris quod in mente artificis est. Ergo in omni cognitione perfecta, aliud convenit rei extra intellectum, aliud rei ipsi intra intellectum; nec alietas ista petit cognitionem falsam, aut fingentem, quia vel est alietas purè ex parte cognoscentis, vel est alietas præcisiva, ut diximus num. 9.

Hinc dicimus quartæ confirmationi, quòd humanitas in re extrà non est una realiter potens esse in multis, aut prædicari de multis; at humanitas intra intellectum est una, potens esse in multis, & prædicari de multis. Quid inde? Nil sanè nisi quòd aliquid convenit humanitati intra intellectum, ac eidem extrà. Concedo hoc. Sed vide, an ut hoc conveniat humanitati intra intellectum, ponatur actio fingens, aut falsa? Id non poteris probare, quia sufficit cognitio humanitatis præcisiva à singularitate; & cognitio talis, nec falsa, nec fingens est, ut sæpè diximus.

19. Ad ultimam confirmationem, quæ duo continet, dicimus quod præmissæ in illo syllogismo sunt causæ conclusionis, aut consequentis; non sunt causæ in essendo, sed in inferendo. Causa in essendo, est causa dans esse, & hæc distinguitur realiter ab effectu producto, sed dum dicitur: *Petrus est homo: ergo Petrus est animal*, antecedens non distinguitur realiter à consequenti: ergo non est causa in essendo. Est causa in inferendo: & hæc non petit extrema realiter distincta, sed virtualiter, quia identitas duorum non impedit, sed potius firmat illationem unius ex alio. Petit tamen diversas cognitiones antecedentis, & consequentis: & idè Angelus, qui sine discursu illud attingit unica cognitione, non infert, nec cognoscit illationem illam modo illativo, sed simplici. Quia cognitiones nostræ in illo discursu sunt distinctæ, dicunt relationem realem mutuam inferentis, & illati. Quia verò objecta non sunt realiter distincta, dicant relationem rationis mutuam. Hæc resultat

in objectis cognitis, & discursu dispositis, ut diximus q. 4. præcedenti num. 3.: quod sufficit ne unum ex eodem inferatur, sed ex alio.

Dicimus etiam ad aliud, quod termini illius syllogismi, scilicet *Petrus, homo animal*, extra intellectum habent distinctionem virtuales, & intra intellectum habent distinctionem realem actualem extrinsecam, sumptam à diversis realiter conceptibus, quibus cognoscuntur, & representantur, ut diximus num. 16. Sic dum unus terminus de alio prædicatur, non prædicatur idem de se ipso, sed idem de alio, quia sunt alius, & alius dupliciter, scilicet virtualiter intrinsecè, & realiter extrinsecè. Super istam distinctionem extrinsecam fundantur relationes rationis mediæ, extremitatis, subjecti, prædicati &c. quæ resultant posito fundamento cognito. Nihil horum est in re extra intellectum, sed in re intellecta, sed nil contra nos, ut vidimus num. 18. quia alietas hæc non est fingens, aut falsa, sed præcisiva, & discursiva.

QVÆ

*An solus intellectus formet entia rationis?*

§. I.

*Aliquibus notatis, explicatur communis sententia de sensibus externis.*

1. VIDIMVS quæst. præcedenti intellectum formare entia rationis, quærimus, an præter intellectum detur alia potentia, aut sensus in nobis, qui faciat ens rationis? Et observa, dubium non procedere de ente rationis fundato. Ratio est clara: quia sola ratio rationis est ens fundatum: sed nullus sensus nec ulla potentia potest cognoscere relationem, ut docet D. Thomas in Proemio Ethicorum, quare cognoscere ordinem unius ad aliud est proprium soli intellectui: ergo nulla potentia nisi intellectiva potest facere ens rationis fundatum.

Dices: Oculus videns duos parietes albos, videt eos esse similes, auris audiens diversa organa unisona, cognoscit sonos esse similes: sed similitudo est relatio mutua: ergo sensus percipiunt relationem, & sic poterit etiam dubium procedere de ente rationis fundato. Responde-

mus, quod similitudo formaliter est relatio, sed non fundamentaliter, quia fundamentaliter est convenientia in qualitate. Videt oculus parietes convenire in albedine, & quod unus est qualis alter. Hoc solum videt, sed hoc non est relatio, sed fundamentum relationis, & ordinis unius ad alium, quem solus noscit intellectus. ut docet D. Thomas laudatus ubi supra.

Est ergo dubium de ente ficto: & ratio dubitandi est: quia ens fictum fit ab intellectu per cognitionem falsam, & rei aliter ac est in se: sed sensus, & alia (de quibus postea) falluntur, & habent etiam cognitionem sensitivam falsam ac rei aliter est in se: ergo fingunt ens chimericum. Ut ergo clarius procedamus, pro sensibus externis, visu scilicet, auditu, gustu, odoratu, & tactu præsentem § instituiamus.

2. Vallius, & Arriaga af.

affirmant sensus externos facere ens rationis. Probatur 1. ex P. August. 13. de Trinit. cap. 12. docentem visum falli, (Cum in aqua remus, ut fractus videtur, & navigantibus turres moveri, & alia sexcenta, quæ aliter sunt, quam videntur.) Et lib. 2. Soliloquiorum cap. 6. idem observat in alijs sensibus, ut de echo relatè ad auditum, & de alijs, quæ ut nota omitimus, post quæ concludit: (Ergo apparet nos in omnibus sensibus, sive aequalibus, sive in deterioribus rebus, aut similitudine lenocinante falli, aut etiam, si non fallimur suspendentes consensionem, seu differentiam agnoscentes &c.) Ex quibus sic. Ens rationis fingitur dum res cognoscitur aliter, ac est in se: sed juxta P. August. visus, & alij sensus percipiunt objecta aliter, ac sunt in se, & idè falluntur: ergo formant ens rationis.

Confirmatur ex eodem S. P. lib. 22. de Civitate Dei cap. 7. docente visum videre tenebras, & auditum audire silentium: sed tenebræ, & silentium sunt privationes, quæ si percipiuntur, ut quid positivum, formatur ens rationis: ergo sensus &c.

Confirmatur 2. Visus, & alij sensus percipiunt univer-

sale: sed universale est ens rationis: ergo percipiunt, & consequenter possunt facere ens rationis. Probatur major, visus percipit colorem in cōmuni; auris sonum in cōmuni; gustus saporem &c. Sed color in cōmuni est universale: ergo. Probatur maj. Objectum potentia visiva non est color in particulari, aliàs non posset omnes colores attingere; unde est color in cōmuni: sed qualibet potentia potest percipere suum objectum: ergo.

1. Contraria sententia est omnium scholasticorum. Et probatur ex nostro Egidio à Villanova hic, quia ens rationis non habet esse à parte rei, sed merè objective in potentia attingente: sed sensus externi nequeunt attingere, nisi objectum, quod existit à parte rei: ergo non possunt attingere ens rationis. Probatur min. Quod non existit à parte rei, non potest sentiri: sed quod non potest sentiri, nequit attingi per sensus: ergo.

Confirmatur. Quod non est corporeum, & materiale, nequit sensibus percipi à materialibus, & corporeis: sed ens rationis non est materiale, & corporeum; quia caret omni esse subjectivo: ergo nequit percipi sensibus

no.

nostris externis, qui corporali, & materiales sunt.

Explicatur. Angelus spiritualis, & incorporeus, nequit nostris sensibus attingi quare nec videri, tangi, audiri, offerri, aut gustari potest: sed ens rationis habens objectivum esse tantum, minus quàm Angelus potest videri, tangi &c. ergo sensus externi nullum ens possunt formare, quod sit rationis, aut purè objectivum.

4. Pro solutione fundamenti contrarij nota duos primum est ens rationis ita habere tantum esse objectivum, ut repugnet existere à parte rei. Hoc esse tale nunquam sensus, etsi fallatur, attingit quia dum oculus in iride videt colores, qui non sunt, demus fallatur, non tamen videt id quod repugnat existere à parte rei, quia tales colores possunt existere ibi, aut alibi: ergo licet falsos tantum, & apparentes videat colores, non videt ens rationis, quia illi colores non habent purum esse objectivum, sed reale possibile.

Nota quòd visus, & auditus, & id certius est in visu, non videt objectum in se, sed media imagine, quæ vocatur species, & imago intentionalis, quæ ab objecto immittitur ad oculos, & ve-

nit per spacium medium aëris, vel alterius corporis diaphani, magis vel minus transparentis. Vel si visio fiat per emissionem radiorum visualium, ut approbat S. P. August. lib. de Quantitate animæ, tunc oculus emittit radios ad objectum per corpora diaphana intermedia, & sic medijs illis percipit illud. Hoc nota pro solutione P. Augustini ad instantiam de remo infrasto apparenti, quia medium in quo apparet submersus, non est ita diaphanus, & stabilis sicut aër, ubi apparet rectus, & non infractus: quare oculus, qui videt remum non in se, sed ut in medio diaphano. videt ut debet, licet videat diversa, quia media diversa sunt, & diversè representant.

5. His notatis, ad argumentum contrariæ sententiæ respondemus, & ad primum de remo, respondet S. P. lib. de Vera Relig. cap. 33. sic: (Si quis remum frangi in aqua, & cum inde aufertur integrari, non malum habet nuntium, sed malus est iudex.) En non errat oculus, sed intellectus: audi rationem, (Nam ille (idest oculus) pro sua natura non potuit aliè sentire, neque aliter debuit. Si enim aliud est aër (Ecce diversus medij) aliud aqua;

Cec

justum

justum est ut aliter in aqua, aliter in aëre sentiat. Quare oculus rectè videt, ad hoc enim factus est, ut tantùm videat, sed anima perversè judicat.) Idem dic de navigantibus videntibus turrim aliter in se per aërem; aliter in sua imagine intra aquam. Semper enim oculus videt quod est, & ut est: non ut est in se absolute, sed ut est in medio, aut specie per quam videt. Ex quo patet ad rationem ibi inductam.

Ad aliud respondemus cum S. P. Augustino oculum non videre tenebras positivè, sed remotivè, & negativè, quia non videt illas videndo, sed cessando videre. En verba S. P. loco nobis objecto in confirmatione prima (Cum enim acies oculi corporalis, currit per species corporales, nusquam tenebras videt, nisi ubi caperit non videre. Ita etiam non ad aliquem alium sensum, sed ad solas aures pertinet audire silentium; quod tamen nullo modo, nisi non audiendo sentitur.) Vt ergo formarent sensus ens rationis, oportebat quòd sentirent positivè has privationes, quod negat meritò P. N.

Ad secundam confirmationem, nego maj. ad probationem ejus, nego maj. ad e-

jus probationem dic, quòd objectum potentiae visivae est color in communi, sed non attingibilis sic in communi, quia ita attingitur à solo intellectu; sed est color in communi, ut attingibilis in singulari hoc, vel illo; & hoc modo nec est universale, nec ens rationis. Si dicas: Dum videmus hominem à longè, videmus eum esse coloratum, sed non videmus an albus, niger, aut fuscus sit: ergo videmus colorem in communi, & non in singulari. Respondemus in eo casu, videri confusè, & obscurè colorem in communi simul, & in particulari; nec unum sine alio videri posse; sed quia non videretur clarè; sed confusè; idèò visus non discernit, quis color sit in particulari.

## §. II.

*Defenditur communis sententia de cogitativa, & sensibus internis.*

6. **V**LTRA sensus externos cuique notos dantur alij interni, & illi sunt, *Sensus communis, existimativa, imaginativa, alio nomine phantasia, & memoria.* Horum mune-

ra sunt haec. Sensus communis est *qui percipit objecta omnium sensuum exteriorum, & inter ea distinguit.* Sic oculus videt colorem, auris audit sonum, sensus communis utrumque percipit, & cognoscit differentiam datam inter videre, & audire. Hoc sensu utimur in somnijs, dum cessantibus sensibus externis, putamus nos audire, videre, gustare, olfacere, & tangere. De hoc sensu communi dicit S. P. quòd in somnijs fallitur, & imagine inanissima: ita lib. 2. Soliloq. cap. 8. (Quid cū talia nos, vel olfacere, vel gustare, vel tangere somniamus, nonne similitudine imaginum eo deteriore, quo inaniore decipimur? Planè:) inquit:

Ex his verbis S. P. solvitur difficultas sequens. Sensus communis non potest esse in actu operandi, nisi sensus externi actu operentur: sed dum somniamus, sensus externi cessant ab operando; immò in quiete eorum, & cessatione ab operando consistit somnium: ergo in somnijs non operatur sensus communis. Solvitur haec instantia, quia in somnijs supplet *imaginativa* defectum sensuum externorum. Nam sensus externi adjuvant sensum communem immittendo ei species re-

runt sensibilibus, quas capiunt à rebus. In somnijs sensus externi non capiunt species nec immittunt sensui communi; at eas supplet imaginativa immittendo sensui communi imagines saporum, colorum &c. & quia haec imago fingitur ab imaginativa; idèò S. P. dicit sensum communem tunc falli *similitudine inaniore.*

Est ergo *Imaginativa* virtus, aut *sensus internus*, quo formamus imagines rerum corporearum. Iste sensus est superior ad sensum communem, quia objectum sensus communis est *sensibile praesens*: At objectum imaginativae est *sensibile absens*. Aliqui pro eodem sumunt imaginativam, & phantasia. Sed noster Villanova dicit, & bene, quòd phantasia est virtus superior ad imaginativam. Nam imaginativa juxta nostrum Aegidium deservit agilibus; sed phantasia speculabilibus.

Observa quòd aliae sunt imagines quas format phantasia, aliae quas format intellectus noster dum intelligit, & vocantur *species expressae* vel *notitiae* objecti cogniti. Ita S. P. Aug. lib. 1. Soliloq. cap. 20. ubi introducit quaestionem de distinctione utriusque imaginis dicens: (Sed illud saltem impetrem, ante

quam terminum istius voluminis statuas, ut quid intersit inter veram figuram, quæ intelligentia continetur, & eam, quam sibi fingit cogitatio, quæ græcè sive phantasia, sive phantasma dicitur, breviter exponas.) Sunt multa discrimina: nobis sufficiat, quòd imago facta ab intellectu est vera, & conformis objecto quoad essentialia; imago facta ab imaginativa est imago falsa, & apparenter talis; quæ solum repræsentat objectum quoad accidentia exteriora, putà quoad lineamenta, colorem, situm &c.

Explico hoc. Imaginativa tibi format imaginem canis, vel hominis, quoad externas qualitates, ut facit pictura. At hæc imago non repræsentat tibi animalitatem utriusque, nec rationalitatem hominis, & latrabilitatem canis. Ceterum species, & notitia producta ab intellectu est imago repræsentans essentiam hominis, canis &c. Quare imago hæc repræsentat *animal rationale*, quod non potest pictura, nec virtus imaginativa. Inde nascitur quòd pictura, & imagines phantasiæ vocantur figmenta. Species autem intellectuales dicuntur imagines veræ, quia in eis est essentia objecti re-

præsentati.

Tertius sensus istis superior, dicitur *æstimativa*, & quod in brutis sic dicitur, in hominibus vocatur *cogitativa*. Est *Virtus, aut sensus, quo percipimus intentionem insensatam*. V. g. amicitiam, inimicitiam, oppositionem, contrarietatem. Vocantur istæ intentiones *insensatæ*, quoniam per sensus non sentiuntur, licet orientur à sensibus externis, & in eis fundentur. Ovis cognoscit oppositionem, quam habet cum lupo; cognoscit etiam agnus matrem, & amicitiam, quæ intervenit: hoc noscunt bruta per æstimativam; homines etiam, sed in eis vocatur cogitativa.

Et quoniam species, quas sensus relati percipiunt, oportet servare; datur gazophilazium specierum, & sensus alter, qui dicitur *memoria*, servans omnes has species. An autem sit alia memoria, quæ est potentia animæ, servans species productas à solo intellectu, dicemus in libris de Anima. Pro nunc dic, esse memoriam intellectualem, distinctam à memoria sensitiva; discrimen est, quòd hæc est sensus materialis, illa potentia spiritualis. Munus potentia non est solum servare species sibi commif

missas, sed eas reddere dum petuntur, quæ actio reddendi est memorare. Munus memoriæ sensitivæ est recipere species sensitivas, & eas servare.

9. Supra sensus relatos datur intellectus agens, qui species materiales receptas per sensus, denudat à phantasmatis, & hoc est illas spiritualizare, quia phantasmata materialia sunt, & quasi quædam indumenta, quæ non possunt uniri animæ spirituali, ista sunt color, sapor, quantitas, singularitas, tempus, &c. Sic oculus videt Petrum singularem, juvenem album, existentem, præsentem &c. Intra per oculos species sic vestita singularitate, tempore, albedine &c. ista sunt phantasmata, & indumenta materialia, quæ non possunt uniri intellectui passibili. Ob hæc intellectus agens est potentia deserviens ad hoc, ut denudet speciem illam ab eis phantasmatis, & sic denudatam, & spiritualizatam uniat intellectui passibili, qui solum intelligit.

Nunc veniunt tres potentia speciales animæ, & sunt portio hominis superior, & rationalis. Prima est intellectus passibilis, qua omnia cognoscimus sub ratione veri. Ad istam sequitur volun-

tas, quæ est potentia appetitiva boni. Tertia est memoria intellectualis, jam explicata. His notatis. Aliquid docent phantasiam efformare entia rationis. Ita Rubius, Arriaga, Mericero, & alij. Hoc probant ex D. Thoma 1. p. quæst. 2. art. 1. ad secundum, ubi ait, quòd imaginativa ex præconceptis speciebus montis, & auri, format montem aureum; idem docet N. Egidius in 1. dist. 36. sed mons aureus est ens rationis fictum: ergo imaginativa format ens rationis.

Confirmatur. Bruta formant ens rationis: sed non per intellectum, quem non habent: ergo per æstimativam, aut alium sensum ex internis numeratis. Probatur major. Ovis videns hominem lapina veste contactum, credit lupum: sed apprehendere hominem, ut lupum, est facere ens rationis: ergo bruta &c.

Confirmatur. Bruta sæpè falluntur, ut canis latrans post umbram, quam putat latronem; passeres venientes ad uvas pictas, si antiquis historiographis adhibenda sit fides in commendationem eximij pictoris: sed talia apprehendere est ens rationis: ergo idem.

Confirmatur 3. ex dictis num.

num. 6. Nam in somnijs putamus comedere, bibere, tangere, olfacere &c per sensum communem: sed hoc est sentire id quod non est, ac si esset: ergo sensus communis facit ens rationis, & consequenter non solus intellectus.

11. Contraria sententia est communis, quam amplectimur cum nostro Villanova, & probatur breviter. Ens rationis fictum, de quo in præfati, est ens purè objectivum impotens existere à parte rei, quare dicitur realiter impossibile: sed nullus sensus ex relatis potest attingere ens, quod sit impotens existere à parte rei: ergo nullus potest formare entia rationis. Probatur min. Nam sensus relati, quantumcumque fallantur, semper attingunt aliquid, quod licet actu non existat, potest tamen existere, & à Deo produci: sed id quod potest existere, licet non existat actu, non est ens rationis, sed ens reale possibile: ergo &c.

12. Ad argumenta in contrarium dicimus cum DD. nostræ sententiæ, quod imaginativa format speciem montis aurei quoad externos colores montis, & auri: jam verò colores montis aurei non sunt impossibiles, patet enim quod possant depingi; imò & à Deo realiter produci.

Addit Villanova quod D. Thomas, & N. Egidius non dicunt quod imaginativa fingit, sed quod *format* speciem illam; quia cum species illa solum representet adunatos colores, & lineamenta montis & auri unita; non representat aliquid impossibile. Unde non representat ens rationis. Dicitur mons aureus ens rationis relatè ad intellectum, qui fingit identitatem utriusque naturæ montis, & auri; & hæc identitas est impossibilis.

Ad primam confirmationem dic bruti posse falli, sed non posse facere ens rationis; possunt falli, putando quod non est, ut in exemplis datis: sed non possunt facere ens rationis, quia non possunt concipere aliquid, quod sit impossibile à parte rei. Constat exemplo arguentis. Nam ovis videns hominem lupina pelle contextum, fallitur at non concipit impossibile, quia concipit sub illa pelle esse lupum, & hoc est possibile. Non enim ovis concipit hominem identificari cum lupo, aut quid simile, quia nec cogitat de homine in casa posito timens lupum.

Idem dic ad secundam confirmationem: Concipit canis furem ubi videt umbram; fallitur, sed non concipit impos-

pos.

possibile, quia possibile est furem ibi existere, quod est satis, ut fallatur, sed non ut fingat ens rationis. Idem dic, dum canes videndo lunam latrant. Audivi hac experientia, quosdam sibi persuadere, aliquos esse montes in concavo lunæ, ubi inter nemora pascunt lepores, cuniculi, & alia, quæ videntur à canibus, & ob id latrant. At facilius concederem canes esse formare entia rationis, quam tales montes, lepores, & cuniculos in tali distantia sine telescopio percipere. Latrant videndo lunam, sicut dum umbram sibi adversam concipiunt, & utrobique falluntur. Idem dic ad aliud de passeribus.

Ad tertiam confirmationem dic primò sensum communem somniando nil percipere impossibile; nam ibi numerata possibilia sunt, & sic non sunt ens rationis. Dic secundò quod licet sensus communis somniando non percipiat veros sapes, olores &c. percipit tamen imagines objectorum sensibilium absentium, sibi ministratas ab imaginativa, ut diximus ex P. Augustino num. 6. Quare sensus ille percipit objectum, quod est; non quod est in se realiter, sed quod est in imagine intentionaliter. Quare

nullum format ens rationis.

*Defenditur sententia communis de voluntate.*

13. **R**estat voluntas (nam de intellectu possibile, & memoria non est ratio dubitandi) de qua Scotus cum sua Schola, & alij pauci tenent formare entia rationis. Probatur primò, voluntas ordinat unum ad aliud ad quod non dicitur ordinem: ergo format relationem rationis. Patet consequentia, quia ordo, qui non datur, non est realis, & sic est rationis. Antecedens probatur, tum quia voluntas est potentia comparativa, sicut intellectus. Tum quia dum voluntas peccat, ponit affectivè ultimam finem in creatura: sed sic ponendo, ordinat Deum ad creaturam, ut ad finem ultimum; cum tamè Deus ad creaturam non ordinetur re, sed potius è contra: ergo.

Confirmatur. Voluntas amat ut bonum, quod in se bonum non est: ergo nedum fallitur, ut dicebamus de sensibus, sed facit ens rationis. Probatur consequentia. Nam bonum apparens, quod amat voluntas



tas peccans, nec in se est bonum, nec potest esse bonum; unde est quid impossibile esse tale: ergo est quid merè objectivè tale; & sic est ens rationis.

Confirmatur. 1. Dum voluntas peccans amat creaturam, ut ultimam finem, amat quod non est finis ultimus, nec potest esse, quia solus Deus est, & potest esse ultimus creaturæ finis: ergo amat aliquod impossibile, quod solum habet esse objectivum in potentia volitiva. Tale est ens rationis.

Confirmatur tertio: Sæpè voluntas amat impossibile v. g. hominem esse Angelum: ergo tunc objectum desideratum solum habet esse objectivum in potentia volitiva. Tandem. Ideò intellectus facit ens rationis, quia potest percipere non ens ad modum entis: sed etiam voluntas: ergo voluntas facit ens rationis. Probatür minor. Dum voluntas peccat, tendit in nihil, ac si esset aliquid; imò amans peccata, amat nihil, quia peccatum nihil est, de quo Ioannis 1. dicitur *Sine ipso factum est nihil*, id est peccatum ait S. P. Augustinus.

Hæc ultima confirmatio sumitur ex S. P. Augustino libro unico Soliloquiorum c. 5. ubi ait: (Malum igitur ni-

hil est, quia factum non est. Sed qualiter malum est, si factum non est? Quia malum privatio boni est, per quod factum bonum est. Esse ergo sine Verbo malum est, quod esse non est, quia sine ipso nihil est. Sed quid est separari à Verbo? Si hoc queris scire, audi quid est Verbum. Verbum Dei dicit, ego sum via, veritas, & vita. Separari ergo à Verbo, est esse sine via, sine veritate, sine vita: & ideò sine ipso nihil, & ideò malum, quia separatur à Verbo, per quod facta sunt omnia valde bona. Separari autem à Verbo, per quod omnia facta sunt, nihil aliud est, quàm deficere, & à facto transire in defectum, quia si ne ipso est nihil. Quoties ergo à bono devias, à Verbo te separas, quia ipsum est bonum: & ideò nihil efficietis, quia sine Verbo es, sine quo factum est nihil.

14. Contraria sententia est communissima inter DD. cum quibus dicimus quòd voluntas nullum format ens rationis, nec argumenta facta aliud probant, nisi quòd intellectus regulans voluntatē defectuosè, facit ens rationis ei proponēdo non ens ac si esset ens impossibile, ut possibile bonum apparens, ac si esset verum, finem ultimum qui

qui finis non est, sed medium. Quamobrem sicut (nihil volitum, quin præcognitum. Ita nequit esse defectus in voluntate, quin præcedat error vel inconsideratio in intellectu.) Quare impossibilia, quæ voluntas prosequitur in casibus argumenti, non formantur à voluntate, sed supponuntur formata ab intellectu, cujus iudicium defectuosum, voluntati insinuatam, causat defectum voluntatis.

Probatür ergo & primò ex P. Augustino loco laudato, ubi post verba nobis objecta, incipit sic capere seq. confessionem suam Deo. (Cum igitur fui, sine te non fui, sed nihil fui & ideò cæcus eram, surdus, & insensibilis (attende causam tam miserabilis status peccati) quia nec bonum discernēbam, nec malum fugiebam, nec dolorem vulnèrum sentiebam, nec tenebras meas videbam, quia eram sine te vera luce, quæ illuminat omnem hominem venientem in hanc mundum.) En unde nascitur deordinatio voluntatis peccatricis, ab intellectu non discernente, scilicet inter bonum, & malum; & proponente ut bonum, quod non est, nec potest esse; ut finem quod finis non est ut medium quod non est medium, ut possibile, quod est impos-

sibile. Ergo omnia ista entia rationis, quæ comitantur peccatum, & defectum voluntatis, non fiunt à voluntate, sed præsupponuntur facta ab intellectu, & sic facta voluntati proponuntur prosequenda.

Ex his probatur urgentissima ratio sententia nostra. Nam voluntas nullum ens rationis attingit quod non supponat factum ab intellectu: sed quod jam est factum, non potest fieri, quia fieri est transire de non esse ad esse; & quod factum est, jam est, & non potest transire de non esse ad esse: ergo nullum est ens rationis, quod fiat à voluntate. Major probatur. Nullum est ens rationis, aut impossibile attractum à voluntate, quod prius non existat objectivè in intellectu: sed quod existit objectivè in intellectu, supponitur factum ab intellectu: ergo. Probatür major. Nihil est volitum à voluntate, quod non supponatur præcognitum ab intellectu: sed quod supponitur præcognitum ab intellectu, supponitur objectivè existens in intellectu: ergo &c. Minor cum consequentia tenet, & major est commune axioma, scilicet *Nihil volitum quin præcognitum*. Et est doctrina expressa S. P. Augustini lib. 1. de Trin. cap. 2. *Nullus itaque amat in-*

*cognita.* Et cap. 1. dixerat: *Quod quisque prorsus ignorat, amare nullo modo potest.* Ob id voluntas dicitur potentia cæca, quæ sequitur ductum intellectus, qui juxta S. P. est *oculus anime.*

13. Hinc facilè solvuntur fundamēta contraria, posita num. 13. Ad primum dicimus talem ordinem, quæ voluntas peccās ponit in Deo, ipsum ordinando ad creaturam, non effici à voluntate, sed supponi factum ab intellectu; nam taliter voluntas tendit in Deum, & creaturam, qualiter ab intellectu proponitur Deus: at Deus ultimus finis in re, falsò, & erroneè apprehenditur ab intellectu ut medium ordinatum ad creaturam, quam falsò etiam apprehendit ut finem: ergo ordo iste rationis fictus, fit ab actu intellectus falso, & erroneo; non autem à voluntate.

Ad primam confirmationem idem dic. Bonum, quod non est in re bonum, sed apparenter, fingitur ab intellectu, & notificatur voluntati: quare illud esse purè objectivum boni apparentis non fit à voluntate, sed supponitur fictum ab intellectu, ubi præsupponitur objectivè existēs, ut probatum est. Ad secundam confirmationem patet


ex prima solutione. Ad tertiam dic, quòd impossibile amatum à voluntate, fingitur possibile ab intellectu, & sic proponitur voluntati. Cujus signū est, quòd si intellectus cognosceret prætice impossibile; ut impossibile nunquam posset amari, & optari à voluntate. Ergo tota fictio datur in apprehensione intellectus, qui nedum obcæcatus fallitur, verum decipit voluntatem, & fit illud satis dolendum, quòd cæcus cæco ducatum præstat, & ambo incidunt in foveam.

Ad ultimam confirmationem patet ex dictis: voluntas peccans nihil fit, & in nihilum tendit, & habet posse peccare, quia ex nihilo facta est; nam ideò potest tendere in nihilum, quia facta est ex nihilo: & dum amat ut finem quod non est Deus, amat nihil, & fit nihil, ut vidimus ex S. P. Ceterum, quòd *nihil* possit amari à voluntate ut aliquid, venit ab intellectu proponente nihil ut ens; malum, ut bonum &c. Quare ens fictum, ibi interveniens, non à voluntate, sed ab intellectu formatur; sicut ab intellectu incipit defectus voluntatis. Hinc percipies quo sensu Regius vates dixerit Deo *Intellectum da mihi, & vitam.* Quia scilicet peccatum, quod est

est mors animæ, à voluntate est; sed oritur ex defectu intellectus, qui dum rectè non judicat, intellectus non est. (Homo cum in honore esset (intellige Adamum in Paradiso) non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis,) peccando, & nollendo intelligere, ut benè ageret.

Ex dictis in tota q. ista

constat, quòd solus intellectus potest facere ens rationis; & licet Caramuel cum aliquibus id negaverit intellectui, & concesserit linguæ; ipsum satis improbabimus q. 1. hujus lib. num. 11. Quare id solùm disquirere restat; an scilicet Deus faciat entia rationis? Et obiter aliquid de Angelis dicemus etiam. Pro quo sit.



## QUÆSTIO SEPTIMA.

*An Divinus intellectus formet entia rationis?*

§. I.

*Supponitur, & simul probatur Deum omnia entia rationis cognoscere.*

I. Citantur Vazquez, Alarcon, & Caramuel, negantes Deum cognoscere entia rationis. Quorum præcipuum fundamentum est: Deus ea solùm cognoscit quorum habet ideam: sed Deus non habet ideam entis rationis: ergo non cognoscit illud. Major est certa præcipuè in principijs S. P. N. Augustini & nostri Fundatiss. Doct. Nam ex objectis extra Deum, nihil à Deo cognosci-

tur, nisi in Divinis ideis, ubi omnia creata, & creabilia representantur. Minor probatur. Deus solùm habet ideam eorum, quæ sunt ab ipso factibilia: sed ens rationis non est à Deo factibile: ergo &c.

Et confirmatur. Cognitio entis rationis non dicit perfectionem, sed imperfectionem: sed imperfectio in Deo admittenda non est: ergo nec talis cognitio. Probatur major. Cognitio entis rationis

est cognitio entis quod non est ac si esset: sed hæc cognitio dicit imperfectionem, repugnantem intellectui Divino, omnia cognoscēti, ut sunt in se: ergo &c.

Confirmatur secundò. Cognitio entis rationis, vel fit per assensum; & sic est falsa, & Deo repugnans. Vel fit per dissensum; & sic potius est nescientia, quàm scientia, sed nescientia nequit poni in Deo omniscio: ergo nec cognitio entis rationis. Minor cum consequentia tenet, & major est expressa in P. Augustino lib. 12. de Civit. Dei cap. 7. ubi dicit privationes cognitæ per dissensum in speciei privatione, disci nesciendo: (Sic species (ait) intelligibiles mens quidem nostra intelligendo conspicit; sed ubi deficiunt, nesciendo condiscit.)

Confirmatur tertio. Si Deus cognosceret entia rationis, ea faceret: sed Deus non facit illa: ergo nec cognoscit. De minori infra, nunc probatur maj. Facere ens rationis est dare ei esse objectivum in intellectu: sed Deus cognoscens entia rationis, daret eis esse objectivum, cum objectivè forent in intellectu divino cognoscente: ergo.

Imò sequeretur non facere nos entia rationis, sed

*De Ente rationis.*

omnia esse facta ab intellectu Divino. Probatum sequela. Si Deus cognosceret entia rationis, hæc cognosceret ab æterno, antequam ullus existeret intellectus creatus; itè cognosceret omnia. Primum patet, quia scientia Dei est æterna, & nequit cognoscere in tempore quod ab æterno non cognoverit; alioquin variaretur immutabilis scientia Dei, quod repugnat: ergo omnia ab æterno cognosceret. Iam verò quod cognosceret omnia patet; quia non est major ratio de uno ente rationis, ac de omnibus.

Nunc sic. Sed cognoscendo ab æterno omnia entia rationis, daret eis esse objectivum ab æterno, & sic produceret omnia: ergo solus Deus faceret ens rationis, & ab æterno; creatura autem temporalis omnia inveniret facta, & sic nullum faceret.

Contraria sententia est communis, & reputatur certissima contra Vazquium, qui ab omnibus ferè derelinquitur. Probatum primo ex illo Sapientia 8. (Scit veritates sermonum, & dissolutiones argumentorum; signa, & monstra scit, antequam fiant.) Et Deus scit dissolutiones nostras; scit dissolutiones nostrorum argumentorum; ergo scit omnia argumenta, quæ in

hoc

hoc libro cõgessimus, & omnes solutiones eorum. At argumenta hujus libri de omni ente rationis sunt: ergo Deus noscitur omne ens rationis. Rursus scit Deus signa nostras; ergo scit signatum nostrorum signorum. Sed hoc libro visi sumus verbis signantibus omnè ens rationis: ergo cognoscit Deus omne ens rationis à nobis signatum.

Id etiam satis insinuat à Regio vate dicente Psal. 93. (*Dominus scit cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt.*) Sed entia fictitia fiunt ab intellectu nostro cogitatione vana; & idè intellectus noster talia cogitans vanus, & cassus est juxta nostrum Egidium: ergo Deus noscens comprehensivè nostras vanas cogitationes, & quoniam vanæ sunt, noscitur à nobis ficta. Ob id meritò D. Thomas 1. p. quæst. 14. art. 5. dicit, *Quæcumque sunt in potentia creaturæ, sive operandi, sive imaginandi, sive quocumque modo significandi, cognoscit Deus.* Cognoscit ergo Deus veras mendacia, Deus justus peccata, Deus infallibilis fallacias: ergo Deus realis, & verus, entia rationis, & figmenta.

Probatum à ratione, desumpta ex P. Angustino lib. 2. de doctrina Christ. cap. 25.

ubi ait: (Ipsum falsum diffinitur cum dicimus falsum esse significationem rei, non ita se habentis ut significatur, sive aliquo alio modo, quæ diffinitio vera est, quamvis falsum verum esse non possit.) Ergo & ens rationis diffinitur cum dicimus, *Ens rationis habet tantum esse objectivum in intellectu*, quæ diffinitio vera est, licet ens rationis fictum, verum ens esse non possit. Consequentia eisdem terminis constat, ac antecedens Augustinianū. Nunc sic. Sed Deus infinitus in cognoscendo, & incapax ignorantia ab intrinseco, debet cognoscere omnem veritatem. Ergo debet cognoscere diffinitiones veras falsi, & entis rationis. Sed nequit cognosci diffinitio, nisi cognoscatur diffinitum; immò diffinitio est explicatio essentia diffiniti: ergo implicat Deum non cognoscere falsitates, & entia rationis.

Confirmatur. Deus cognoscit comprehensivè cogitationes nostras: sed nequit actio comprehendi, nisi cognoscatur etiam terminus, & objectum ejus: ergo cum cogitationes nostræ habeant pro objecto ut plurimum ens rationis, & figmenta dum vanè cogitamus, Deus illa cognoscit.

Nec

33. Nec urgent motiva contraria. Nam primum probat Deum non cognoscere peccata; nam cum Deus solū habeat ideam factibiliū, & peccatum non sit factibile à Deo; non est in Deo idea peccatis; & sic ab eo non cognoscetur, quod est contra fidem. Quomodo enim si nescit peccata, iudicat, & punit ea? Solvitur instantia, & argumentum ex doctrina nostri Aegidij in 1. Sentent. dist. 36. quæst. 1. art. 4. ubi dicit Deum non habere ideam peccatorum, & privationum. At cognoscere illa in speciei privatione, ut explicavimus ex P. Augustino quæst. 3. hujus libri. Quare per ideam gratiæ; à qua discordat peccatum, cognoscit peccata; & per ideam visus, quo privat cæcitas, cognoscit cæcitatē. Sic dicendum cognoscere ens rationis per ideam entis realis, quo privat ens fictum.

Ad primam confirmationem observa, quod DD. illius sententiæ non discernūt inter cognitionem speculativam entis rationis, & practicam, & idē negant utrumque: sententia communis, quā sequimur, distinguit, & dicit practicam esse imperfectam, quam negat Deo; secus speculativam. In forma sub distinctione ista, nego maj.

Ad probationem dic, quod cognitio practica entis rationis, est cognitio entis quod non est ac si esset: secus speculativa quia speculativa supponit ens rationis jam factū, & dum illud sic cognoscit, cognoscit id quod est: non id quod est realiter, quia sic non existit ens rationis, sed id quod est purè objectivè, & ut est objectivè tantum per fictionem intellectus creati.

Ad secundam rationem respondeo, quod nescientia dupliciter sumi potest, vel *passivè*, quia nihil datur quod sit scibile: vel *activè*, quia licet datur scibile, deficit virtus cognoscitiva. Hoc secundo modo est imperfectio, & Deo repugnat; quia repugnat quod deficiat Deo virtus cognoscitiva alicujus entis. Sed primo modo non est imperfectio Dei, sed nihili, quod non est cognoscibile. Sic impotentia *activè* sumpta est defectus potentia, & hic repugnat Deo; sed impotentia *passivè* accepta non infert imperfectionem in Deo, sed in objecto impossibili, quod ex se habet non posse produci. Hinc dicimus Deum cognoscere entia ficta per diffensum, & in speciei privatione: sed inde solū inferatur nescientia *passivè* accep-

ta; & hæc non repugnat Deo, sicut nec impotentia producendi impossibilia, quia tota impotentia est passiva, & ex parte termini, non ex parte virtutis.

Ad tertiam, & quartam confirmationem respondet P. Izquierdo in Pharo concedendo sequelas, & dicit creaturam nullum facere ens rationis, sed supponere omnia facta à Deo ab æterno. Hoc asertum, veluti paradoxum refertur à reliquis, & irridetur potius, quam impugnatur. Respondemus cum communi doctrina Deum ab æterno cognoscere *speculativè* omnia entia rationis, nec posse in tempore aliquid de novo cognoscere ob rationem in confirmatione datam. Non autem cognoscit *practicè* entia rationis. Ut ergo illa formaret, debebat practicè cognoscere; nec existentia entis rationis consistit in quocumque esse objectivo, sed in esse objectivo intellectui practico. Et probatur. Nam dum cognoscimus ens rationis ab alio factum, non facimus illud: & tamen illud habet esse objectivum in intellectu nostro, speculativè cognoscēte: ergo pro fieri entis rationis non sufficit habere esse objectivum in intellectu speculativo, sed in intellectu

practico. De hoc iterum in seqq.

## §. I I.

Sententia referuntur, & suis fundamentis comprobantur.

4. CIRCA præcipuam difficultatem tres possumus distinguere sententias, quarum prima negat de omni ente rationis posse fieri à Deo. Ita omnes moderni Thomista, quos sequitur Godoy tom. 2. in 1. partem quæst. 15. disp. 44. per totam. Pro eadem citantur Patres Suarez, & Vazquez, & alij pauci Societatis.

Probatur 1. ex D. Thoma opusc. 42. cap. 1. ubi docet, *Tunc efficit ens rationis, quanto intellectus noster nititur apprehendere quod non est, & illud fingit ac si esset ens.* Addit Godoy hanc propositionem D. Thomæ esse doctrinalem, quare sensus est, quod omne ens rationis non fit, nisi fictione, qua fingitur id quod non est, ac si esset: sed Deus non potest fingere, ut patet; nec cognoscere rem aliter, ac est, nec id quod non est, ac si esset; ergo juxta D. Thomam Deus nullum ens rationis formare potest.

**Confirmatur 1.** Nullum est ens rationis, quod non habeat esse fictum: sed Deus non potest facere ens fictum: ergo, nec ullum ens rationis. Major patet, quia nullum est ens rationis, quod non sit adæquatè distinctum ab omni possibili: sed quod est impossibile habet esse fictum, si concipitur habens esse: ergo nullum est &c. Minor principalis probatur, quia ens fictum nequit fieri, nisi per actionem fingentem: sed actio fingens repugnat Deo: ergo.

**Confirmatur 2.** Ut fiat ens rationis, debet dari cognitio rei aliter, ac est in se: sed Deo cognoscenti res ut sunt in se, repugnat cognoscere res aliter ac sunt in se: ergo repugnat cognitio factiva entis rationis. Minor est certa, & major probatur. Quia cognitio attingens res, ut sunt in se, nullum facit ens rationis: ergo ut fiat &c.

**3.** Secundò probatur eadem sententia de aliquibus entibus rationis, quæ speciali repugnantia non possunt fieri à Deo. Nam primò entia rationis chimerica, ut *Mons aureus, hircocerbus &c.* habent esse fictum, consistēs in identitate ficta entitatū realium distinctarum: sed hæc identitas fit ab intellectu per cognitionem falsam, qua cō-

cipit ut identificata, quæ sunt realiter distincta: ergo cum repugnet Deo omnis cognitio falsa, repugnat ipsi facere talia entia chimerica.

**Confirmatur de distinctione rationis fundata, quæ repugnat etiam fieri à Deo.** Nam juxta D. Thomam 1. Sentent. dist. 1. quæst. 1. art. 3. & . ad Anibaldum dist. 2. quæst. 1. art. ubi, ut probet S. Doct. distinctionem rationis attributorum non fieri à Deo, hanc propositionem assumit. (Propter perfectionem naturæ Divinæ, & imperfectionem intellectus creati, quod in Deo est per modum simplicitatis, & unitatis, concipitur ab intellectu per modum diversitatis, & multiplicatis.) Ecce fundamentum distinctionis rationis in Divinis non est sola eminentia Divinæ naturæ, quæ una & simplex æquivalet multis perfectionibus creatis, sed etiam est imperfectio nostri intellectus, non potentis unico actu cognoscere illam perfectionem simplicem Dei: sed imperfectio repugnat Deo qui unica cognitione se comprehendit: ergo Deo repugnat facere distinctionem rationis inter attributa sua, & essentiam.

**Confirmatur 1.** Privationes, & negationes non fiunt

en

entia rationis, nisi concipiendo eas per assensum ad modum entis positivi: sed hoc Deo repugnat: ergo talia entia rationis non possunt fieri à Deo. Major patet ex dictis quæst. 3. minor probatur: concipere cæcitatem ut quid positivum per assensum, est assentiri, & affirmare cæcitatem esse quid positivum: sed actus ille est falsus, & sic repugnans Deo, qui est per essentiam prima veritas: ergo.

**6.** Tertiò probatur eadem sententia de omni ente rationis. Omne ens rationis consistit vel in eo quod nihil accipitur ut ens; vel distinguuntur quæ non sunt distincta; vel identificantur, quæ non sunt identificata, vel referuntur quæ relata non sunt: sed Deo repugnant omnia ista: ergo Deo repugnat facere omne ens rationis. Probatur min. Deo repugnat omnis falsitas: sed omnia relata arguerent in Deo falsitatem, si darentur: ergo. Probatur min. In Deo non datur simplex apprehensio, ut in nobis, quia dicit imperfectionem, quare solum datur judicium: sed judicare quod nihil est ens; quod distinguuntur quæ sunt identificata, vel è contra, quod sunt relata, quæ relata non sunt, est judicium

falsum, & falsitas formalis: ergo &c.

**Confirmatur 1.** Si Deus aliquod ens rationis formaret, maximè respectus ideales, quibus complentur, & multiplicantur ideæ: sed istos non format: ergo nullum ens rationis efformat. Probatur minor primò. Quia Deus cognoscit essentiam Divinam ut est in se imitabilis à creaturis; qualiter habet rationem ideæ: sed essentia Divina ut est in se sic imitabilis, non dicit, nec habet in se relationem ullam realem, aut rationem ad creaturas: ergo Deus illam sic cognoscens, non format respectus rationis, qui dicuntur ideales.

Secundò probatur min. Deus juxta D. Thomam supra allegatum num. 3. non facit distinctionem rationis inter Divina attributa: sed si formaret respectus ideales, formaret distinctionem etiã rationis inter Divinas ideæ: ergo ne istam faciat, negandum est facere respectus ideales. Probatur maj. quia facere respectus ideales est cognoscere ideam hominis non esse ideam equi; & diverso modo essentiam Divinam comparari ad hominem, ac comparari ad equum: sed hoc est distinguere per rationem inter Divinas ideæ: ergo.

Ecc

Ter-

Tertio probatur min. Si Deus faceret respectus illos, vel faceret per diversas cognitiones, vel per eandem. Non primum, quia hoc est imperfectio nostri intellectus, & Deo repugnat, qui unico actu se comprehendit. Non etiam secundum, quia sicut distinctio rationis inter ideas, petit illas cognosci diversis cognitionibus, ita diversi & multiplices respectus rationis, petunt diversas cognitiones: ergo nullo modo Deus facit respectus ideales.

Quarto probatur min. Si Deus faceret tales respectus, illos faceret necessario, & non liberè: sed implicat illos fieri necessario: ergo & fieri. Major patet, quia fierent per cognitionem, qua Deus cognoscit essentiam suam diversimodè imitabilem à creaturis; hæc cognitio necessaria est in Deo, & antecedit, sicut ejus objectum, omnem actum liberum Divinæ voluntatis. Min. probatur. Si tales respectus fierent necessario, existerent necessario; immò & tam necessario sicut Deus: ergo cum hoc sit implicatorium, implicat &c. Probatur antecedens. Tales respectus existerent per cognitionem tam necessariam, quam est ipse Deus, cum quo cognitio identificatur: ergo &c.

Quinto probatur min. Vel Deus faceret tales respectus, quia ad id necessitatur semel quòd cognoscat ideas creaturarum; vel quia liberè vult illos formare: sed totum repugnat: ergo illos non format. Probatur min. Et quoad primam partem sic. Ut essentia Divina in se sit idea, non indiget illis respectibus, sed satis est, quòd terminet diversas relationes reales possibili creaturarum: ergo ut cognoscatur à Deo, ut idea, non necessitatur formare tales respectus. Patet consequentia, primò, quia Deus non necessitatur cognoscere nisi quod est, & modo quo est: ergo si idea in se, ut sit idea, non indiget illis respectibus, non necessitatur Deus illos formare, & cognoscere. Secundò, quia quod sufficit ad esse ideæ, sufficit ad cognosci, maximè quando cognoscens, omnia noscit ut sunt in se: ergo si ut idea sit idea sufficit terminare diversas relationes reales &c.

Quoad secundam partem probatur hæc min. Quidquid Deus format liberè, cadit sub providentia Dei; liberè dat esse aliquod; esse quod est libera participatio esse Dei, liberè item amatur à Deo, & alia, quæ plenè repugnant enti rationis: ergo liberè non fiunt

fiunt à Deo tales respectus ideales. Rursus. Si fierent à Deo liberè, non fierent cum fundamento necessitante, sed vel sine fundamento, vel cum fundamento non repugnante: sed repugnat fieri à Deo ens rationis sine fundamento, quia redderetur vanus intellectus Divinus; item implicat fieri cum fundamento non repugnante; quia tale fundamentum solum est tale relatè ad intellectum creaturæ potentialem juxta nostrum *Ægidium* in 1. dist. 30. ergo &c.

7. Secunda sententia per oppositum docet omne ens rationis fieri à Deo. Ita ex antiquis docere videtur Scotus in 1. Sent. dist. 36. quæst. 1. Durandus in 1. dist. 2. Molina in p. quæst. 11. art. 8. disp. 3. Hos citat, & sequitur N. *Ægidius Lusitanus* tom. 1. de Beatitud. lib. 5. quæst. 6. art. 10. §. 7. citans alios ex nostris, quos repetit, & sequitur N. Villanova disp. 2. dub. 6. ubi tenet Deum omnia facere, solis exceptis secundis intentionibus logicis, & distinctione rationis. Observa hanc sententiam dupliciter defendi, vel dicendo quòd Deus se solo sine ullo respectu ad creaturam ea facit, & hoc docent AA. relati, vel quòd ea facit cogno-

scendo ea esse facta, vel factibilia ab intellectu creato; & ita id defendunt Arrubal, Salabranca, & alij.

Probatur 1. hæc sententia. Qui dat enti rationis esse objectivum, facit ens rationis: sed Deus dat omni enti rationis esse objectivum: ergo facit omne ens rationis. Major patet. Quia facere est dare esse; esse autem entis rationis est esse objectivum. Min. probatur. Dare esse objectivum enti rationis, est illud cognoscere: sed Deus cognoscit omne ens rationis: ergo dat omni &c.

Confirmatur. Implicat, quòd Deus cognoscat ens rationis, quin ens rationis habeat esse objectivum in intellectu Divino: sed hoc esse objectivum non datur ab alio intellectu, quam à Divino: ergo intellectus Divinus format omne ens rationis, quòd cognoscit. Major est certa; nam quod cognoscitur obijcitur, & sic habet esse objectivum in intellectu, à quo cognoscitur. Minor probatur. Intellectus creatus non potest dare enti rationis esse objectivum in intellectu Divino: ergo hoc esse &c. Probatur antecedens. Intellectus creatus non dat enti rationis actu cognosci ab intellectu Divino; id enim datur à solo

intellectu cognoscente : sed esse objectivum in intellectu Divino est actu obijci intellectui Divino : ergo &c.

Confirmatur 2. Deus ab æterno cognoscit ens rationis : sed ab æterno non cognoscit ens rationis factum à creatura ; cum ab æterno nulla sit creatura faciens ens rationis : ergo cognoscit ab æterno ens rationis factum ab ipso , & sic facit ens rationis. Explicatur. Vel ab æterno cognoscit Deus ens rationis quod est ab æterno, vel ens quod erit in tempore , cognoscit illud, ut futurum. Si primū? Ergo cum ab æterno non sit creatura faciens illud, ens rationis, quod est ab æterno, est factum à Deo. Si secundū? Ergo Deus cognoscit ab æterno ens rationis, ut futurum, & in tempore cognoscit illud , ut existens. Hac consequentia est falsa : ergo & antecedens , ex quo sequitur. Probatur falsitas consequentia. Quia cognitio entis futuri est abstractiva, & rei absentis ; cognitio entis presentis, & existentis est cognitio intuitiva : sed cognitio Dei est invariabilis, nec potest transire de abstractiva in intuitivam : ergo Deus non cognoscit ab æterno ens rationis, ut futurum , & in tempore, ut existens.

Confirmatur 3. Deus ab æterno cognoscens ens rationis, dat illi saltem denominationem extrinsecam cogniti : sed hæc cadit supra aliud quod esse intrinsecū entis rationis , quod non potest ab æterno dari, nisi ab intellectu Divino : ergo intellectus Divinus dat esse intrinsecum omni enti rationis ; hoc & nil aliud est facere ens rationis, ut patet. Minor probatur. Quia quod est *nihil*, non potest suscipere denominationem cogniti ; nihil enim potest cognosci, nisi sit prius cognoscibile ; & *nihil* non est cognoscibile, quia cognoscibilitas est passio entis, non autem est passio *nibili* : ergo ens rationis ab æterno habet aliquod esse intrinsecum, supra quod cadit denominatio cogniti à Deo. Sed hoc esse intrinsecum non habet ens rationis factum à creatura, quia nulla est ab æterno : ergo.

8. Probatur secundò eadem sententia. Ideò Deus non faceret entia rationis, quia eorum factio dicit imperfectionem. Deo repugnantem : sed facere ens rationis nullam talem imperfectionem dicit : ergo facit. Probatur min. 1. Deus sine ulla imperfectione producit entia realia quantumcumque imperfecta

cta : ergo & poterit producere entia rationis. Probatur cōsequētia ; idè potest primū, quia tota imperfectio se tenet ex parte termini producti, nō autem ex parte producentis : sed etiam in productione entis rationis tota imperfectio se tenet ex parte entis rationis producti : ergo sicut potest Deus primum, poterit secundum.

Secundò. Producere ens rationis sicut petit produci, nullam dicit imperfectionem ex parte producentis, sed ex parte termini producti : sed ens rationis, si producitur fictione, vel cognitione rei aliter ac est, ita petit produci : ergo facere ens rationis nō dicit imperfectionem in producente. Probatur maj. cognoscere rem imperfectam, & etiam falsam, sicut petit cognosci, non dicit imperfectionem ex parte cognoscentis ; & idè Deus sine imperfectione cognoscit ens rationis, & falsitatem : ergo &c.

Tertiò. Cognoscere practicè ens rationis non dicit imperfectionem : sed cognoscere practicè est producere : ergo producere ens rationis nō dicit imperfectionem. Probatur maj. Cognoscere ens rationis sicut petit cognosci, non dicit imperfectionem in cognoscente ; immò dicit perfectionem, quia cognitio tunc

adæquatur objecto, & cognoscibilitati ejus, & hoc est magna perfectio : sed ens rationis petit practicè cognosci : ergo.

9. Tertiò probatur eadem sententia. Christus D. plura formavit entia rationis, & nullum fuit, quod non posset formare : ergo nullum est quod Deus formare non posset. Probatur consequentia, quia Christo Domino, etiam repugnat fictio & cognitio rei aliter, ac est in se : & tamen plura fecit entia rationis & potuit alia facere : ergo quantumcumque repugnet Deo imperfectio fictionis, & cognitionis &c. non repugnat ei facere ens rationis.

Confirmatur : Quod Deus facit simul cum intellectu creato, potest facere se solo : sed Deus cum intellectu creato facit plura entia rationis : ergo & se solo. Patet major, tum quia ut communiter dicitur : (Quod potest causa prima cum causa secunda, potest facere se sola.) Tum quia quod facit Deus cum intellectu creato, cadit intra Divinam causalitatem ; quod ita cadit potest fieri à Deo solo. Minor probatur. Deus simul cum intellectu nostro causat intellectionem nostram, ut fingentem ens rationis : sed quod est causa causæ est causa causari : ergo &c. Probatur



tur major, quia intellectio nostra ut fingens non est malum culpæ, quod solum est à Deo incausabile. Rursus actio ordinabilis in Deum, est ab ipso causabilis: sed actio ut fingens est ordinabilis in Deum, quod patet in actionibus Christi D. quæ omnes in Deum ordinatæ sunt, & tamen per aliquas finxit ens rationis: ergo.

Confirmatur secundò: Licet entia rationis chimærica petant forsan fictionem, aut cognitionem rei aliter ac est; secus entia fundata, ut sunt ratio, & distinctio: ergo saltem ista poterit Deus facere. Probatur antecedens. Qui concipit relationem rationis inter extrema, non concipit illa ut realiter relata, sed ut relata per rationem. Similiter qui facit distinctionem rationis inter attributa v. g. non concipit attributa, ut realiter distincta, sed ut realiter identificata. & distincta per rationem: sed in hoc nulla est fictio, falsitas, aut cognitio rei aliter, ac est in se: ergo entia talia fundata non petunt fictionem &c.

10. Tertia sententia docet Deum aliqua entia rationis facere, non omnia. Negat facere entia chimærica, distinctionem rationis, & intentiones logicas generis, speciei

& simillium; & unice concedit Deum facere relationes rationis, quibus complentur, & multiplicantur idea. Hæc sententia uno verbo comprehenditur ex principijs Ægidij nostri dicendo Deum solum facere ens rationis cum fundamento necessitante. Sententia ista est expressa in D. Thoma, & B. Ægidio; etiam insinuat à P. Augustino. Eam docent cum D. Thoma antiqui Thomistæ, qui à RR. trahuntur, forsan inviti, addito termino *fundamentaliter*. Sequitur Ægidium nostrum DD. nostri Gerardus, Argentinas, & alij citati à nostro Gavaridi q. 2. de ente rationis art. 4. ubi eandem tenet, & se citat ad varia loca operis Theologici, ubi eandem sententiã illustravit. Et quoniam hæc est sententia nostra, idèò commodiùs fundamenta ejus dabimus. §. sequenti.

## §. III.

*Probatur quòd Deus facit sola entia rationis cum fundamento necessitante.*

11. **N**Ostra sententia est cum DD. tertiæ suprà allegatæ, cum quibus dicimus Deum tantum facere entia rationis cum

## Quæst. VII.

cum fundamento necessitante. Ita sunt respectus illi, vel relationes rationis, quibus complentur, & multiplicantur idea. Et observa quòd *ly tantum* est particula exciusiva, significans Deum nulla alia entia rationis facere. Hoc probabimus secundo loco: nunc autem præcipua, & affirmativa pars nostræ sententiæ probanda est, & ut probationes percipias explicandum est priùs breviter quid sit idea, & quomodo multiplex.

Omnis artifex sapienter operans, antequam exterius formet artefactum, illud priùs concipit in mente; & hoc sic conceptum vocatur *idea*, vel exemplar operis faciendi. Quapropter Exodi 25. dixit Deus Moyli: *Fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est*. Hic præcepit Deus Moyli structuram, & fabricam Arcæ Testamenti, & aliorum; & antequam exequeretur Divinum mandatum, illi monstratum est in Monte Sinai exemplar, vel idea operis faciendi. Sic operari necesse est, quicumque sapienter, & artificiosè operatur ad extrà.

Cum ergo Deus supremus mundi artifex, omnia sapienter operatus sit, de quo dicitur in Psalmis: *Omnia in sapientia fecisti*: idèò Philosophi, ut Plato, & alij; Theologi

item propugnant dari in mente Divina ideas creaturarum, & exemplaria quadam, ad quæ Deus attendens, omnes & singulas creaturas formavit. Quæ sententia est adèò vera, ut juxta P. August. citatum à D. Thoma 1. p. q. 15. art. 1. non possit negari: & juxta eundem q. 3. de veritate art. 1. est de fide, quia P. Augustinus ibi allegatus à D. Thoma dicit esse infidelem quicumque negaverit ideas in Deo.

Istæ ideae vocantur *forma*, *rationes*, *species*, & *exemplaria*. Ita S. P. lib. 83. q. 46. ubi ait: *Sunt namque ideae principales formæ quædam*. Et infra: *Quas rationes, ut dictum est, sive ideas sive formas, sive species, sive rationes licet vocare, & multis appellare conceditur nominibus, sed paucissimis videre quod verum est*. Nec in præfenti licet explicare motivum multiplicandi hæc nomina, de quo vide Theologos, præcipue N. Lafosse tomo 4. q. 2. de ideis cap. 1. satis tibi sit quòd essentia Divina ut variè imitabilis à creaturis, est idea illarum; nec aliud idea est in Deo, nisi essentia Divina sic imitabilis.

12. Observa quòd essentia Divina est una, ceterum idea est multiplex, ita P. August. lib. laudato 83. qq. q. 46. *Restat ut omnia ratione sint condita*

condita; nec eadem ratione homo, quæ equus; hoc enim absurdum est existimare; singula igitur proprijs sunt creata rationibus. Idem docetur ab omnibus Theologis cum S. P. & ratio est, quia natura hominis est diversa à natura equi: ergo petit in Deo diversam ideam, quàm equus. Patet consequentia, quia ideatum perfectè imitatur ideam, & ei adæquatur: ergo si ideata sunt diversa, diversæ erunt in Deo ideæ: quare aliter homo imitatur Divinam essentiam, aliter equus, aliter lapis &c. unde in Deo multæ, & variæ ideæ ponendæ sunt.

Hinc pulsatur dubium, si idea est essentia Divina, ut imitabilis, & hæc est una; quomodo ideæ sunt plures? Respondent Theologi quòd per varias relationes rationis essentia Divina ad creaturas. Ratio est, quia idea non est essentia divina absolutè sumpta; sed illa ut imitabilis à creaturis: sed *ly ut imitabilis* importat relationem essentia Divina ad creaturas imitantes: ergo cum Deus non dicat relationem realem ad creaturas, *ly ut imitabilis* dicit relationem rationis essentia Divina ad creaturas. Nunc sic. Sed essentia Divina aliter imitabilis est ab homine, aliter ab equo, aliter à lapide: ergo

dicit ad hominem diversam relationem rationis à relatione, quam dicit ad equum, & hæc est diversa à relatione, quam dicit ad lapidem, & sic de alijs. Ecce tot sunt in essentia Divina relationes rationis, quot sunt ideæ: quare per relationes istas ideæ complentur, & multiplicantur. De istis relationibus rationis, dicimus fieri ab intellectu Divino, quia sunt entia rationis cum fundamento necessitante.

13. His suppositis probatur primò ex P. Augustino conclusio nostra verbis datis num. 12. præcedenti, quibus immediatè subjungit: *Has autem rationes ubi arbitrarium est esse, nisi in ipsa mente Creatoris?* En qui dixerat, ideam hominis esse distinctam ab idea equi, dicit nunc solum esse distinctam, & habere rationem ideæ in intellectu Divino, & mente Dei Creatoris: sed ideæ complentur, & multiplicantur, ut dictum est, per relationes rationis distinctas essentia Divina ad diversas creaturas: ergo relationes istæ rationis habent esse objectivum in intellectu Divino, & à Divina mente juxta P. Augustinum.

Probatur idem ex D. Thoma 1. p. q. 15. art. 1. ubi ait: *Hujusmodi respectus, quibus*

*multiplicantur ideæ, non causantur à rebus, sed ab intellectu Divino comparante essentiam suam ad res. Quæ verba sunt satis clara pro nostra sententia; pro qua adde S. Doct. quæst. 3. de verit. art. 2. ad octavum dicentem: Relatio, quæ est inter Deum, & creaturam, non est in Deo secundum rem, est tamen in Deo secundum intellectum suum. Vbi notandum est S. Doctorem non dicere quòd relatio ista rationis Dei ad creaturam est in Deo secundum intellectum nostrum, quod diceret, si sentiret à nostro intellectu fieri; sed dicit, esse in Deo secundum intellectum suum: ergo quia sentit, ut in prima autoritate expressè dicit, talis relationem rationis causari ab intellectu Divino comparante essentiam suam ad res, à quibus est diversimodè imitabilis.*

Probatur idem ex B. Egidio in 1. Sent. dist. 36. q. 2. art. 2. ad 2. ubi ait: *Propter pluralitatem respectuum est in Deo pluralitas idearum. Et in solutione ad primum: Hujusmodi pluralitas idearum est in Deo, non tanquam in natura ejus, sed tanquam in cognitione ipsius: cognoscit enim se Deus à pluribus imitabilem, & idè est in eo pluralitas idearum. Idem docet de his entibus rationis cum fundamento necessitante in 1. distin. 30.*

quæst. 1. art. 3. & distinct. 31. quæst. 1. art. 1. ad quartum, & distinct. 33. quæst. 1. art. 2. ad primum, & tertium. Itè distinct. 38. quæst. 2. art. 2. Immo idè hæc entia juxta Egidium vocantur cum fundamento necessitante, quia necessitant quemcumque intellectum ut ea formet: ergo necessitatur etiam intellectus Divinus formare tales respectus, semel quod cognoscat in essentia Divina multas, & varias ideæ creaturarum.

14. A ratione probatur conclusio nostra sic. Respectus ideales, quibus complentur, & multiplicantur ideæ, dantur in intellectu Divino ante omnem creaturam: sed illi sunt entia rationis facta ab intellectu Divino: ergo intellectus Divinus facit talia entia rationis. Major patet, nam ideæ completæ, & distinctæ dantur in mente Creatoris ante omnem creaturam, quæ solum in tempore facta est. Minor probatur. Talia entia rationis non possunt fieri ab intellectu creato: ergo fiunt à Divino. Probatur antecedens. Talia entia dantur ante omnem intellectum creatum: ergo. Probatur antecedens. Talia dantur, quando ideæ intelliguntur in mente Divina completæ, distinctæ, & multiplicatæ: sed ab æter-

no, & ante omnem intellectum creatum, videt intellectus Divinus ideas multas, distinctas, & completas: ergo &c.

Confirmatur. Ante omnem intellectum creatum idea hominis est distincta ab idea Angeli: sed est sic distincta per relationem rationis diversam: ergo ante omnem intellectum creatum datur in mente Divina ratio rationis, & sic facta à solo intellectu Divino. Major patet ex P. Augustino num. 13. laudato; *Alia ratione factus est homo; alia Angelus*: sed idea, & ratio factibilem præcedit factibilia: ergo ante omnem intellectum creatum præcedit idea hominis, quæ non est eadem ac idea Angeli, sed *alia*, & distincta. Minor etiam constat ex dictis num. 12. & ex verbis D. Thomæ datis num. 1. Quia per id ideæ sunt distinctæ, per quod sunt plures, & multiplicantur: sed juxta D. Thomam multiplicantur per respectus rationis: ergo idea hominis est distincta ab idea Angeli per relationem rationis.

Confirmatur 2. Ideæ Divinæ tot sunt in mente Divina, quot sunt possibles creaturæ imitantes Divinam essentiam. Patet hoc, quia idea est essentia Divina, ut

imitabilis: ergo quot modis fit imitabilis, tot in mente Divina sunt ideæ: sed relationes istæ non possunt fieri ab intellectu creato: ergo fiunt ab intellectu Divino. Probatur min. Relationes illæ sunt numero infinitæ, sicut ideæ sunt numero infinitæ, & possibilia sunt numero infinita: sed intellectus creatus non potest cognoscere omnia possibilia infinita, nec potest formare infinitas relationes rationis: ergo relationes istæ &c.

Confirmatur 3. Ille intellectus facit has relationes rationis, qui ponit fundamentum proximum, unde resultant: sed Deus ab æterno cognoscens essentiam suam diversimodè imitabilem à creaturis, ponit fundamentum proximum unde resultant relationes rationis: ergo Deus facit illas ab æterno. Major probata est hoc lib. quæst. 5. §. 1. ex D. Thoma, & Ægidio, & rationibus. Min. probatur. Fundamentum relationis rationis essentiæ Divinæ ad creaturas, non est essentia Divina in se, sed essentia Divina ut cognita; nec est essentia Divina ut cognita à nobis, sed ut cognita à Deo, ut vidimus ex D. Thoma supra dicente, quod talis relatio *Non est in Deo secundum rem, sed est in Deo se-*

secundum intellectum suum. Ergo Deus ab æterno cognoscens &c.

Confirmatur 4. Tales *Respectus non causantur à rebus, sed ab intellectu Divino, comparante essentiam suam ad res*: sunt expressa verba D. Thomæ: ergo juxta S. Doctorem non fiunt ab intellectu creato, sed à solo Divino. Probatur consequentia, quia si sentiret non fieri à Divino, sed à solo creato, non diceret causari à Divino. Quid enim aliud est *causari*, quam *fieri*?

15. Nihilominus RR. Thomistæ explicant D. Thomam, & solvunt rationes nostras, dicendo, fieri tales respectus *fundamentaliter* ab intellectu Divino non *formaliter*, quia sic fiunt ab intellectu creato. Hoc suadet Godoy ubi supra, primò, quia juxta S. Doctorem opusc. 42. cap. 1. *ens rationis non fit formaliter, nisi per fictionem, & hæc repugnat Deo. Secundò, quia juxta S. Doct. 1. ad Anibaldum, cujus verba dedimus num. 5. ens rationis, ut fiat formaliter, petit intellectum imperfectum: & talis non est Divinus. Tertio, quia D. Thomas 1. par. quæst. 85. art. 2. in solutione ad secundum docet, quod intentio universalitatis consequitur ad cognitionem merè*

abstractivam naturæ à singularibus: & tamen Thomistæ docent quod universale non fit *formaliter* per talem cognitionem, sed *fundamentaliter*: ergo licet in nostro argumento dicat S. Doct. tales respectus fieri ab intellectu Divino debet intelligi *fundamentaliter*, non autem *formaliter*.

Sed licet Illustris Mag. his fundamentis suadere possit RR. expositionem ipsis Recentioribus: secus anti-quis Thomistis, nec nobis, qui opposita fundamenta propugnavimus. Primum motivum Godoy non tenet, quia ibi loquitur D. Thomas de ente chimerico, quod habet esse fictum; non autem de ente fundato, de quo in præfenti. Vide quæst. 2. hujus libri probatum ex D. Thoma, quod ens rationis fundatum non consistit in esse ficto, nec fit per fictionem. Quod si de entibus logicis verum est, potius erit de respectibus idealibus, qui magis habent de entitate, & veritate, quam secundæ intentiones, ut docet Ægidius in 1. Sentent. dist. 30. cujus verba vide quæst. 2. citata, & quæst. 1. hujus libri, ubi dictum est cum eodem, quod entia cum fundamento necessitante plus habent de entitate, quam quæ solum habent fundamentum non re-

pugnans. Secundum motivum nō tenet; quia non distinguit inter entia rationis cum fundamento necessitante, & cum fundamento non repugnante. Hæc fundantur in imperfectione intellectus, ut dicemus de entibus logicis, & de distinctione, quæ vocatur rationis: illa fundantur solum in re ut perfectè cognita, quæ nequit cognosci, nisi modo relativo: quare relatio ista ideæ non petit juxta D. Thomam imperfectionem in intellectu, sed cognitionem perfectam, ut est Divina, comparantem essentiam suam ad res. Totum constat ex D. Thoma, nam loco ad Anibaldum loquitur de distinctione attributorum, ut patet ex verbis datis num. 5. at distinctio illa non est quid cum fundamento necessitante, quia nec Deus, nec beati necessitantur distinguere attributa, sed solum nos viatores: ergo fundamentum distinctionis est nō repugnans, & solum tale respectu intellectus imperfecti. At contrà respectus ideales habent fundamentum necessitans quemcumque intellectum, etiam Divinum, quia solum potest à Deo cognosci idea, quando comparat essentiam suam ad res: sed ita facit, & causat respectus il-

los: ergo sine imperfectione.

Tertium motivum confirmat doctrinam nostram; datam quæst. 5. §. 2. & quæst. 2. §. 5. & 6. & quæst. 4. §. 2. ubi probatum est ex D. Thoma, quod per cognitionem directam abstractivam naturæ à singularibus, fit universales; & inde intulimus, quod nec fit cum fictione, nec fit formaliter, sed fundamentaliter, & quod consequitur ad rem directè cognitam. Quod si RR. Thomistæ aliter sentiant fieri universale, eos satis audivimus locis citatis, & iterum audiemus lib. sequenti. Quare motivum tertium nobis insufficiente est.

16. Quidquid sit, sic infurgimus contra solutionē datam. Primò, quia jam concedunt Thomistæ in ea, quod relationes illæ sunt fundamentaliter ab intellectu Divino: sed hoc, & nil aliud est facere ens rationis: ergo Deus facit talia entia rationis. Min. probatur. Ens rationis logicum fit à nobis non formaliter, sed fundamentaliter: & tamen absolutè fit à nobis, nec potest aliter fieri: ergo &c. Major & min. probatæ sunt tota quæst. 5. §. 2.

Rursus. Dum dicis tales respectus causari fundamentaliter, vel loqueris de fundamē-

to proximo unde resultant; vel de fundamento remoto in re extra intellectum. Si hoc secundum? tale fundamentum non causatur ab intellectu Divino: quia fundamentum tale est essentia Divina in se variè imitabilis, & hæc non potest causari. D. Thomas dicit causari ab intellectu Divino: ergo non loquitur de fundamento remoto. Si primum? Ergo respectus illi causantur à Deo, ponente *Essentiam Divinam cognitam, & comparatam ad creaturas*. Patet hoc ex D. Thoma, dicente causari ab intellectu comparante essentiam suam ad res. Sed qui ponit tale fundamentum, ponit ens rationis secutum ex tali fundamento: ergo intellectus Divinus ponit ens rationis formaliter. Min. probata est locis citatis.

Tertiò. Aliter ponit Deus fundamentum respectu idealium, cognoscens essentiam suam; ac ponit fundamentum distinctionis rationis inter sua attributa, cognoscendo illa: sed cognoscit sua attributa, quin formet, & causet distinctionem rationis, quæ unicè fit ab intellectu nostro: ergo cognoscit suam essentiam imitabilem à creaturis taliter, ut inde resultet relatio rationis sine dependentia ab in-

tellektu nostro. Major patet, quia de respectibus illis dicit D. Thomas causari ab intellectu Divino, quod non dicit de distinctione rationis inter Divina attributa. Minor est expressa D. Thomæ, conceditur à Thomistis, & infra probabitur. Consequentia tenet. Quia tam cognoscit Deus fundamentum respectuum idealium, quàm distinctionis attributorum: ergo quoad causari fundamentaliter ab intellectu Divino, nulla est a-lietas, nisi quod ex cognitione fundamenti respectuum resultant in Deo respectus formaliter; secus ex eo quod Deus cognoscat fundamentum distinctionis rationis inter attributa.

Tandem P. August. quæstiuncula de Trinit. ait: *Nullatenus aliud est in Deo esse, aliud vivere vel intelligere, aliud posse*. Agens verò de ideis loco supra laudato dicit, *Alia ratione conditus est homo, alia equus*. Sed si à solo intellectu creato fieret relatio idealis, sicut ab eo solo fit distinctio inter esse & vivere Dei; sicut esse Dei non est aliud à vivere, ita idea hominis non esset alia ab idea equi: nec minus datur ab æterno fundamentum distinctionis inter attributa, quàm inter ideas; nec minus ab æterno cognoscit Deus fun-

fundamentum unius, quam alterius: ergo ut mens P. Augustini, D. Thomæ, & Agidij teneatur à nobis, dicendum est, quòd Deus facit respectus ideales, secus distinctionem rationis; & quòd ad cognitionem Dei consequitur formaliter relatio idealis, secus distinctio rationis.

17. Dicimus secundò Deus non facit distinctionem rationis inter Divina attributa. Hæc assertio est expressa in D. Thoma, & N. Ægidio. Videtur etiam P. Augustini loco laudato num. 16. præcedenti, ubi negat aliud esse in Deo vivere, & posse: sed si intellectus Divinus faceret distinctionem inter sua prædicata, sicut probatum est facere respectus ideales, verum esset in Deo aliud intelligere, aliud vivere, aliud posse; sicut alia est idea hominis, alia equi juxta P. August. ergo quia sentit S. P. Deum non facere distinctionem rationis inter Divina attributa, & multò minùs cognoscendo creaturam.

Probat 1. ex D. Thoma in 1. Sent. dist. 2. quæst. 3. art. 1. in corpore ubi ait, quòd nos nominamus attributa diversis nominibus, v.g. Sapiencia, Bonitas, Justitia &c. quia intellectus noster non potest una conceptione integrè perfectionem

ejus apprehendere, & per consequens nec nominare; & idè oportet quòd diversas conceptiones de eo habeat, quæ sunt diverse rationes, & quòd diversa nomina imponat significantia rationis illas: unde nomina illa non sunt synonyma, in quantum significat rationes diversas. Si autem intellectus noster Deum per se ipsum videret, illi rationi posset imponere nomen unum, quod erit in Patria. Et idè dicitur Zacharia ultimo, in illa die erit Dominus unus, & nomen ejus unum. Hæc S. Doct.

Ex quo sic. Idè intellectus noster distinguit Sapienciam Dei à Justitia v.g. quia nec potest has perfectiones uno nomine explicare, nec una intellectione cognoscere. At Deus se ipsum, & omnes suas perfectiones unica cognitione cognoscit, & unico nomine nominat: ergo Deus non distinguit per rationem sua attributa. Imò, ut hic vides, nec Beati. Quia licèt non comprehendant Deum, cognoscunt tamen unica cognitione beatifica omnes perfectiones formales Dei; & sic relatè ad Beatos non dantur plura nomina v.g. Sapiencia, Justitia, Misericordia, Bonitas &c. sed uno nomine explicant Dei perfectiones omnes, quas una cognitione beatifica cognoscunt: unde Deus est Beatis perfectè unus, & nomen Dei unum, nobis

nobis autem est multiplex Dei nomen; ergo nec Beati distinguunt inter Divina attributa.

81. Observa pro dicendis lib. sequenti. Quòd distinctio rationis negatur Deo, & Beatis juxta D. Thomam, quia non concipiunt diversis conceptionibus; sed unica: ergo sentit D. Thomas, quòd distinctio rationis non est illa, quæ communiter explicatur, sed illa de qua diximus quæst. 3. hujus libri §. 3. sed de hoc suo loco.

Observa secundò, quòd inter duo entia rationis datur distinctio rationis, imò solùm datur inter hæc distinctio propria rationis. De hoc non agimus in præsentia, quia qui facit entia rationis, facit ea distincta: ergo facit distinctionem rationis, qua distinguuntur inter se, sed probatum est Deum facere entia rationis idealia: ergo facit distinctionem rationis talem. De hoc non loquimur, nec de ista loquitur D. Thomas. Quia sicut Deus una cognitione comprehendit suam essentiam imitabilem; una cognitione facit omnes respectus ideales, & sic eos distinguit. Loquimur ergo de distinctio rationis in sensu D. Thomæ, & communis sententiæ distinguentis per ratio-

nem perfectiones reales Dei, ut sunt Justitia, Bonitas &c. De hac loquimur, & de ista negamus cum D. Thoma.

10. Eandem doctrinam habet N. Ægidius in 1. Sent. dist. 2. quæst. 1. art. ultimo, ubi causam distinctionis rationis inter Divina attributa assignans dicit: Ex parte cause contingit ex utroque, nam Divina essentia est causa hujus, quia propter sui excellentiam superat intellectum nostrum: & etiam est causa ex parte intellectus nostri, quia deficit à perfecta cognitione ejus, & superatur ab ipsa &c. Ibidem adducit doctrinam D. Thomæ de modo nominandi juxta modum concipiendi, à qua parum recedit Doctor noster, & eam in substantia approbat. Nunc sic: sed Divina essentia non superat intellectum Divinum; nec iste deficit à perfecta, & comprehensiva cognitione Divinæ essentia, quam plenè comprehendit unica cognitione: ergo Deus non distinguit per rationem inter Divina attributa; & minus dum creaturas cognoscit infinitè inferiores ad Divinam essentiam.

10. Dicimus 3. Deus non facit entia rationis logica. Hæc assertio evidentissimè colligitur ex P. Augustino, D. Thoma, & Ægidio. Primò, quia ut vidimus lib. 1. quæ-

quæst. 9. §. 1. In Deo non est Logica formaliter: ergo nec ab intellectu ejus formantur secundæ intentiones. Rursus istæ intentiones Logicæ, si sunt incomplexæ, ut genus, differentia, species &c. consequuntur juxta Beatos Doct. ex nostro modo cognoscendi præcisivo, & potenciali; ita ut vidimus quæst. 2. hujus libri, & quæst. 4. & 5. sed cognitio Dei non est præcisiva, & potentialis, sed actualis, & totaliter attingens quidquid est in objecto: ergo secundæ intentiones Logicæ non fiunt à Deo. Confirmatur. Qui nequit distinguere per rationem inter animal & rationale, nequit facere intentionem generis in animali, & differentia in rationali: sed Deus nequit distinguere per rationem inter animal & rationale: ergo nec facere secundas intentiones logicas. Minor patet ex num. 17. Major est certa. Nam ad faciendam in animali intentionem generis, est necessarium illud præscindere à rationali, & cognoscere hominem per partes, & duplici cognitione, una attingente solum animal, altera solum rationale: sed hoc est distinguere per rationem inter utrumque, ut videmus ex D. Thoma: ergo.

Si verò loquamur de in-

tentionibus complexis, ut subjectum, prædicatum, propositio, definitio &c. evidentiùs probatur. Nam ista solum possunt fieri componendo, & dividendo per propositiones Divinas, & argumentationes; sed nec Deus, nec Angelus hoc modo cognoscunt objecta, sed simplici, & unico conceptu: ergo nec Deus, nec Angeli possunt formare tales intentiones, & entia rationis logica. Idem dic de Beatis per cognitionem beatificam, ut diximus de distinctione rationis. Ceterum quia homines Beati etiam intelligunt res naturales modo humano, licet per species infusas; idè circa res naturales possunt formare entia rationis logica.

21. Dicimus 4. Deus, Angeli, & Beati non possunt facere entia rationis sine fundamento. Probatur. Quia ut ait P. Augustinus loquens de Beatis in Patria: *ibi cessabunt volubiles cogitationes nostræ*, sed si cessabunt volubiles, multò meliùs *vane*, & fingentes: ergo cum ens rationis chimericum fiat per fictionem, non potest Beatis competere, nec Angelis factis; & minus Deo, cui essentialiter repugnat falsitas. De hac assertione intellige omnia fundamenta primæ sen-

ten

sentia, & ea applica hinc, quia ens chimericum fingitur, & fit per cognitionem rei aliter ac est &c. Dæmonibus autè, & damnatis, quibus nec repugnat fictio, mendacium, & imperfectio cognoscendi, applica facturam hujus entis chimerici sine scrupulo.

### §. IV.

*Expenduntur alia sententia cum suis fundamentis.*

22. **A**D fundamenta primæ sententiæ, quæ aliquomodo sunt contra nostram, respondemus & ad primum positum num. 4. dicimus majorem esse falsam, quia quæst. 2. hujus libri probatum est entia fundata non consistere in esse ficto; nec fingi, nec fieri per cognitionem rei aliter ac est in se. Vide quæst. 2. §. 5. & quæst. 5. §. 5. ubi invenies probatum ex D. Thoma contrarium hujus principij RR. Thomistarum, & ibi ostenditur verba D. Thomæ nunc nobis objecta, non esse doctrinalia, ut hinc contendit Godoy, nec de omni ente rationis, sed de solo ente chimerico. Quare inde solum probatur, quod Deus non faciat entia rationis chimeri-

ca, quod non est contra nos, sed pro nobis, ut vidimus in 4. asserto.

Eodem vitio laborant duæ confirmationes primi fundamenti num. 4. positæ. Prima habet majorem falsam. Ad probationem concessa maj. nego min. Licet enim omne ens rationis sit impossibile realiter existere, non habet esse fictum, quia inter fictum & ens reale datur medium, scilicet esse verum purè objectivum. De quo abundè q. 2. citata.

Ad secundam confirmationem, nego maj. nego quod ut fiat ens rationis debeat dari cognitio rei aliter ac est in se. Contrarium probatum est à nobis de ente fundato quæst. 1. §. 2. Nec urget probatio majoris, quia licet cognitio rei, ut est in se, non sit factiva entis chimerici, est factiva entis fundati, quod consequitur ad rem cognitā, ut est in se. Adde, quod licet entia logica petant cognitionem abstractivam, & rei sine singularitate, qualiter non est in se. At entia cum fundamento necessitante, de quibus est prima assertio nostra, nullo modo petunt cognitionem rei aliter, ac est, sed rei ut est in se; & ad illam sic cognitam consequuntur necessariò. Unde Deus cognos-

Ggg

fcēs

scens essentiam suam ut est in se imitabilis à creaturis, facit ens rationis; quia hoc consequitur necessariò ad essentiam sic cognitam, ut est in se.

Ad secundum fundamentum positum num. 5. dicimus illud esse pro nostra sententia, quia cum Thomistis defendimus Deum non posse facere entia chimærica, nec distinctionem rationis, nec concipere privationes, & negationes ad modum entis. Et licet de privationibus hæc nihil dixerimus in probatione nostra; idè est quia juxta dicta quæst. 3. privationes & negationes sunt entia rationis sine fundamento; & sic chimærica: quare pertinent ad quartum assertum nostrum num. 2.

23. Ad tertium fundamentum positum num. 6. dicimus majorem esse veram, quia comprehendit omne ens rationis fundatum, & chimæricum. Ad minorem dic, quòd omnia illa repugnant intellectui Divino, ut ibi bene probatur. Et disting. consequens: ergo Deo repugnat facere omne ens rationis, omne ut comprehendit chimærica, concedo consequentiam. *Omne*, ut solum comprehendit entia fundata, subdist. ut omnia fundata solum

in fundamento necessitante, nego consequentiam: immò & suppositum consequentis, supponitur enim, quòd talia fiunt per cognitionem falsò judicantem esse relata, quæ relata non sunt; & falsò hoc supponitur, ut videbimus. *Ly omne*, ut dicit etiam entia cum fundamento non repugnante, concedo consequentiam.

Deo solum concedimus facere entia rationis cum fundamento necessitante; de reliquis negamus. Hæc entia, Deo concessa, non fiunt concipièdo relatum, quòd relatum non est; sed concipiendo relatum quòd est, modo quo est relatum. Deus concipit essentiam suam imitabilem à creaturis; in hoc non est relatio realis, quare essentia Divina non refertur realiter, nec concipitur realiter in se relata. Sed in natura sic concepta consequitur vera relatio rationis, & per illam natura sic concepta verè refertur per rationem; & Deus judicans illam sic relatum per rationem, verè judicat, & judicium ejus conformatum cum objecto cognito, in quo nulla apparet falsitas.

Idem suo modo contingit in relationibus logicis, quas non relegamus ab intellectu.

lectu Divino titulo fictionis, aut falsitatis, sed titulo potentialitatis repugnantis Divino intellectui. Cognita natura humana à nobis, resultat relatio rationis naturæ ad inferiora, & per illam verè refertur per rationem: ergo intellectus noster reflexè judicans talem naturam cognitam refertur per rationem, non est falsus, sed verus; nec refert non relata, sed relata, ut relata sunt. Idem dic de distinctione rationis fundata. Vnde in forma aliter ad argumentum poteris respondere majorem solum esse veram de ente chimærico, non autem de fundato.

24. Ad primam confirmationem num. 6. positam concedo maj. & nego minor. Ad probationem minoris concessa maj. disting. min. Essentia Divina ut est in se imitabilis non habet relationem rationis ad creaturas, ut est in se extra Divinum intellectum, concedo min. ut est in se intra Divinum intellectum, nego min. & consequentiam. Hæc relatio rationis non est in objecto extra intellectum, sed in objecto cognito, & considerato, ut quæst. 1. diximus de intentionibus logicis. Nec requiritur hæc relatio ut natura Divina sit in se extra intellectum imitabilis;

sed ut cognoscatur ab intellectu imitabilis. Immo nec ad hoc est necessaria signatè, & præsuppositivè, sed exercitè, & consecutivè; quia non datur talis relatio ante cognitionem Divinam, sed post, & ut quid consecutum ex Divina essentia cognita, ut imitabili; modo quo relationes logicæ consequuntur ad naturam conceptam, & consideratam à nobis modo potentiali.

Ad secundam probationem minoris, concedo maj. & disting. min. Deus formaret distinctionem inter Divinas ideas, distinctionem, quam negat D. Thomas, nego min. distinctionem, quam non negat D. Thomas, concedo min. & nego consequentiam. Distinctio rationis, quæ D. Thomas negat, est illa, quæ nascitur ex imperfectione intellectus, non potentis unica cognitione attingere totum objectum, ut vidimus num. 17. Ceterum ista non probatur argumento nobis objecto, quia licet Deus faciat respectus ideales, & cognoscat ideas esse invicem distinctas, hoc facit unica cognitione perfectissima comprehendente omnes ideas simul. Non negat Divus Thomas Deum facere unica cognitione respectus omnes ideales,



les, quibus complentur, & multiplicantur ideæ: sed multiplicari est distingui; ergo facit Deus id, quo ideæ distinguuntur: ergo facit distinctionem inter ideæ. Ceterum, quia non facit hanc distinctionem multiplicando conceptus, & attingendo obiectum per partes, in quo stat imperfectio, ideò hæc distinctio rationis est illa, quam negat D. Thomas.

Et ne putes instantiam solum esse contra nos, ecce militat contra Thomistas prima sententia. Nam ideò probatur contra nos, quia distinguere ideæ, est cognoscere ideam hominis non esse ideam equi, & diverso modo comparari essentiam Divinam ad hominem, ac ad equum. Atqui licet neges cū prima sententia Deum facere respectus ideales, teneris concedere, Deum cognoscere ideam hominis non esse ideam equi, & essentiam Divinam diverso modo ad utrumque comparari: ergo teneris admittere Deum facere distinctionem rationis. Min est certa, quia si Deus id non cognosceret, quomodo in creatione hominis conformaretur cum ideæ ejus? Ad quid enim ideæ ponuntur distinctæ, si artifex utens ideis, non cognoscit eas esse distinctas?

15. Observa ex dicendis lib. sequenti, quòd instantia ista de distinctione rationis, non est contra nos. Quia distinctio rationis in nostris principijs, potest sumi dupliciter; vel pro illa, quæ est ens rationis, & versatur solum inter entia rationis, sicut distinctio realis inter entia realia. Et distinctio rationis talis potest fieri, à quocumque intellectu faciente ens rationis, quia est passio entis rationis facti. Sed Deus sine imperfectione facit respectus ideales unica cognitione: ergo facit distinctionem rationis inter illos respectus; & consequenter facit distinctionem rationis inter ideæ formaliter sumptas, quia ideæ sic pro formali est ens rationis, licet pro materiali, & substrativè sit essentia Divina, & quid realissimum.

Si distinctio rationis sumitur pro actuali separatione obiectiva, quæ oritur ex eo quòd predicata identificata cognoscuntur diversis cognitionibus præcisivis, hoc modo repugnat Deo; sed nõ probatur ex nostra sententia Deo convenire. Rem explico. Entitas hominis potest à nobis cognosci duplici cognitione; una, quæ solum animal cognoscatur, altera qua

quia noscatur rationale. Ecce animal & rationale, quæ identificantur in se à parte rei; separantur obiectivè, quia animal existit in conceptu primo, & rationale in altero conceptu. Hæc separatio vocatur distinctio rationis: & hæc repugnat intellectui Divino, quia dicit imperfectiorem, & potentialitatem in intellectu, & multipliciter conceptuum. Istam negavimus cum D. Thoma num. 17. sed ista non probatur contra nos in argumento primæ sententiæ: ut dictum est.

15. Ad tertiam probationem minoris eodem num. 6. Dicimus Deum facere respectus ideales unica cognitione. Ad probationem in contrarium dic; quòd distinctio rationis, quam num. 17. negavimus cum D. Thoma, petit diversas cognitiones; non autem distinctio rationis, quæ est passio entis rationis; nam ista sequitur ex cognitione factiva entis rationis: sed Deus unica cognitione facit omnes respectus ideales; quia unica cognitione comprehendit essentiam suam, ut imitabilem ab omnibus creaturis: ergo unica cognitione distinguit inter ideæ formaliter sumptas.

Ad quartam probationem minoris dicimus tales

respectus existere necessario, & non liberè. Ratio est, quia cognitio, qua Deus cognoscit essentiam suam ut imitabilem, est necessaria, & de obiecto necessario, quod non pender à libertate Dei. Deus enim potest liberè producere creaturam, vel non producere: sed non est liber in cognoscendo illam, quare creaturæ possibles habent esse obiectivum necessarium in intellectu Divino. At nec respectus ideales, nec creaturæ possibles; habent esse æquè necessarium, ac Deus, & cognitio Divina, sed longè inferius; tum quia necessitas est passio, vel quasi passio entis, aut modus ejus; & creaturæ habent entitatem longè inferiorem entitate Divina. Tum quia necessitas creaturarum est illativa, & à posteriori; necessitas Dei est causalis, & à priori; ut notant Moderni contra negantes Verbum procedere ex cognitione possibilem.

Ad quintam probationem minoris eodem num. 6. dicimus Deum necessario facere tales respectus; quia ad id necessitatur, & ideò sunt ens rationis cum fundamento necessitante. Ad probationem in contrarium concessam antecedenti, nego consequentiam, quam non suadent

dent duæ probationes ibi datæ. Equidem ut essentia Divina in se sit idea, non indiget his respectibus, ut bene dicit arguens; nec etiam ut sit cognoscibilis, quia quod sufficit ad esse, sufficit ad cognosci in actu primo. Sed quid inde? Sanè nil aliud, nisi quod diximus num. 24. scilicet hos respectus non requiri *signatè*, & *presuppositivè* in objecto ante cognitionem, ut concedimus, nec eos ponimus sic, sed *exercitè*, & *consecutivè*, quia consequuntur ex essentia Divina sic cognita, & necessariò consequuntur. Vnde licet Deus cognoscat essentiam suam, ut est in se; & in se non habeat tales respectus; illos habet ut cognita, & necessariò illos sic habet, ut dictum est.

27. Ad fundamenta secundæ sententiæ posita num. 7. respondemus. Ad primum dicimus, quòd facere ens rationis non est dare esse objectivum extrinsecum, sed dare esse objectivum intrinsecum enti rationis. Patet hoc, quia dum cognosco ens rationis ab alio factum, non facio illud, quia quod jam est factum, non fit: & tamèdo illi enti esse objectivum in meo intellectu: ergo non quodcumque esse sufficit pro facere entis rationis. Hinc

explicatur distinctio data Nā ille, qui facit ens rationis, dat ei esse intrinsecum, quo potest cognosci à multis intellectibus. Qui verò jam factum cognoscit, non dat ei esse intrinsecum, sed extrinsecum, & consistit in actu cognosci ab hoc, vel illo intellectu, quod nil intrinsecum est, sicut nec cognitio. Deus ergo cognoscens omnia entia rationis, dat eis esse extrinsecum; non autem intrinsecum, quia hoc datur ab intellectu creato. Vnde non facit omnia, quæ cognoscit merè speculativè.

Ad primam confirmationem disting. maj. nequit cognosci ens rationis à Deo, quin habeat esse objectivum in intellectu Divino; esse objectivum extrinsecum, consistens in cognosci, concedo maj. esse objectivum intrinsecum, subdisting. quin habeat illud ab intellectu Divino, nego maj. ab intellectu creato, concedo maj. & negata minori de esse objectivo intrinsecum; nego consequentiam. Nec valent probationes, quia procedunt de esse extrinsecum objectivo, quod dare enti rationis, non sufficit ad faciendum illud. Lapis in se habet esse intrinsecum datum ab authore naturæ, qui dando hoc esse, facit lapidem. Suprà

prà hoc esse, dum cognoscitur lapis, fundatur esse objectivum quod habet in intellectu cognoscente; & qui dat hoc esse extrinsecum, nō facit lapidem. Sic ens rationis fit à dante illi esse intrinsecum. Quando verò postea cognoscitur speculativè, recipit esse objectivum extrinsecum, quod dare non est facere ens rationis, sed speculari.

Ad secundam confirmationem dic, quòd sicut Deus cognoscit ab æterno omnes creaturas, cum tamen ab æterno non sint productæ; ita ab æterno cognoscit omnia entia rationis nostra, licet ab æterno non sint à nobis facta, sed factibilia, vel futura. Vnde entia illa ab æterno habent esse intrinsecum signatum, non exercitum; vel habent esse quod possibile, vel futurum est à nobis produci.

28. Ad explicationem secundæ confirmationis dicimus, quòd illa non est specialis contra ens rationis, nec pertinet ad Logicam, sed ad difficilem tractatum Theologicum de Scientia Dei. Non est specialis, quia probat etiam, quòd ab æterno existunt omnes creaturæ. Nam ab æterno cognoscit Deus omnes creaturas, v.g. Antichristum;

ergo vel cognoscit illum ut existentem; vel ut futurum. Si existentem? Ergo Antichristus existit ab æterno. Patet consequentia, Si non existeret ab æterno, foret falsa cognitio Dei, illum ab æterno cognoscens, ut existentem. Si cognoscit illum ab æterno, ut futurum? Ergo ab æterno cognitio Dei est abstractiva, & rei absentis, & in tempore quando Antichristus existit, mutatur cognitio Dei, & fit intuitiva, & rei presentis. Entium argumentum contra ens rationis.

Thomistæ RR. cum Cajetano, ut solvant istam difficultatem recurrunt ad præsentiam subjectivam creaturarum in æternitate, docentes, quòd licet Antichristus ab æterno non existat in se, existit tamen ab æterno in mensura extrinseca æternitatis, & sic intuitivè cognoscitur à Deo. Juxta hanc solutionem dic idem de ente rationis, quòd etiam ab æterno existit in eadem mensura extrinseca, qua existit intellectus creaturæ, & Deus illud ab æterno cognoscit intuitivè, ut præsens.

Egidiani cum Doct. N. in Defensorio D. Thomæ ad primam partem art. 3. dicimus omnia futura actu existere ab æterno non extra Deum

Deum, sed in Deo, quia existunt in Divinis ideis. Ut enim ait P. Augustinus lib. 5. de Genes. ad litteram, *Creatura antequam fierent, erant, & non erant. Erant in Dei scientia, non erant in sui natura.* Juxta hanc sententiam de qua latè in Theologia, dic Deum cognoscere omnia entia rationis ut presentia; non ut presentia in se, sed ut presentia in Divinis ideis. Quod si quæras, an entia rationis habeant ideam, ubi sunt presentia? Vide dicta num. 3.

Ad tertiam confirmationem num. 7. concedimus majorem, & disting. min. Denominatio extrinseca cognitioni cadit supra esse intrinsecum entis rationis, factum à Deo, nego min. datum à creatura, subdisting. datum à creatura in tempore, & representatum in ideis ab æterno, concedo; datum & representatum ab æterno, nego min. & consequentiam. Deus ab æterno cognoscit omne ens rationis. Denominatio, & esse extrinsecum cogniti cadit supra esse intrinsecum entis rationis. Hoc esse datur à creatura; sed non ab æterno, sed in tempore. Ceterum hoc esse datum in tempore, representatur in ideis ab æterno, ut dictum est num. 3. & supra hoc esse intrinsecum ita representatum, cadit de-

nominatione cogniti à Deo.

29. Observa quod AA. hujus sententiam urentes hoc fundamento tenentur concedere Deum solum facere entia rationis omnia, & quod creatura nullum facit. Patet primum, quia juxta illos, qui cognoscit, dat esse objectivum, & facit ens rationis: ergo qui omnia cognoscit ab æterno, omnia facit. Patet secundum, quia qui cognoscit entia rationis facta, non facit; quia fieri est *Transire de non esse ad esse*: sed quod est factum, non transit de non esse ad esse: ergo quod est factum non fit denuò. Ergo cum creatura inveniat omnia entia rationis facta à Deo ab æterno, nullum facit. Izquierdo, ut vidimus §. 1. concedit sequelam, sed irridetur à reliquis. Nam quod Deus omnia non faciat, patet ex rationibus Thomistarum, & nostræ sententiæ. Quod autem creatura nullum faciat, est contra experientiam, quam notamus fictiones nostras, cogitationes vanas, & cognitiones præcisivas.

Observa etiam, quod eodem principio sequitur in nostris principiis Deum facere omnes respectus ideales; & nullum talem fieri à creatura. Quapropter dum nos ideas cognoscimus, vel nullum ens

rationis formamus, sed unice sicut cognoscimus speculativè essentiam Divinam à Deo cognitam, etiam speculativè cognoscimus respectus ideales à Deo factos. Vel si ex nostra cognitione sequitur respectus idealis, hic est distinctus à respectibus à Deo factis. Nec mirum, quia Deus unica perfectissima cognitione illos facit: nos autem multiplicamus tantas cognitiones, quantas cognoscimus ideas. Quare respectus ideales nostri sunt temporales, & secuti ad cognitionem potentialem imperfectam; respectus ideales Dei sunt æterni, & secuti ad cognitionem actualissimam, & perfectissimam.

36. Ad secundum fundamentum positum num. 8. concedo maj. de entibus chimericis, & logicis, quæ petunt imperfectionem cognitionis supra explicatam, & nego min. Ad primam probationem minoris, concessio antecedenti, nego consequentiam, ad ejus probationem, nego min. Sicut Deus est perfectissimus producendo Angelum, ita producendo formicam; quia actio Dei est unica & aequè resplendet Omnipotentia in formatione utriusque; quare imperfectio formicæ non refunditur in a-

ctionem Dei, sed tota se tenet ex parte termini. At imperfectio chimæ refunditur in actionem, quia petit actionem surgentem. Intentiones etiam logicales petunt cognitionem præcisivam, & potentialem; quare non se tenet imperfectio ex parte puri termini, sed ex parte agentis, quapropter repugnat Deo.

Ad secundam probationem min. nego maj: ad ejus probationem, disting. antecedens, sicut petit cognosci cognitione speculativa, concedo antecedens; cognitione practica, nego antecedens, & consequentiam. Sunt quædam, quæ non petunt produci modo imperfecto, licet in se sint imperfecta, ut vidimus de formica. Et talia sic producere, ut petunt produci, non arguunt imperfectionem in producente. At ens rationis necdum est imperfectum, sed petit produci modo imperfecto; quare talia arguunt imperfectionem in producente. Idem dic de cognitione practica entis rationis, quia talis est factiva ejus. Ceterum cognitione speculativa perfectissima possunt cognosci, quia licet ens rationis petat imperfectionem in cognitione practica factiva ejus; secus in speculativa. Sicut falsitas non petit cognosci speculati-

vè cum imperfectione; petit tamen cognitionem practicā imperfectam.

Hinc ad 3. probationem minoris neg. maj. ad probationem ejus dic doctrinam illam esse veram de cognitionem speculativa, secus de practica. Ratio huius data est: Quia eius factum petit cognitionem practicam fingens; hæc sola adæquatur cum ente rationis practicè cognoscibili: sed adæquatio ista dicit fictionem in cognitione: ergo dicit imperfectionem; Deo repugnantem.

3. Ad tertium fundamentum positum num. 9. Respondent Thomistæ Christum Dominum fecisse entia rationis ficta, per fictionem apprehensivam, quæ non repugnat summæ veritati; nullum tamen fecisse per cognitionem fingentem judicativam, quia hæc arguit falsitatem repugnantem summæ veritati. En negant consequentiam ad Deum, cui repugnat in proprio intellectu fictio nedum judicativa, sed etiam apprehensiva. Istam solutionem impugnavimus q. 2. hujus lib. §. 6. Nunc addimus solutionem istam esse contra D. Thomam in 1. Sent. dist. 2. quæst. 1. articul. 3. in corpore, ubi apprehensionem chimeræ vocat *Conceptionem falsam*.

*sam*, quare repugnabit Christo Dño. En verba S. Doct. *Aliquando id quod significatur per nomen, non habet fundamentum in re, neque proximum, neque remotum, sicut conceptio chimæ, quia nec est similitudo alicujus rei extra animam; neque consequitur ex modo intelligendi rem aliquam naturæ, ET IDEO ISTA CONCEPTIO EST FALSA.* En apprehensio chimæ est conceptio falsa (preme rationem) quia nec est similitudo rei extra animam, nec consequitur ex modo intelligendi rem extra animam.

Respondemus juxta dicta q. 2. citata, quod Christus non fecit entia rationis chimerica, nec potuit, quia non potuit fingere: fecit autem entia rationis logica; quia hæc non petunt fictionem, nec cognitionem rei aliter ac est, alietate propria, sed solum præcisiva, quæ explicata à nobis est q. 5. hujus libri. Hæc entia logica possunt fieri à Christo Domino; sed non à Deo; non quia necessaria sit fictio, sed quia necessaria est potentialitas in cognoscendo, quæ Christo ut homini non repugnat, sed repugnat Deo actualissimo.

Ad 1. Confirmationem respondemus cum Thomistis negando min. Ad probationem nego maj. Ad cujus probationes nego utrumque antecede-

cedens. Dicimus quod Deus est causa nostræ intellectio- nis, & sic mediatè causat etiam, quidquid causatur à nostra intellectio- ne. Ceterum Deus non est causa nostræ intellectio- nis ut fingentis, nam sub ista reduplicatione dicit fictionem: quæ non convenit cognitioni nostræ ut venit à Deo à quo bona venit; sed ei ut est creata, & facta ex nihilo. Sicut peccare dicit actionem pro materiali, & defectum pro formali; ita fingere dicit pro materiali cognitionem, & pro formali dicit defectum. Et sicut defectus moralis voluntatis non venit à Deo; nec est efficere, sed deficere: quod habemus. Creaturæ ex nihilo unde factæ sumus. Ita defectus physicus cognitionis fingentis non venit à Deo, nec in ipsum est ordinabilis, ut in finem; nec fingere est efficere, sed deficere, quod habemus, quia facti ex nihilo.

Ad 2. Confirmationem num. 9. concessio ant. nego conseq. concedimus quod entia rationis fundata non petunt fictionem, aut cognitionem rei aliter ac est. Ceterum alio titulo repugnant Deo entia rationis logica, & distinctio rationis, quia scilicet petunt potentialitatem in cognoscendo, Deo repugnantem. De quo vide dicta

à num. 17.

32. Quæres, an ratio rationis quam concipimus in Deo ut Domino, & Creatore, sit relatio cum fundamento necessitante, & sic fiat etiam à Deo; an verò sit cum fundamento non repugnantem, & sic solum fiat à nobis? Respondet esse cum fundamento non repugnantem; sicut sunt relationes generis, speciei, & aliæ secundæ intentiones. Ita expressè D. Thomas in 1. Sent. dist. 2. q. 1. art. 3. in corp. ubi ait: *Sicut nos dicimus de relationibus, quæ ex tempore de Deo dicuntur. Hujusmodi enim relationes in Deo secundum rem non sunt, sed sequuntur modum intelligendi, sicut dictum est de intentionibus.* En juxta D. Thomam relationes rationis temporales dictæ de Deo, ut sunt relatio Domini, & Creatoris, sequuntur modum nostrum intelligendi sicut intentiones logicæ: sed intentiones logicæ sunt entia rationis cum fundamento non repugnantem, ut docet S. Thomas, & expressius Nost. Egidius in 1. Sent. dist. 10. scilicet laudata: ergo relatio Domini, & Creatoris in Deo sunt entia rationis cum fundamento non repugnantem.

Et confirmatur. Quod habet fundamentum necessitans, necessitat quemcumque intellectum: sed intellectus

Divinus non necessitatur facere tales relationes, ut se Dominum, & Creatorem cognoscat: ergo &c. Probatur minor. Per hoc solum quod Deus cognoscat se terminare in tempore relationes reales creaturæ, & servitutis quam creaturæ dicunt ad ipsum, cognoscit se Creatorem & Dominum: sed in hoc nulla *Interveniunt* relatio rationis: ergo intellectus Divinus non necessitatur &c.

33. Noster Gavardi q. 2. de ente rationis art. 1. dicit relationes illas esse ens rationis cum fundamento necessitante. Hoc non probat, nisi dicendo, quod mensura nequit cognosci nisi relativè ad mensuratum; & cum non referatur realiter, necessitatur intellectus formare relationem rationis. Idem poteris arguere de Deo Creatore, & Domino, qui non potest sic cognosci nisi relativè ad creaturam servam: sed non dicit ad illam relationem realem: ergo tenetur, & necessitatur quicumque intellectus relationem rationis formare.

Confirmatur ab opposito. Nam si sufficit, cognoscere Deum se terminare relationem realem servitutis creaturæ, ut se cognoscat Dominum ejus, quia faciat relationem rationis: Ergo sufficiet quod Deus cognoscat

quod essentia sua imitabilis terminat relationes reales distinctas, quas creaturæ imitantes dicunt ad essentiam Divinam, quam imitantur; nec necessitatur Deus facere respectus ideales; ut cognoscat ideas distinctas ab æterno, sed satis est cognoscere varias terminationes suæ essentiæ, vel essentiam suam terminare relationes reales distinctas, in quo nullum ens rationis intervenit. Ita discurret Illustris. Godoy ubi supra in fine quæst.

34. Conciliatur uterque modus dicendi, & in rigore sermonis verior est quæ tradit Gavardi; nam nec Deus potest concipi relativè Dominus, Creator, & mensura, nisi concipiatur relatus. Nec sufficit ipsum concipere ut terminantem relationes nostras; sicut neque sufficit concipere Deum terminare relationes diversas creaturarum, ut concipiatur ut idea earum, ut expressè docetur à D. Thomâ, & Egidio locis laudatis. Hoc idè, quia terminare relationem potest convenire absoluto, ut tali: sed absolutum ut tale, non est relativum, nec refertur; ergo ut relativè concipiamus Deum, Dominum, Creatorem, & ideam, necessitatur formare relationem rationis.

Dicit tamen D. Thomas  
has

has relationes consequi ex nullo modo intelligendi, sicut secundæ intentiones, propter duo. Primò quia sicut dicendo *genus*, non dicimus aliquid quod sit similitudo rei existentis extra animam; ita dicendo *Dominus* non dicitur aliquid extra animam existens, quia *Dominus*, dicit relationem dominij, & hæc est rationis, & non est quid extra animam, licet fundetur in esse Dei, quod est extra animam.

Secundò id dicit, quia sicut intentiones sequuntur ex modo cognoscendi potentiali nostro; ita relatio Domini sequitur ex modo cognoscendi Deum relativè: sed nulla est Deo necessitas sic cognoscendi relativè seipsum, ut Dominum; necessitatur tamen cognoscere relativè ideas, quia nisi sic cognoscat, non cognoscat illas ut ideas, & debet illas sic cognoscere quia ad hoc sunt in Deo, & per illas sic cognitæ operatur artificiosè. Ergo quantum ad hoc est disparitas inter relationem Domini, & respectus ideales; & patet quo sensu relationes Domini, & Creatoris assimilantur intentionibus logicis.

35. Directè respondemus quæsito, quod tales relationes Domini & Creatoris sunt cum fundamento ne-

cessitante. Ita expressè Nost. Egidius in 1. Sent. dist. 30. q. 1. art. 3. ubi ait: *Quædam sunt quæ intellectus ex sua subtilitate investigando perquirat, & hæc sunt nomina secundæ intentionis; aliqua sunt quæ intellectus non investigando perquirat, sed ex suo modo intelligendi, ipsa de necessitate consequitur, & hujusmodi sunt relationes secundum rationem.* En solæ secundæ intentiones sunt cū fundamento nõ repugnante; alia verò relationes cum fundamento necessitate. Rursus pro secundis intentionibus est necessaria præcisio, & multiplicare cognitiones circa idè objectum; secus pro relatione Domini, & Creatoris: ergo ita sunt cum fundamento necessitate.

Ad fundamenta contraria posita num. 32. Respondemus D. Thom. ibi assimilare relationes temporales secundis intentionibus propter duo dicta num. 34. ceterum inde non sequitur, quod in fundamento assimilètur. Ad confirmationem ibi positam, dic quod ex suppositione, quod Deus cognoscat se Dominum, & Creatorem relativè, tenetur facere relationem rationis, nec sufficit cognoscere se terminare relationes Creaturarum, ut dictum est num. 34. Et hæc de hoc dubio: & de toto libro 2. Logicæ.

FINIS.

LIBRORUM.

QUESTIONVM, §§. HVJVS PRIMI TOMI LOGICÆ

LIBER I. DE PROEMIALIBUS.

Quæst. 1. Vtrum in homine detur appetitus naturalis ad Logicam?

§. 1. QVÆDAM supponuntur, & divisiones appetituum explicatur. 1.

2. Relatis aliorum sententijs nostra proponitur & probatur. 11.

3. Solvuntur Argumenta. 17.

Quæst. 2. Vtrum Logica sit scientia?

§. 1. Quibusdam notatis referuntur sententiæ. 35.

2. Nostra sententiæ proponitur & probatur. 40.

3. Probatur à ratione sententiæ nostra, & expenduntur aliæ sententiæ cum suis fundamentis. 47.

4. Solvuntur argumenta contra nostram sententiæ. 55.

Quæst. 3. Vtrum Logica sit practica, vel speculativa?

§. 1. Quibusdam notatis referuntur sententiæ. 65.

2. Nostra sententiæ proponitur, & probatur. 71.

3. Expenduntur aliæ sententiæ cum suis fundamentis. 75.

4. Que veritas sit finis intrinsecus Logicæ explicatur. 85.

Quæst. 4. Vtrum Logica sit simpliciter necessaria ad alias scientias?

§. 1. Quedam notantur & scientiarum, & artium divisio traditur. 88.

2. Referuntur sententiæ cum suis fundamentis. 92.

3. Nostra sententiæ proponitur, & probatur. 90.

4. Expenduntur sententiæ cum suis fundamentis. 104.

§. ult. Solvuntur alia argumenta contra nostram sententiæ. 111.

Quæst. 5. An Logica docens, & utens distinguantur?

§. 1. Quibusdam notatis referuntur sententiæ. 110.

2. Nostra sententiæ proponitur, & probatur. 123.

3. Expenduntur aliæ sententiæ cum suis fundamentis. 119.

Quæst. 6. Vtrum Logica sit una in specie?

§. 1. Quibusdam notatis referuntur sententiæ. 134.

2. Nostra sententiæ probatur. 144.

3. Solvuntur argumenta contraria. 146.

Quæst. 7. Vtrum Logica sit simplex qualitas?

§. 1. Quibusdam notatis referuntur sententiæ. 151.

2. Nostra sententiæ proponitur & probatur. 157.

195:

2. Nostra sententiæ auctoritate probatur. 207.

3. Nostra sententiæ à ratione probatur. 212.

4. Solvuntur argumenta contra nostram sententiæ. 210.

§. ult. Expenduntur fundamenta utriusque sententiæ contraria. 237.

Quæst. 8. Quibus & quomodo conveniat Logica scientiæ.

§. 1. Quid tenendum sit de Deo & Angelis proponitur. 211.

2. Quid tenendum sit de Christo Domino, Adamo, & alijs hominibus. 247.

§. Solvuntur argumenta contraria nostræ sententiæ. 166.

Quæst. 8. Quid & quomplex sit objectum Logicæ?

§. 1. Explicantur divisiones objecti in communi. 177.

2. Assignantur varia objecta materialia Logicæ. 181.

3. Explicantur sententiæ Thomistarum cum suis fundamentis. 187.

4. Explicatur communis sententiæ recentiorum societatis cum suis fundamentis. 190.

5. Explicatur sententiæ N. Villanovæ de mente Egidij. 194.

§. 1. Nostra sententiæ proponitur, & ad mentem P. Aug. explicatur

LIBER II. DE ENTE RATIONIS LOGICO.

Quæst. 1. An sit & quid sit ens rationis?

4. Nostra sententiæ explicatur & probatur ex P. Aug. 276.

5. Probatur nostra sententiæ ex D. Thom. & B. Egid. 284.

6. Nostra sententiæ probatur à ratione. 298.

7. Expenduntur aliæ sententiæ cum suis fundamentis. 301.

Quæst. 2. Vtrum ens rationis adequatè dividatur in privationem, negationem, & relationem.

§. 1. Referuntur sententiæ cum suis fundamentis. 312.

2. Nostra sententiæ proponitur & probatur. 315.

3. Expenduntur aliæ sententiæ cum suis fundamentis. 321.

Quæst. 4. Vtrum ens rationis existat per existentiam sui fundamenti?

§. 1. EXPLICATUR quid sit ens rationis, & traditur communis distinctio. 252.

2. Traditur communis distinctio entis rationis ex B. Egid. N. elucidata. 254.

3. Probatur dari entia rationis, & solvuntur argumenta contraria. 260.

Quæst. 2. In quo consistat ens rationis?

§. 1. Explicatur sententiæ de extrinsecis denominationibus. 266.

2. Explicatur sententiæ de aggregato ex entibus realibus, falso adunatis. 168.

3. Explicatur sententiæ constituens ens rationis in solo esse ficto. 262.

- §. 1. Referuntur sententiæ cum suis fundamentis. 328.
2. Nostra sententiæ proponitur, & probatur. 335.
3. Quedam proponuntur & solvuntur contra nostram sententiæ. 345.
4. Expenduntur aliæ sententiæ cum suis fundamentis. 356.
- Quest. 5. Vtrum ens rationis sit ab intellectu, & quomodo?
- §. 1. Explicatur communis sententiæ cum suis fundamentis. 164.
2. Nostra sententiæ proponitur & probatur. 368.
3. Solvuntur fundamenta sententiæ contrariæ. 377.
- Quest. 6. An solus intellectus formet entia rationis?
- §. 1. Aliquibus notatis, explicatur communis sententiæ de sensibus externis. 383.
2. Defenditur communis sententiæ de cogitativa & sensibus internis. 396.
3. Defenditur sententiæ communis de voluntate. 391.
- Quest. 7. An Divinus intellectus formet entia rationis?
- §. 1. Supponitur, & simul probatur Deum omnia entia rationis cognoscere. 395.
1. Sententiæ referuntur & suis fundamentis comprobantur. 399.
3. Probatur quod Deus solus faciat entia rationis cum fundamento necessitante. 406.

